Digitized by Google

NAZIONALE
12
26 F
18
VITT. EMANUELE

Ban: 1. F.

Ex libris
Caesaris Bevilacqua

14-25. e. 6

Digitized by Google

JACOBI THOMASII DISSERTATIONES
ad
STOICÆ PHILOSOPHIÆ
& cæteram Philoſophicam Hiſtoriam facientes
ARGUMENTI VARII;
qvibus præmittitur
de
EXUSTIONE MUNDI STOICA
Exercitatio.



LIPSIÆ,
Sumptibus Hæredum FRIDERICI LANCKISII,
Typis CHRISTOPHORI GüNTHERI,
ANNO M DC LXXXII.

Digitized by Google

VIRO

Plurimùm Reverendo atq; Excellentiſſimo

DN. JOHANNI BENEDICTO CARPZOVIO

Lipſienſi,

S. Theologiæ Licentiato, Hebraicæ

Lingvæ in Academiâ Patriâ Profeſſori Publico,

nec non ad D.Thomæ Eccleſiaſticæ

longè graviſſimo,

Affini atqve Compatri venerando

S. P. D.

M. JACOBUS THOMASIUS.

DEcimus jam elapſus annus eſt, ex qvo *Schediaſma Hiſtoricum* dedi, qvo definitionis cujusdam vetuſtæ, qvæ Philoſophiam pronunciat γνῶσιν τῶν ὄντων, occaſione inter alia nonnihil de originibus Gentilis apud Græcos Philoſophiæ diſſerui. Circà tempus idem conceperam animo, qvem hîc demum ſiſto, *de Mundi Exuſtione Stoicâ* Tractatum. Unde

Digitized by Google

factum, ut Lectori meo jam tùm pollicerer [a] uberiora qvædam de qvatuor inter Græcos Philoſophicarum factionum hiſtoriâ: cujus promiſſi fidem tùm generali de qvatuor Græcorum Sectis Diſſertatione [b], tùm ex eâ cumprimis parte, qvæ Stoicorum Deum aſſerit Mundi formam eſſe informantem [c], liberare hîc ſum conatus. Ac ſperabam qvidem initiò fore, ut hæc citiùs prodirent: ſed labores noſtros in hoc usqve tempus procraſtinaverunt occupationes aliæ multiplices, præſertim cùm fœtum hunc effeciſſent priore corpulentiorem longè varii generis argumenta; in qvæ dum ſtilum extendo, labuntur non horæ, non dies, non menſes, ſed integri anni. Extremam enim illis, cùm disjectiſſimos, minimeqve typographorum oculis aptos, ſchedæ noſtræ hactenus habuiſſent, ordinandis atqve deſcribendis manum vix anni hujus æſtate licuit admovere. De cætero par propè fuit utriusqve fœtûs fortuna, in eo qvidem certè, qvòd cùm ambos ejusdem anni ſpacio, (fuit ille ſeculi hujus à ſexageſimo qvintus,) propè gemellos parere decreviſſem, & parere ſic teneros, ut neuter excederet menſuram qvatuor paginarum, uterqve tamen in juſti libelli molem excreverit. Videlicet utrumqve deſtinaveram argumento Programmatis Academici, qvorum altero Lectiones Profeſſorum Philoſophiæ promulgarentur, altero habendæ cuidam de inſtante totius Mundi *πανολε-*

θρία

a) p.29. n.11.
b) qvæ ſecunda hîc eſt, & legitur p.29.
c) Diſſertat. XIV. p. 177.

θεία Orationi conciliarentur Auditores. Sed cùm præter expectationem numeros paginarum excederet materia, repente mutandum mihi conſilium fuit, aliaq; duo ſcribenda Programmata: qvorum uno propudioſam illam novas gignendi ſectas licentiam, qvam hodierni inter Philoſophos *Libertini* ſibi ſumunt, caſtigare; altero fabulas qvorundam veterum de *Antichriſto mixto* exponere placuit. Interim ne inchoatæ fœturæ planè interciderent mihi, & ipſas elaboravi paulatim, neqve conqvievi, donec & hanc luci poſſem ſiſtere, priore ut integro decennio juniorem, ſic turgidiorem haud paulo. Qvæ me ratio movit, ut, qvæ ad Exercitarionem primariam ſcholia nimis ampla videbantur, qvale ſuper cætera illud eſt de Phœnice, ea peculiarium Diſſertationum titulis ab ipſo textu ſecluderem, ne videlicet hujus paragraphos, id qvod in Schediaſmata, dum contrariam rationem ſeqvor, evenerat, longioribus, qvàm commodum foret, interſtitiis divellerent. Cæterum qvalicunqve hoc ſcripto meo id inter alia dedi operam, ut paulò curatiùs oſtenderem, qvantoperè Stoici, licet nobiſcum profiteantur Mundi conflagrationem, in hoc ipſo argumento à religione noſtrâ diverſi abeant. Qvâ ratione ſimul illud confido manifeſtum fore, qvàm iniqvum ſit, velle inter veræ doctrinæ lucem & Gentiliſmi tenebras paciſci. Omninò enim operam Lipſius perdidit, qvoties Stoicorum errores incruſtare laboravit. Tuo verò Nomini,

)(3 Com-

Compater Venerande,

qvicqvid harum eſt lucubrationum, ut inſcriberem, vel hæc ſola mihi, ſi aliæ deeſſent, perſvadere cauſa potuit, qvòd cùm eæ ſic tandem maturuiſſent, ut publico exponi conſpectui poſſe viderentur, in ipſasqve Lankiſiana Familia, qvæ nos arcto ſatis Affinitatis nodo copulavit, ſumptûs impendere decreviſſet, religio fuit mihi, Socrui eas Tuæ, Lankiſianæ Viduæ, Cognatæ meæ, multis in me meosqve meritis mihi ſpectatiſſimæ, laudare, niſi oculis Tuis conſpectas priùs, approbatasqve judicio. Excipe igitur prelum egreſſas, qvi, ut illud ſubirent, dignas habuiſti. Benigno vultu excuſas intuere, qvi à meâ calentibus manu frontem amiciſſimam indulſiſti. Vale. Scribebam exeunte anno 1675. qvem ut novi ſubinde plurimi excipiant Tibi Tuisq; feliciſſimi, à DEO T.O.M. ex animo precor.

Sum-

Summa Theſium ſeu Paragraphorum
Exercitationis
De Stoicâ Mundi Exuſtione.

§. 1. Futura Mundi conflagratio certa eſt è ſacris literis. p. 1.
2. Irrident eam è Gentilibus Porphyrius ac Cæcilius. ibid.
3. Sed reſpondetur Cæcilio. p. 3.
4. Porphyrio. ibid.
5. Sapientulis qvibusvis p. 4.
6. Qvanqvam autem eandem confeſſi ſunt aliqvi Gentilium: longè tamen alio id, qvàm noſtri, ſenſu fecerunt ibid.
7. Ideò rectè umbra tantùm illis tribuitur interpolatæ veritatis. p. 6.
8. Negant mundi conflagrationem Plato & Ariſtoteles; concedunt eam Stoici & Epicurei, p. 7. 8.
9. Qvin & alii nonnulli. Sed Stoicos hîc maximè excutiemus. p. 10.
10. Sententia orthodoxa juxta qvatuor cauſas exponitur. p. 11.
11. Singula ejus membra corruperunt Stoici. p. 12.
12. nec aliter potuére per Fatum ſuum. p. 14.
13. à Chriſtianâ ſententiâ diverſiſſimi. p. 15.
14. vereq; immortalitatem animæ & mortalitatem viſibilis mundi, utut verbis adſtruant, ſenſu deſtruentes, ibid.
15. Qvod ſi veteres qvidam perpendiſſent, non miſcuiſſent Religioni Chriſtianæ nævos & ulcera Gentilium. p. 16.
16. neqve ventum fuiſſet ad ſententiam de mundi tantùm accidentali mutatione, multò minùs ad errorem de perpetuis Mundorum ſucceſſionibus. p. 17.
17. Utriqve vitio ſuccubuit Origenes. p. 18.
18. Aliis alia deliria, de fatali Mundi è ceteris ſiderum poſitionibus termino, de animabus in Deum ceu fontem reſorbendis, placuerunt. p. 19.
19. Præſtat igitur diſcordiam Gentilium à Chriſtianis detegere, qvàm inter tenebras & lucem paciſci. p. 20.
20. Qvo pacto & hiſtoria Philoſophica rectiùs habebit. p. 21.
21. Creſcetq; pietas in Deum, ea nobis revelantem, qvæ à ſapientibus ſeculi abſcondidit. p. 22.

TITU-

Digitized by Google

TITULI

Singularum Diſſertationum.

Diſſert. I. Dæmonia, mali genii. pag. 23.
II. Qvatuor Græcorum ſectæ præcipuæ. p. 29.
III. Platonica Mundi æternitas. p. 37
IV. Ariſtotelica Mundi æternitas. p. 58.
V. Annus Magnus. p. 62.
VI. Vapores nutrimenta ſiderum crediti. p. 72.
VII. Stoicorum Dii mortales. p. 75.
VIII. Stoicorum Chaos, Deus & Materia. p. 77.
IX. Phœnix. p. 78.
X. Stoicorum homines redivivi. p. 156.
XI. Stoica Mundi conflagratio peccans. p. 160.
XII. Stoicis Materia principium mali. p. 162.
XIII. Stoici Fati malignitas. p. 166.
XIV. Stoicus Deus Forma Mundi informans. p. 177.
XV. Stoica Animarum mortalitas. p. 227.
XVI. Stoica Mundi æternitas. p. 233
XVII. Origenis Mundi ſucceſſivè innumerabiles. p. 237.
XIIX. Origenes aliqvâ ex parte Stoicus. p. 239.
XIX. Origenis Neutraliſmus. p. 241.
XX. Fatum ſidereum. p. 246.
XXI. Fons animarum. p. 249.

Scriptores emendati.

Ariſtocles (apud Euſebium.) p. 180. §. 14.
Pſeud-*Ariſtoteles*. p. 60. §. 12.
Auguſtinus. p. 3. lit. f. p. 29. §. 26. p. 183 §. 25. p. 219. §. 180. p. 220 §. 184.
Chryſippus (apud Gellium.) p. 166. §. 3. & ſeqq.
Cicero. p. 73. §. 7.
Haymo. p 240. §. 7.
Hieronymus. p. 195. §. 78.
Lactantius. p. 220. §, 186.
Laertius. p. 48. §. 64.
Plato. p. 42, §. 32. p. 52. §. 88. p. 216. (§. 167.
Proclus. p. 45. §. 50.

****

Juvan-

Juvante Triuno!

EXERCITATIO
de

STOICA MUNDI EXUSTIONE.

THESIS I.

A*Dveniet Dies DOMINI ſicut fur in nocte, in qvo cœli magno impetu tranſibunt, elementa vero calore ſolventur, terra autem & omnia, qvæ in ipſa ſunt, opera exurentur.* Hâc Petri Apoſtoli *a*) prædictione, cui ſimiles aliæ in ſacris literis continentur, inducti futuram viſibilis mundi conflagrationem indubiâ fide credimus.

a) epiſt. II. cap. 3. v. 10.

TH. II. Irrident eam, ut de Judæis qvibusdam *b*) hîc taceam, Gentiles, & inſanire nos arbitrantur. Apud Auguſtinum *c*) *Porphyrius Chriſtianos ob hoc arguit maximæ ſtultitiæ, etiam ex oraculis Deorum ſuorum, qvòd iſtum mundum dicunt eſſe periturum.* Sic apud Minucium *d*) Cæcilius *de-*

A *menti-*

mentiam vocat, cœlo & aſtris, qvæ ſic relinqvimus ut invenimus, interitum denunciare.

b) Averroes comment. ad I. de cœl. text. 102. p. 70. eandem facit Maurorum, h.e. Mahometanorum, & Chriſtianorum, & Judæorum de duratione mundi doctrinam. *Opiniones,* inqvit, *de Mundo ſunt qvatuor. Aut credere ipſum non generabilem & non corruptibilem, & hæc eſt opinio Ariſtotelis, & ipſe fuit primus dicens hoc Philoſophorum Græcorum, & hoc tenebat lex Chaldæorum antiqva, & hoc intelligitur ex verbis occultis Chaldæorum. Aut credere ipſum eſſe generabilem & corruptibilem, & hæc eſt opinio Anaxagoræ ex Philoſophis, & hanc ſuſtinent tres leges, qvæ ſunt modò notæ, ſcilicet Maurorum, & Chriſtianorum, & Judæorum. Opinio verò tertia eſt Platonis, & eſt, qvòd ſit generabilis & non corruptibilis. Qvarta verò eſt credere non generatum, ſed corruptibilem: ſed hoc nullus dicebat, in qvantum ſcimus, niſi loqventes noſtræ legis, qvamvis ſit hoc tantum unum extrà naturam.* Ergò, ſi Averroi credimus, Judæi hîc à nobis non diſſentiunt. Qvod tamen cum exceptione qvorundam exaudiendum videtur. Moſes ſanè Maimonides, ſuppar Averroi ſcriptor, Parte II. More Neboch. c. 29. id agit, ut probet, qvemadmodùm habet inſcriptio, *qvòd loca illa ſcripturæ, qvæ de mundi interitu docere videntur, omnia ſint parabolica, neqve ex illis probari poſſit, mundum interiturum.* Et integer exſtat Philonis Judæi, qvi ſub Caligulâ floruit, liber περὶ ἀφθαρσίας τοῦ κόσμου, *qvòd mundus ſit incorruptibilis,* f. 587. ed. lat. Baſil. A. 1554. de qvo vide Gerh. Tom. IX. Loc. tit. de conſumm. ſec. §. 15. p. 349. & Calixt. de ſuprem. judic. p. 136. Qvi addit: *Judæi ne hodiè qvidem mundum diſſolutum iri credunt, nec tredecim eorum Ikkarim, ſive fidei articuli qvidqvam hujus adſerunt.* Verùm hîc viciſſim de Philonis diſſenſu, ab illis ſaltem Chriſtianorum, qvi mundum abolendum ſtatuunt qvidem, ſed non qvoad ſubſtantiam. dubitat Hieron. Zanchius de fine ſeculi (f. 92. Miſcellaneorum.) Verba ejus appono: *Si Philo intellexit, Mundum eſſe incorruptibilem, qvia neqve prorſus in nihilum redigetur, neqve etiam in deterius mutabitur: nos qvoqve cum illo conſentimus. Fatemur enim ex verbo Dei, Mundum renovatum iri, & futurum cœlum novum & terram novam. Et certè videtur ita ſenſiſſe Philo ex declaratione, qvâ explicat, qvid intelligat nomine* φθορᾶς. *Sic enim habet in initio libri p. 645.* λέγεται μὲν δὴ καὶ φθορὰ, ἡ πρὸς·

πρὸς τὸ χεῖρον μεταβολή. λέγεται δὲ ἡ τοῦ ὄντος ἀναίρεσις παντελής, ἣν καὶ ἀνύπαρξιν ἀναγκαῖον λέγειν. ὥσπερ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος οὐδὲν γίγνεται (*ſcilicet naturaliter,*) οὐδ᾽ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεται. *Legerat etiam Philo Pſalmos & Prophetas, qvi hâc de re ſcripſerunt. Sed ſi ſecus intellexit, pii Chriſtiani non conſentiunt.* Addo, Rabbinum Elcha ſupponere ex ipsâ lege, Mundum tandem aliqvando eſſe finem habiturum, ut ex Gaſſendi ad Gaffarellum, qvi ejus Autoris interpretem egerat, epiſtolâ intelligo Tom. VI. Oper. f. 12: Verùm id inde fuerit fortè, qvòd illi Rabbino, (qvod Gaſſendi pariter f. 14. & Gaffarelli de eo judicium eſt,) animus fuit à noſtrâ Religione non penitus averſus.

c) lib. XX. de Civ. Dei. c. 24. f. 1244.

d) in Octavio, p. 24. edit. Wovver.

TH. III. Sed reſpondeamus Cæcilio verbis Octavii *e)*: *Nihil mirum eſt, ſi iſta moles ab eo, à qvo exſtructa eſt, deſtruatur.*

e) apud eundem Minucium p. 77.

TH. IV. Porphyrius autem illud habeat, Deos, qvorum oracula *f)* jactat, *dæmonia g)* fuiſſe, hoc eſt, malos genios *h)*, ut horum mendaciis ſummam divinorum oraculorum *i)* veritatem poſthaberi maxima ſit impietas.

f) Qvænam illa ſint oracula, ex qvibus ſtultitiæ Chriſtianos arguere voluit Porphyrius, non habemus compertum. Jovis qvidem aliqvod fuiſſe, indicant apud Auguſtinum XX. Civ. Dei 24. ſeqventia, qvæ ita, ut ſcribi putamus oportere, proferemus: *Si hæc ſententia Jovi diſplicet, cujus, ut ſcribit iſte Philoſophus, velut gravioris autoritatis* oraculo *Chriſtianorum* credulitas *culpatur: cur non ſimiliter ſapientiam tanqvam ſtultitiam culpat Hebræorum, in qvorum libris piiſſimis invenitur?* In impreſſis, etiam recentiſſimâ Francofurtenſi Anni 1661. p. 516. legitur: *cujus* — oraculo in *Chriſtianorum* credulitate *culpatur.* Ubi qvidem facilior fortè alicui videatur emendatio: *cujus* oraculum *Chriſtianorum* credulitate *culpatur.* Sed ita, ut voluimus, reſcribendum

 eſſe

eſſe vincunt præcedentia jam th. II. nobis prolata: *Porphyrius --- Chriſtianos ob hoc arguit maximæ ſtultitiæ etiam ex oraculis deorum ſuorum, qvòd iſtum mundum dicunt eſſe periturum.*

g) Pſalm. 96. v. 5. 1. Cor. 10. v. 20.

h) Dæmoniorum vocabulo in his S. Scripturæ dictis malos genios intelligi oportere, Diſſertatio I. pluribus demonſtrabit.

i) Ex Novo Teſtamento Petrinum illud th. I. à nobis allatum valdè luculentum eſt. Ex Veteri Auguſtinus ipſe Pſalmi 120. v. 26. 27. verba inducit, iisq; Porphyrium, ut qvi Deum Hebræorum laudâſſet, κατ᾽ ἄνθρωπον convincit: *Ecce in literis pietatis Hebræorum dicitur Deo, qvem confitente tanto Philoſopho etiam ipſa numina perhorreſcunt:* Opera, *inqvit,* manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt. *Nunqvid, qvando cœli peribunt, Mundus, cujus iidem cœli ſuperior pars eſt & tutior, non peribit?* XX. de Civ. Dei 24.

Th. V. A qvo crimine dum abſumus, feramus interim, à ſapientulis iſtis contemni nos tanqvam ſtultos & dementes. Audient enim viciſſim à nobis illud Paulinum: Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum *k*).

k) 1. Cor. 3. v. 19.

Th. VI. Neqve tamen inter ipſos Gentiles nulli planè fuerunt, qvi mundum aliqvando conflagraturum faterentur. Verùm qvia hanc ipſam veritatem, perinde ut alteram de Reſurrectione mortuorum *l*) peſſimis modis depravarunt: conſultiùs eſt *m*), ab iis doctrinam noſtram diſtrahere *n*), qvàm ſtudere demonſtrando conſenſui *o*).

l) de qvâ locum Tatiani dabimus lit. n.

m) Plura in hanc rem dicemus ad theſ. XIX.

n) Faciunt hoc è noſtris *Gerhardus* Tom. IX. Loc. tit. de Conſumm. ſec. n. 19. p. 359. & *Calixtus* de ſupremo jud. p. 127. è Calvinianis

Veſ-

Digitized by Google

Voſſius Diſp. XVIII. theol. theſ. 8. p. 256. è Pontificiis *Steuchus* lib. X. de perenni Philoſ. c. 28. tit. de exitio Mundi p. 715. (qvanqvam ille ſuo more in præcedentibus valdè laboraverat de conſenſu,) *Magius* I. de Mundi exuſt. 15. & III. 16. f. 26. & 106. (qvod ejus opus poſteà ſæpè à nobis citabitur,) *Delrio* comment. in Senec. Octaviam p. 533. qvi varias Gentilium pariter & Chriſtianorum de interitu mundi ſententias diligenter & inqvirit & diſtingvit,) deniqve *Paulus Benius* lib. VI. in Timæum Plat. p. 432. 433. qvi his tandem verbis concludit: *Ergò concedamus, Poetas & Philoſophos plures, inprimis verò Stoicos de futurâ mundi exuſtione tradidiſſe non pauca; ſed qvæ erroribus admiſta ſint variis, atqve ad Chriſtianæ Theologiæ decreta limanda ſint & corrigenda: tantum abeſt, ut ad Theologorum noſtrorum, qvorum eſt leges cæteris præſcribere, ſenſa atqve ſanctiones interpretanda ac firmanda tàm facilè uſurpari debeant, ac Petr., Jeſaiæ, Davidis, Chriſti demùm ipſius, qvæ de mundi conflagratione exitioq; extant, dictis explicandis atqve definiendis accerſenda ſint.* Refer huc & illud *Tatiani* adverſus gentes n. 41. f. m. 286. ἐκπύρωσιν (τοῦ κόσμου λέγει τις) ἀποβαίνειν κατὰ καιρούς, ἐγὼ δὲ εἰσάπαξ. In Stoicos dictum hoc eſſe agnoſcit *Lipſius*, (licet ipſe paſſim ſollicitus, qvomodo Stoicos faciat Chriſtianos.) lib. II. Phyſ. Stoic. diſſ. 22. in fine, confirmatq; alius *Tatiani* non abſimilis locus n. 9. f. 279. ubi expreſsè nominantur Stoici: σωμάτων ἀνάστασιν ἔσεσθαι πεπιστεύκαμεν μετὰ τὴν τῶν ὅλων συντέλειαν, οὐχ ὡς οἱ Στωικοὶ δογματίζουσι κατά τινας κύκλων περιόδους γινομένων ἀεὶ καὶ ἀπογινομένων τῶν αὐτῶν οὐκ ἐπί τι χρήσιμον· ἅπαξ δὲ τῶν καθ' ἡμᾶς αἰώνων πεπερασμένων.

o) More ſuo facit hoc Clemens Alexandrinus V. Strom. f. 401. & 437. ed. Heinſ. Nos hic recentiorum qvorundam locos maximè ſignabimus. *Raphael Regius* ad illud Ovidii I. Metam. fab. 9.

> *Eſſe qvoqve in* fatis *reminiſcitur affore tempus,*
> *Qvo mare, qvo tellus, correptaq; regia cæli*
> *Ardeat, & mundi moles operoſa laboret:*

enarrationem ſuam tandem ita claudit f. m. 17. *Hoc maximè cum dogmate Chriſtiano convenit: nos enim credimus, Mundum noviſſimo die conflagraturum.* Sanè; ſed nihil *fatis* hîc tribuimus, omnia voluntati divinæ. Fatum illud Ovidianum non alio ſenſu exponendum, qvàm qvo definiebant Stoici, vel ipſo Raphaele Regio interprete. Nec aliter *Lipſius* Ovidium accepit II. Phyſiol. Stoic. p. m. 107. (editionis Pa-

riſinæ A. 1604. ſæpiùs citandæ in poſterum, qvod ſemel hîc monuiſſe ſufficiat.) Fatum autem illud, qvàm non Chriſtianum ſit, patefiet maximè Diſſert. XIII. Raphaeli Regio jungamus *Jacobum Pamelium*, qvi annot. ad c. 54. Tertull. de animâ f. 643. de Stoicis loqvens, *Qvorum*, inqvit, *de conflagratione univerſitatis, id eſt, mundi, opinio Chriſtianis ſatis conformis eſt.* Qvàm verè hoc dixerit Pamelius, videbimus theſ. X. & XI. *Gaſſendus*, ut paſſim in deliciis Epicurum habet, ita hîc etiam doctrinam ejus cum noſtrâ geſtit componere. *Concedi debet*, inqvit Tom. I. Oper. f. 177. *Epicuri ſententiam circà inſtantem Mundi finem cum doctrinâ ſacrâ mirè conſentire.* Qvis hæc legens non exſpectet rara qvædam atqve ſingularia, eademq; accurata conſenſionis documenta? Atqvi pro his nihil dat aliud Gaſſendus, niſi generalia duo: ſigna qvædam eſſe finem mundi præceſſura; &, tempus ejus propè eſſe. Qvæ ipſa tamen duo, ſi cæteras circumſtantias rimeris, ab Epicureis Chriſtiana δὶς διὰ πασῶν diriment. Tantum potuit in viro doctiſſimo inſanus in abſurdiſſimam totius Gentiliſmi hæreſin amor. Fuit enim Gaſſendo Epicurus id, qvod Lipſio ſui Stoici.

TH. VII. Qvapropter & apud Minucium Cæcilio reſpondens Octavius, tametſi Stoicos illi & Epicureos objicit, qvi de cœli & elementorum conflagratione nobiſcum ſentiant *p*): mox tamen *q*) Philoſophis iſtis nihil aliud qvàm *umbram* tribuit *interpolatæ veritatis*, qvam illi *de divinis prædictionibus Prophetarum r*) *imitati* ſint.

p) his verbis p. 77. ed. Wovv. *Cælum qvoqve cum omnibus, qvæ cælo continentur, ita ut cœpiſſet deſinere fontium dulci aqvâ mariſve nutriri, in vim ignis abiturum*, Stoicis *conſtans opinio eſt, qvòd conſumpto humore mundus hic omnis igneſcat:* & Epicureis *de elementorum conflagratione & mundi ruinâ eadem ipſa ſententia eſt.* Stoicos in eâdem cauſâ etiam appellat Juſtinus Martyr defenſ. Chriſtian. ad Antonin. (Tom. I. oper. f. 132. ed. Baſil. A. 1565.) *Cum à Deo omnia exornata eſſe & creata dicimus, Platonis ſententiam referre videmur; cùm autem exu-*

ſtionem

Digitized by Google

ſtionem fore, Stoicorum. Græca Martyris verba habes apud Calixtum de ſupremo Jud. p. 332.

q) ibidem p. 78. Locum integrum dabimus lit. a. ad th. XV. Ubi Octavius porrò & conditionem renaſcendi, (id eſt, reſurrectionem à mortuis,) Sapientum clariores ait *corruptâ & dimidiatâ fide* tradidiſſe, neqve non qvædam *ad detorqvendam veritatem* addidiſſe.

r) Qvæ de Mundi incendio leguntur apud Gentiles, ea ſunt qvi credant ad illos ab Eccleſiâ verâ fando legendóve perveniſſe: *Fortaſſis ex Patrum doctrinâ reliqvi fuerunt verſiculi, qvi de mundi conflagratione, de æternâ vitâ, de judicio, & de placatore Dei vaticinantur, qvi exſtant apud Lactantium & alios,* verba ſunt Philippi Melanchthonis in cap. 10. Dan. Tom. II. Oper. f. 478. ad Sibyllinos, ut opinor, verſûs maximè reſpicientis. *Cognitio* (Ethnicorum de cataclyſmo & exuſtione Mundi) *ab Adamo & poſteris qvaſi per manûs tradita fuiſſe videtur,* ait Benius in Timæum Platonis p. 429. Conf. Theoph. Großgebauers Schrifften p. 664. 665. Sed hæc ſpeciem qvalemcunqve habent non niſi in iis, qvæ divinæ veritati qvoqvo modo conſentanea leguntur in ſcriptis Gentilium. Nimium extendit Lipſius II. Phyſ. Stoic. 22. p. 106. ubi cùm Senecæ aliorumq; verba protuliſſet de inundatione Mundi, non præteritâ Noachi, ſed futurâ (ad Calendas Græcas) Stoicorum, hæc ſubdit: *En qvàm verè hæc noſtri! Et qvis non è ſacris libris hauſiſſe putet & eventum & cauſſam?* Paterer fortaſſe, ſi de Noachi diluvio eſſet ſermo. Nunc aliud Noachi, aliud Stoicorum cataclyſmus. Illum Scriptura ſacra non niſi unicum novit; ſuum Stoici per cujuslibet anni magni hiemem, (qvam nec Lipſius tacuit in præcedentibus, & nos attingemus Diſſert. V. §. 39.) exſpectare nos jubent.

TH. VIII. Enimverò ſacræ Scripturæ oraculis fulta ſententia noſtra hæc eſt: DEUS, ubi viſum ipſi fuerit, liberrimi conſilii decretum executurus, mundi hanc machinam flammis certo certiùs exuret. Videamus breviter, qvid ſentiant hoc de argumento Græcanicæ Philoſophiæ factiones præcipuæ qvatuor *s)*. Negabunt *Plato t)* & *Ariſto-*

teles

teles u) hoc unqvam futurum, (de totius *x*) mundi abolitione loqvor:) ille, qvia exiſtimat, nolle Deum *y*); hic, qvia ne poſſe qvidem *z*). *Stoicorum* aliqvi *a*), (nam & ex his fuerunt, qvi hoc univerſum ſubtraherent morti,) cum *Epicureis b*) fatebuntur incendium futurum, ſed cuilibet cauſæ imputabunt potiùs, qvàm libertati Divinæ. Pro qvâ illi neceſſitatem Fati *c*) ſubſtituent, hi temeritatem Fortunæ *d.*).

s) In has qvatuor ſectas partienda ſunt, qvæ ſcribit Arnobius lib. II. p.m. 82. *Mundum qvidam ex ſapientibus exiſtimant neqve eſſe natum, neqve ullo eſſe in tempore periturum. Immortalem nonnulli, qvamvis eum conſcribant eſſe natum & genitum. Tertiis verò collibitum dicere eſt, & eſſe natum & genitum, & ordinaria neceſſitate periturum.* Hunc Arnobii locum Delrio repetens Comment. in Senecæ Octav. p. 532. rectè addit: *Qvarum* (ſententiarum) *prima Ariſtotelis eſt, altera Platonis, tertia Epicuri; eſt & Stoicorum.* Verùm de hâc tertiâ opinione tenendum, ita natum, ita interiturum Mundum Stoicis & Epicureis viſum, ut ſimul certâ ratione crederent æternum: qvandoqvidem ab æterno putaverunt illum ſi non natum, ſaltem conceptum, rurſumq; vel poſt infinitas conflagrationes denuò ſemper excitandum è favillis, & ita ſubiturum has vices absqve fine. Planum hoc faciemus, de Stoicis maximè, Diſſertatione XVI. Sed haud obſcurè intelligetur etiam è Diſſertatione II.

t) u) docebitur hoc, ad Platonem qvod attinet, Diſſertatione III. ad Ariſtotelem, IV.

x) nam particulares mundi ruinas nec Plato negavit, per Diſſ. III. §. 120. nec Ariſtoteles per Diſſ. IV. §. 5.

y) Oſtendam hoc Diſſ. III. §. 20. 40. 51. 61. 64. 70.

z) Vid. Diſſert. IV. §. 15. & ſeqq.

a) Exuſtionem Mundi è Stoicis *defenderunt* Zeno, Cleanthes, Chryſippus; *negarunt* Boethus, Poſidonius, Panætius, Diogenes Babylonius,

lonius, Zeno Sidonius. Adi Lipſium II. Phyſiol. Stoic. 23. p. 112. Calixtum de ſupr. Jud. p. 136. Voſſium theſ. theol. p. 257. Gaſſendum Tom. I. Oper. f. 174. Spizelium de re lit. Sinenſ. ſect. 11. p. 210. Communiter tamen Stoicis tribuunt dogma de mundi in ignem reſolutione Athenagoras, Juſtinus, Numenius. Vid. Steuch. X. de perenn. Philoſ. 28. p. 706. Calixt. d. l. p. 135. Eosdem Lipſius II. Phyſ. Stoic. 21. p. 105: exuſtionem à diluvio diſtingventes facit, tanqvam mortem magnam à minore.

b) Epicuri ſententiam, Platonicæ juxtà & Ariſtotelicæ opponens, generalioribus verbis enunciat Lactantius lib. VII. c. 1. p. 527. *Unus igitur Epicurus, auctore Democrito, veridicus in hâc re fuit, qvi ait, & ortum aliqvando* (mundum) *& aliqvando eſſe periturum.* Et c. 3. p. 536. *Epicurus ſuâ ſponte natum eſſe dixit, ſeminibus inter ſe paſſim coeuntibus, qvibus iterum reſolutis diſſidium atqve interitum ſecuturum.* Falluntur ergò, qvi Epicureis Ariſtoteleam de incorruptibili mundi æternitate ſententiam tribuunt, ut obſervat Voſſius theſ. theol. p. 257. Sed inprimis Gaſſendum vide Tom. I. Oper. ſect. I. Phyſ. lib. I. c. 7. dogma Epicuri de interitu mundi copioſiſſimè (brevior enim eſt c. 7. Syntagm. de Philoſ. Epic. Tom. III. Op. f. 31.) perſeqventem. Docebit ille f. 171. ſeq. qvæ rationes Epicurum, ut hoc univerſum crederet diſſolutum iri, moverint; f. 175. an uno modo, an pluribus? f. 176. qvid reſponſurus fuerit, ſi qværas, an ad parandum mundo exitium exigatur multum temporis, an parum? f. 177. 178. qvid ex ejus mente poſt illam ruinam futurum? Cæterùm non peccabimus, ſi, cùm de placito Epicuri qværitur, citemus & Plinium, tanqvam ex eâdem Scholâ teſtem. Huic orbis incendium perſvaſum fuiſſe duo docent loci. Unus lib. II. c. 106. ubi ab Ætnâ ſimilibusq; montibus flammâ perpetuâ flagrantibus *exuſtionem terris denunciari* ſcribit. Alter lib. VII. c. 16. ubi cauſam, cur menſura mortalium generi minor indies fiat, rariq; naſcantur patribus proceriores, petit à *conſumente ubertatem ſeminum exuſtione, in cujus vices nunc vergat ævum.* Ad qvæ verba Berneggerus q. 13. in Taciti Germ. *Innuit opinor ἐκπύρωσιν illam τοῦ κόσμου Stoicis decantatam.* Qvos & ibi Dalechampius inculcat. Sed Plinium hîc non tàm Stoicorum autoritate motum dixerim, qvàm Epicuri ſui, cujus caſtra ipſum præcipuè ſecutum eruditi agnoverunt. Neqve moror Lipſium, qvi cùm lib. II. Phyſ. Stoic. diſſ. 20. p. 105. illos Plinii duos locos protuliſ-

ſet, *Vides*, inqvit, *Plinium in capitalibus dogmatis bonâ fide Stoicum eſſe?* Qvem & alibi laborat Epicureis ereptum ſuis aſſerere Stoicis, ut p. 11. 86. (ubi de eo: *qvem qvi Epicureum faciunt, viderint; ego Stoicum ſenſibus comperior bonâ fide.*) 88. 138. Dogma hoc profectò de exuſtione mundi minus idoneum eſt argumentum, ab Epicureo Stoicum diſcernendi, cùm id Epicureis qvoqve placuiſſe ipſe agnoſcat Lipſius II. differt. 23. p. 112: ad Minutium (cujus verba qvære ſuprà lit p. ad theſ. VII.) provocans. Porrò nullum in universâ Stoâ capitalius dogma, qvàm illud de Fato, Epicureæ videlicet Fortunæ, (ſi Deum cogites, qvem Fato miſcent Stoici, à Fortunâ planè excludunt Epicurei,) extremè pugnans. At hîc Plinium à Stoicis degenerare cogitur Lipſius palàm fateri I. differt. 11. p. 24.

c) de Fato Stoico dicemus copioſè Differt. XIII.

d) de Fortunâ hîc ſufficiat Lucretii Epicurei teſtimonium lib. V. v. 106.

Forſitan & graviter terrarum motibus orbis
Omnia conqvaſſari in parvo tempore cernes,
Qvod procul à nobis flectat Fortuna *gubernans!*

Th. IX. Præter Stoicos & Epicureos etiam aliis qvibusdam Ethnicorum *e)* Mundana deflagratio utcunqve fuit perſvaſa. Verùm ex his omnibus *Stoicorum* tantùm ſcrinia excutere jam placet, ut appareat, ipſorum confeſſio qvàm tetris ulceribus ſcateat.

e) ut *Empedocles*, (de qvo tamen res aliqvo modo dubia,) *Heraclitus, Sophocles, Ovidius, Lucanus*, alii. De qvibus Steuchus p. 707. de perenni phil. Lipſius Phyſ. Stoic. p. 113. Benius in Timæum Plat. p. 433. Delrio Comm. in Sen. Octav. p. 533. Gaſſend. Tom. I. Oper. f. 174. Gerhard. Tom. IX. Loc. p. 345. ſeqq. Caſman. Coſmop. p. 189. Voſſius theſ. theol. p. 256. 257. & amiciſſ. Spizelius de re lit. Sinenſ. ſect. 11. ubi & Sinicorum Philoſophorum de orbis interitu ſententiam proponit. Speciatim de *Heraclito* teſtis etiam Ariſtoteles III. Phyſ. 5. (conf. I. de cœl. 5. ubi & *Empedoclis* mentio,) & Clemens Alexandr. V. Strom. (f. 401. ed. Heinſ.) Qvi & ipſe ibidem f. 437. *Empedoclem Heraclito*, utrobiqve

biqve autem Stoicos adjungit. Apud Plutarchum tamen lib. de def. Orac. Cleombrotus, interitum mundi non admittens, & *Heracliti*, & *Orphei*, & *Heſiodi* verſibus hâc in re vim ait factam ab aſſertoribus Stoicæ conflagrationis. Verba ejus hæc ſunt è verſione Xylandri Tom. I. Moral. Plut. p. 521. *Audio & video hanc Stoicorum conflagrationem, quæ ut Heracleti & Orphei verſûs invaſit & pervertit, ita Heſiodum qvoqve arripit.* Sed omittamus veteres illos. De Peguſianis Jo. Petrus Maffeius lib. XVI. Hiſt. Ind. hæc refert p. 756. *Qvi apud eam barbariem ſapientes habentur, infinitos perpetuâ ſerie ac ſucceſſione Mundos ab omni æternitate conſtituunt, innumerabiles item Deos, qvorum aliqvot in ſingulis Mundis variante numero deinceps exiſtant. Qvi nunc volvitur, hunc Deos qvinqve habiturum affirmant: qvorum qvatuor abierint; poſtremum hunc ante 2099. annos ajunt è vita migrâſſe. Nunc ſine Deo ſunt. Poſt multorum annorum curricula venturum alium exſpectant: eo qvoqve demortuo Mundum hunc ingenti conflagraturum incendio, uti mox reparetur, ſuccedatq; moles nova, ſuos item Deos ac proprios habitura.*

TH. X. Qvatuor ſunt præcipuè capita, qvibus ſanam de hujus univerſi excidio doctrinam circumſcribere licet. Reſolvet enim illud DEUS (1.) ex liberrimâ voluntate *f*); & reſolvet (2.) ſolis exceptis intelligentibus creaturis *g*); & reſolvet (3.) in nihilum *h*); & reſolvet (4.) ut gemens creatura liberetur à ſervitute corruptionis *i*). Ex his primum ad *efficientem* ſpectat illius incendii cauſam, alterum ad *materiam*, ad *formam* tertium, qvartum ad *finem*.

f) Deficient enim creata *Deo faciem avertente*, Pſalm. 104, 29. h. e. influxum ſubtrahente. Qvi, ut in creatione, ſic in deſtructione, magis etiam liber eſt Deo, qvàm homini converſio faciei ad libitum.

g) Gerhard. Tom. IX. Loc. de conſumm. ſec. n. 26. p. 367. Hülſeman. Breviar. c. 16. n. 20. 21. p. 273.

h) Hülſem. d. l. Gerh. d. l. n. 24. p. 364. & n. 37. p. 381. ſeqq. qvi & n. *66*. p. 441. docet, annihilandum fuiſſe mundum, licet alio medio, etiamſi homo non peccaſſet. Calixtus mutationem ſubſtantialem hîc concedit p. 129. de ſuprem. jud. (in qvam ſententiam & qvosdam è Pontificiis citat p. 144. augendos è Gerhardo n. 47. p. 405.) annihilationem tamen abnuit. Hæc duo diſtingvit & è Calvinianis Spanhemius Part. III. Dub. Evang. 132. p. 710. & 745. certum habens, mundum non fore annihilandum, relinqvens interim in medio, ſubſtantialis ejus futura ſit mutatio, an accidentalis. Plura de hoc argumento dicemus ad theſ. XVI. lit. b.

i) Brochmand. Tom. II. Syſtem. Theol. artic. de ſec. conſumm. c. 1. ſect. 5. p. 7001. è Rom. 8. v. 19. ſeq.

TH. XI. Nihil horum reliqvit inſania ſectatorum Zenonis. Enimverò qvod ad *efficientem* attinet, non ex arbitrio Dei, ſed fatali naturæ neceſſitate *k*) finitis anni magni *l*) ſpaciis exarſura omnia docuerunt, cùm videlicet ebibiti tandem à ſtellis per tot ſeculorum ſpacia humores obſeqventem ignibus ſilvam reliqverint *m*); qvod ad *materiam*, omnia, & in his ipſas animas, genios, minores Deos *n*) converſum iri; nec in nihilum tamen, qvod ad *formam* referebamus, ſed in principia ſua *o*), ſpiritûs in Deum, corpora in Materiam *p*); & eo qvidem *fine* atqve exitu, ut Phœnicis inſtar, qvam fabuloſam avem dicas in hujus præcipuè commenti ſymbolum excogitatam eſſe *q*), Mundus idem numero, qvi ante, niſi qvòd de animabus res ambigua *r*), de favillis iterum progerminet,

net, eademq; fabula porrò circulatoriis vicibus in omnem æternitatem repetatur *s*).

k) Ait qvidem Seneca Stoicus III. Nat. Qv. 28. propè fin. *futuram conflagrationem, cùm* Deo viſum *ordiri meliora:* (Similis locutio apud eundem conſol. ad Marciam proximè finem:) ut putare poſſit aliqvis, excidium Mundi libero Dei arbitrio Senecam reliqviſſe. Sed agnovit Lipſius II. Phyſiol. Stoic. 22. p. 107: rhetoricum fucum, ideò gloſſam addidit: *Deo*, id eſt, *Fato*. Fatum autem Stoicum eſſe aliqvid libertati divinæ vincula parum honeſta injiciens, pluribus docebitur Diſſert. XIII. Ut adeò Stoicorum de conflagratione Mundi doctrina impietatis abſolvi non poſſit, & vel hoc ſolo fatalis naturalísve neceſſitatis nomine ſententiæ Chriſtianorum opponi mereatur. Atqve diſcrimen hoc obſervarunt, qvos lit. n. ad theſ. VI. citavimus omnes, Voſſio & Tatiano exceptis, qvi hîc illud urgent tantùm, qvòd nobis ſemel, illis per novas ſubinde vices Mundus eſt interiturus.

l) In Stoicorum placitis connexa hîc ſunt *Fatum, Annus magnus, Humores à ſtellis ebibiti*. Imperat qvaſi Fatum, cœtera duo famulantur. Sic in altero exitii genere, qvod ab aqvis, *æſtus Fati miniſterium* eſt Senecæ III. Q. N. 28. Cur ergò Lipſius loco lit. præc. citato *magnum annum* divellit à *Fato*, qvaſi qvi Mundi exitum ad Fatum referunt, aliud dicant, qvàm qvi ad annum magnum? Cùm enim de *Fato* Senecam fuiſſet interpretatus, inq; rem eandem Ariſtoclis qvoqve & Ovidii ſententias attuliſſet: *Aliqvi tamen*, pergit, *ad Magnum annum referebant*. An loqvendi tantùm in re unâ varios modos enumerare voluit? an ſenſus ipſos aliqvo modo diſtingvere? ut nempe qvi *Fatum* hîc nominant, cauſam ſibi *occultam* profiteantur, (vide judicium ejus de Senecâ ib. p. 108:) qvi *magnum annum*, è motu ſiderum non penitùs ignorabilem, atqve adeò utcunqve *manifeſtam*. Nam & in his commemorat, *qvi etiam cœli ſtatum & ſigna notarent, qvibus hæc eventura:* & ex his Beroſum, qvi arſura terrena contendit, qvando omnia ſidera in cancro convenient. Sed hæc diſtinctio minùs videtur ſolida. Nam nec *annum magnum* qvi dicunt, certam ejus periodum, in tantâ præſertim opinionum varietate, numeris accuratis manifeſtant ſtatim omnes: neqve *fatum* qvi nominant, neceſſe habent ut loqvantur tanqvam de ſibi occulto; alias nemo eſſet, qvi

qvi appellari poſſet *Fatidicus.* Ergò nihil vetat in hoc negotio Fatum anno magno copulare. Fecit hoc Cicero in Somn. Scip. (apud Macrob. lib. II. c. 10.) cùm *eluviones* memorat, *exuſtionesq; termrum*, *qvas accidere tempore certo* (anni puta magni, qvem paulò poſt c. 11. *verè vertentem* vocat,) *neceſſe eſt* (per fatum videlicet.) Similem locum Ariſtoclis qvære Diſſert. V. (qvam totam Anno magno impendemus) §. 36.

m) Faciet huc Diſſertatio VI. & inprimis ex eâ §. 6. & 7.

n) id qvod oſtendetur Diſſert. VII.

o) Fragmentum incerti Scriptoris Cenſorino adjici ſolitum c. 1. *Stoicorum opinio probanda, ---- ſive perpetuus, ſive longævus eſt mundus, & in flammas abit, & viciſſim ex flammis renovatur ac reſtituitur, durantibus tamen* principiis; *nec recidere ad* nihilum *videri poteſt, qvod in ſe deficit, & in ſe regignitur.*

p) ut ita res omnes in priſtinum chaos redeant: de qvo Diſſert. VIII.

q) Hâc de re copioſè agetur Diſſert. IX.

r) non enim eadem omnium Stoicorum de animabus redeuntibus fuit olim opinio, qvod docebit Diſſertatio X.

s) Vide Diſſert. XI.

Th. XII. Ad hos errores qvibus itineribus duxerit eos diabolus, non obſcurum eſt in eorum decreta intuenti. Deo coæternam eamq; increatam apponebant materiam *t*), & ſic apponebant, ut hæc duo qvaſi conglutinarentur Fato *u*), & ad eum qvidem modum, qvo anima conglutinatur corpori *vv*). Fato igitur natus Mundus, dum Deus ſubjectam ſibi materiam paulatim elaborat, denaſci qvoqve Fato debuit, & in eum ſtatum remigrare, qvem habuiſſet ante nativitatem, in qvo ſcilicet præter Deum & Materiam nihil eſſet reliqvi.

qvi. Ergò & pereundum ſic tandem fuit non magis corporibus qvàm animabus, & ita pereundum, ut non in nihilum tamen reciderent, ſed corpora in Materiam, animæ in Deum. Cæterum tali è ſtatu cùm ſemel potuerint illa duo principia in pulchritudinem perfectionemq; Mundi occultis auctibus matureſcere, nihil vetabat, idem fatali neceſſitate fieri vel millies per ſecula ſeculorum.

t) perinde ut alii gentiles: cum qvibus etiam Materiam faciebant principium mali, ut exponam Diſſert. XII.

u) Fato ſeu neceſſitate Stoicum Deum conglutinari materiæ monſtrabitur è Lactantio Diſſert. XIV. §. 16. Ipſum autem Stoicum dogma de Fato qvàm impium fuerit, totâ Diſſertatione XIII. explicabitur.

w) i. e. ad modum *formæ* non *aſſiſtentis*, ſed *informantis*. Copioſè hoc demonſtrabit Diſſertatio XIV.

TH. XIII. Hæc ergò Stoicorum tàm præclara conflagratio fuit Mundi, tàm ſimilis illi, qvam Chriſtiani profitemur, atqve tenebræ ſunt luci. Ut rectè pronunciaverit Baſilius *x)*, qvantò caſtarum pulchritudo præſtantiâ meretriciam exuperat, tantum eſſe inter noſtras & externorum ſententias diſcrimen.

x) Homil. 3. Hexaem. f. 16. Græca reperias & apud Calixtum p. 139. de ſuprem. jud. ὅσῳ τὸ ἐν ταῖς σώφροσι κάλλος τοῦ ἑταιρικοῦ προὐχόντερον, τοσοῦτον καὶ τῶν ἡμετέρων λόγων πρὸς τοὺς ἔξωθεν τὸ διάφορον.

TH. XIV. Enimverò fuit hoc immortalitatem animæ, mortalitatem viſibilis univerſi verbo fateri,

ri, ſenſu deſtruere. Qvomodo enim ſincerè immortalis Anima, ſi reſolvitur tandem in principium ſuum, dubium an reditura *y*)? Qvomodo corruptibilis Mundus, ſi perpetuâ ſui regeneratione par erit æternitati *z*).

y) Pertinebit huc Diſſertatio XV.

z) Mundi æternitas Stoica Diſſertationis XVI. argumentum erit.

TH. XV. Hæc ſi veteres qvidam ſtudioſiùs paulò perpendiſſent, ſpecioſisq; conſiliis, qvæ Gentilem Philoſophiam cum ſanâ Religione componere ſvadebant *a*), ſalutaria prætuliſſent: futurum erat, ut ſimul non ipſos modò Gentilium errores, ſed illud qvoqve temperamentum ſyncretiſticum, qvod ex confuſione cœleſtis doctrinæ cum profanâ tertiam qvandam gignit, neutri per omnia ſimilem, caverent. Multæ ſic poterant præveniri tùm opiniones minùs commodæ, tùm hæreſes qvoqve manifeſtæ, qvæ formoſum aliàs Eccleſiæ corpus ſive ut *nævi* dehoneſtarent, ſive inficerent ut *ulcera*.

a) Veteres Eccleſiæ Patres, ut Ethnicorum Philoſophiam cum Chriſtianis dogmatibus aliqvo modo conciliare tentarent, aut harmoniam utriusqve oſtenderent, tres inprimis moviſſe videntur cauſæ, triſtes eventu qvidem, ſed in ſpeciem non inhoneſtæ. *Una* Ethnicos reſpiciebat mitioris ingenii ac flexibiles; *altera* ſuperbos & opinione ſapientiæ inflatos; *tertia* ſubſannatores Chriſtianæ religionis, ut abſurdæ. Flexibiles, ut allicerent profeſſione dogmatis non novi, ſed jam per varias Gentilium doctrinas diſperſi; ſuperbos, ut horum ſuperci-

percilium frangerent, ſi ſua, qvibus veritatem è noſtris Prophetis ſublegiſſent, furta ponerent illis ob oculos; ſubſannatores, ut ablegarent ad ſuos ſimilium dogmatum defenſores. Ad *primam* ex his cauſam hoc Lactantii pertinet lib. VII. initio capitis 25. *Hæc ſunt, qvæ à Prophetis futura dicuntur, qvorum teſtimonia & verba ponere opus non eſſe duxi; —— ut ea ipſa, qvæ dicerem, non noſtris, ſed alienis potiſſimùm literis confirmarem, doceremq́; non modò apud nos, verùm etiam apud eos ipſos, qvi nos inſectantur, veritatem conſignatam teneri, qvam recuſant agnoſcere.* Ad *ſecundam* illud Minucii Felicis p. 77.78. ed. Wovver. ſuprà jam Theſ. VII. citatum: *Animadvertis, Philoſophos eadem diſputare* (de Mundi incendio,) *qvæ dicimus, non qvòd nos ſimus eorum veſtigia ſubſecuti, ſed qvòd illi de divinis prædictionibus prophetarum umbram interpolatæ veritatis imitati ſunt.* Furta Græcorum è Moſe & Prophetis paſſim detegere conatur. Clemens Alexandrinus in libris Stromat. Ad *tertiam* iſthoc Origenis contrà Celſum lib. V. p.m. 244. *Age oſtendamus, viros etiam in rationali conſideratione, & dialecticis conſiderationibus non contemnendos, in eàdem fuiſſe ſententiâ.* Statim autem narrat conflagrationem mundi & renovationem ſecundùm Stoicos.

TH. XVI. *Nævis* eqvidem annumeranda venit ſententia, qvæ mundo huic accidentalem tantùm, non eum, qvi ſecundùm ſubſtantiam ſit, interitum vaticinatur, multis S. Patrum perſvaſa *b*). *Ulceribus* autem haud dubiè capitalis ille, minimeq́; tolerandus error de novis unius poſt alterum Mundi per omne ſeculum ſucceſſionibus *c*).

b) B. Gerhardus Tom. IX. Loc. de Conſumm. ſec. c. 5. ubi locum hunc tractat ex profeſſo, hæc præmittit: 1. *Non diffitemur, multos ex piis veteribus in eandem concedere opinionem, qvòd Mundus non κατ' ὐσίαν ſit interiturus, ſed κατὰ ποιότητας duntaxat immutandus*, p. 387. ubi nomina qvoqve ipſorum & verba leges. 2. *Proinde ſententiam de ſubſtantiali Mundi Φθορᾶ ſeu interitu non defendimus ut fidei articulum, ad ſalutem ſcitu ac creditu ſimpliciter neceſſarium, ſed eam empha-*

 ticis

ticis ſcripturæ dictis, qvæ de fine Mundi loqvunt r, magis conſentaneam eſſe dicimus, p. 384. 3. *Ex eo porrò conſeqvens eſt, illis, qvi contrariam opinionem amplectuntur, ac per ἀλλοίωσιν Mundi tranſitum definiunt, non eſſe dicam. hæreſeos ſcribendam*, ib. & p. 385. Simili modeſtiâ utitur Voſſius theſ. Theol. Diſp. XVIII. p. 248. tametſi impulſus autoritate veterum, ingenti catalogo enumeratorum, magis probat ſententiam, qvæ mundum non ἁπλῶς periturum, ſed duntaxat renovandum cenſet. Conf. Spanhem. Part. III. dub. Evangel. 132. p. 705. & 710.

c) Qvæ de Mundis innumerabilibus per æterna ſibi ſecula ſuccedentibus proferuntur, *maximè hæreticis* annumerat Hieronymus loco, qvem Differt. XVII. §. 3. proferemus; *magis mira vel delira* vocat Calixtus p. 140. de ſupr. jud. *qvàm ſint Stoicorum aut Epicureorum dogmata*; Johannes Fechtius Diſp. de Origene ſub præſidio Dn. D. Joh. Meiſneri hab. Witeb. th. 47. erroribus accenſet; *qvi propemodùm cum majore fidei noſtræ periculo conjuncti ſint, qvàm ille de præexiſtentiâ animarum*.

TH. XVII. Utriqve vitio ſuccubuit Origenes. Nam & Mundum docuit *ſine interitu ſubſtantiæ* in melius qvoad accidentia ſola mutatum iri *d*): & illam de *innumerabilibus mundis*, qvorum alter qvisqve in alterius locum ſufficiatur, hæreſin ſatis apertè propugnavit *e*): non facturus, niſi ut alibi Platonicam, ita hîc Stoicam Philoſophiam *f*) tanti habuiſſet, ut qvas ex ejus cum ſacris dogmatibus commixtione opiniones neutras *g*), ipſe fuerat enixus, Eccleſiæ placere ſperâſſet poſſe.

d) *Cœlum & terram ſine interitu ſubſtantiæ in melius qvoad accidentia ſola commutatum iri, primus, nî fallor, ſcripſit Origenes*, verba ſunt Calixt. p. 127. de ſupr. jud. Qvi & mox locum ejus è I. περὶ ἀρχ. profert. Bene autem, qvod addit, *nî fallor*. Ante ipſum enim eadem ſententia fuerat Irenæi, de qvo vide Gerhard. Tom. IX. Loc. p. 381. & Voſſ. theſ. Theol. p. 248.

e)

e) Mundos ex Origenis opinione ſucceſſivè innumerabiles argumentum fecimus Diſſertationis XVII.

f) Docebit hoc Diſſertatio XVIII.

g) Neutraliſmus Origenis in hoc argumento exhibebitur Diſſert. XIX.

TH. XVIII. Porrò qvis eorum qvoqve delicia, qvi è certis ſiderum poſitionibus fatalem mundo terminum prædicare geſtiunt *h*), qvi item animas noſtras in Deum tandem abſorptum iri declamitant *i*), neget germana eſſe ſomniis Stoicorum, aliorúmve Gentilium, qvi fato ſidereo *k*) omnia tribuebant, aut animas ex Deo ut fonte *l*) derivabant, in eundem olim refundendas?

h) Petrus Aliacenſis Cardinalis ut in libro ſuo de concordiâ hiſtoriæ & Aſtrologiæ divinatricis etiam Diluvium Noæ, Natalem Domini, & miracula ejusdem omniaq; prodigia ex Aſtrologiâ hâc præſciri ac prædici potuiſſe arbitratus eſt: (Voſſ. c. 38. de ſcient. Mathem. §. 14. p. 215.) ita in eodem tractatu obtrudit annum 1789. (Delr. in Senec. Octav. p. 536.) in qvo Mundi finis futurus ſit. Simili inſaniâ laboraverunt, qvi tempus illud ex Cabalâ & numeris deprehendere ſunt conati, ut *Jo. Picus Mirandula*, cujus ſupputatio in annum 1994. incidit, & *Michael Stifelius*, (Arithmeticus aliàs inſignis,) qvi annum 1533. nominaverat, ſed eo eventu, ut vanitati prædictionis ſuæ vivus intereſſet, (à qvo tempore ad ſaniora conſilia rediiſſe ipſum novimus.) De qvibus & horum ſimilibus legantur Delrio d. l. & Raderus ad IX. Martial. epigr. 63. f. 69.

i) Johannes Ruysbrochius in lib. de verâ contemplatione cit. Gisb. Voetio c. 3. de Exerc. piet. p. 85. 86. notavit qvosdam ſui temporis falſos prophetas (pſeudomyſticos doctores,) qvi ejus eſſent ſententiæ, ut *animas ſuas ex Dei ſubſtantiâ creatas* affirmarent, *cumq; mortui fuerint, rurſum ſe futuros eſſe id, qvod anteà fuerint, perinde ut ſcyphus aqvæ hauſtus ex fonte, ſi in ipſum fontem refundatur, idem eſt,*

qvod fuit prius. Paucis interjectis ait, eos addere, *poſt extremum judicii diem omnes omninò homines, malos æqvè ac bonos, & ſimul Deum ipſum non niſi unam eandemq; Dei eſſentiam, qvæ in omnem æternitatem absq; ullâ actione ſemper otio vacatura ſit, eſſe futuros.* Confer qvæ de Amalrico damus Diſſert. XIV. §. 99. & in Schediaſm. Hiſtor. p. 59. & 65.

k) Fatum Sidereum argumentum faciemus Diſſertationis XX.

l) De *Fonte Animarum* agetur Diſſert. XXI.

Th. XIX. Hæc ergò mecum cogitans, ſæpè in eam ſententiam deſcendo, meliùs eos de fide ſacrâ, certè ſi conditionem ætatis noſtræ locorumq; adſpicio, qvibus cauſæ aliter agendi ceſſant *m*), mereri, qvi diſcordiam profanæ philoſophiæ cum Chriſtianâ intercedentem fideliter detegunt *n*), qvàm qvi tenebras inter & lucem paciſci pergunt *o*).

m) Nam per Dei gratiam non ampliùs offeruntur nobis, in his provinciis Romani certè imperii, gentiles convertendi, aut adverſùm eorum oblocutiones defendenda fides. Qvorum finium contemplatione primarum Eccleſiarum Patres aliqvid huic conciliationi (licet infeliciter) dediſſe monſtravimus lit. a. ad Theſ. XV. Neqve compertum eſt, qvi adhuc alibi degunt Gentiles, hoc armorum genere expugnari aut flecti poſſe.

n) Paucos novi. Sed eximiè hoc egit *Jo. Baptiſta Criſpus Gallipolitanus*, Pontificius ſcriptor, in opere de Ethnicis Philoſophis cautè legendis: qvanqvam ejus operis neſcio an ultra Qvinarium primum, qvi eſt de Platone cautè legendo, Romæ A. 1594. excuſum, qvicqvam prodierit. Qvem Scriptor hic animum ad eos libros attulerit, vel hæc ejus verba produnt f. 36. — *qvod ſatis abundè & ad ſatietatem usq; fecerunt alii, qvi de perenni Philoſophiâ ſcripsére.* (Aug. Steuchum tacitè perſtringit,) *qvippe qvibus adeò placuit noſtra vera dogmata ad Gentilium ſenſûs potiùs referre, qvàm ipſos ex noſtris confutare, ut penè pudor ſit, videre*

dere ipſos præ dulcedine non ſemel aut bis, ſed centies lacrymari volentes. Qvaſi verò qvàm bellè verum vero conſonet, (profanis & ſacris utrimq; collatis,) animadverterint! Res certè & doctis viris exoſa, & qvæ Eccleſiaſticis omnibus nauſeam ſemper movit, qvando pro noſtrorum temporum calamitate indicata confutâſſe, qvàm confutanda laudâſſe præſtitiſſet. Qvaſi verò etiam nos, poſtqvam à Chriſto veritatem præaſſertam, ejusdem vocis oraculo manifeſtatam habuerimus, amplius Gentilium lectione indigeamus, & illorum delirамentis Andabatarum more ferientibus ad vivam veritatem reſecandam indigeamus, & vivi videnteſq; cæcis indicantibus ſalutem nobis præparemus. Qvæ qvidem res qvantum detrimenti ſingulis temporibus Eccleſiæ ſanctæ obfuerit (obtulerit.) *ſatis hæreſes ferè innumeræ ex Gentilum fontibus exhauſtæ nobis indicant, ſatis de eâdem ſanctiſſimi Patres conqveruntur, ſatis Concilia ſancta proclamant.*

o) Faciunt hoc, ut è multis paucos nominem, *Auguſtinus Steuchus Eugubinus* de perenni Philoſophiâ, *Philippus Mornæus* de veritate Religionis, *Mutius Panſa* de oſculo ſeu Conſenſu Ethnicæ & Chriſtianæ Philoſophiæ, *Galielmus Poſtellus* (hæretici infamiâ notatus,) de Orbis Terræ concordiâ, *Livius Galantes* de comparatione Chriſtianæ Theologiæ cum Platonicâ ſcribentes.

TH. XX. Neqve verò tàm incitare nos debet ad diſſimulandos Gentilis Philoſophiæ morbos metus, ne his retectis Novatorum in movendis diu receptæ doctrinæ terminis conatum adjuvare velle videamur, qvàm ab illo propoſito retrahere amor ingenuus hiſtoricæ veritatis, miſerum in modum ab iſtis conciliatoribus afflictæ *p*). Qvæ ſi reſtituatur, hoc etiam nobis commodi promittit, ut putatis utrinqve ex vero rationibus perſpicuè intelligamus, qvam unicam veritatis illi, qvi fuerunt extrà Eccleſiam, conſervarint, viciſſim, qvot libras, dum Patri mendaciorum auſcultant, decoxerint.

C 3 *p*) Ni-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

p) Nihil fœdiùs corrupit nobis hiſtoriam Philoſophicam, qvàm tentatæ hinc Platonis, illinc Ariſtotelis, iſtinc Stoicorum aliorúmve Gentilium cum Chriſtianâ fide conciliationes. Attamen præſtat, inqvies, veterem hiſtoriam ignorare, qvàm præſentem Reip. literariæ ſtatum convellere. Sanè verò præſtat. Verùm convellere cenſendi ſunt, non qvi partem *hiſtoricam*, ſuperioribus ſeculis tantùm non penitùs neglectam aut amiſſam, recuperare ſtudent, ſed qvi *dogmaticum* Philoſophiæ corpus, qvod ſecundùm Ariſtotelis reformata placita utcunq; tolerabiliter valens hactenus habuimus, aut novis indies exſtructionibus labefactare, aut veteribus permutare pejoribus. Omninò autem aliud eſt, conſvetam Scholæ Peripateticæ doctrinam impugnare, aliud, oſtendere, qvantum in eâ debeamus Ariſtoteli, qvantum interpretibus Chriſtianis. A qvibus vomicas ejus pleraſq; aut ignoratas fuiſſe, aut etiam ſtudioſè velatas, clarius eſt per eruditionem ſeculi præſentis, qvàm ut negari poſſit diutiùs. Itaq; Novatoribus illi, qvi veterem de conſenſu Ariſtotelis cum ſacrâ Scripturâ cantilenam repetunt, nihil aliud movent qvàm aut riſum, aut miſerationem. Hoc rerum ſtatu, ad ſubſtantiam doctrinæ qvod attinet, in eâ libenter perſevero, neq; temerè Novatoribus qvicqvam gratificor, cùm periculoſa res ſit ea movere, qvæ tot ſeculorum diætâ continuâ in ſuccum Scholarum (ut ita loqvar) & ſangvinem abierunt. At hiſtoriæ res ubi agitur, non poſſum impetrare à meo pudore, ut, qvos æthiopes video, cygnos aliis coner perſvadere. Sed hâc de re plura dixi tùm in Oratione de *Syncretiſmo Peripatetico*, tùm in Programmatibus duobus Anni 1665. qvorum in altero contrà *Libertinos*, in altero contrà *Novantiqvos* diſſerui.

Th. XXI. De me qvidem illud fateor, creſcere in me devotam Deo pietatem, inq; agendas Clementiſſimo Patri gratias non leviter animari me, ubi ſentio, infantibus nobis ea eſſe, in rebus etiam ad obſcuritatem naturæ pertinentibus revelata, qvæ tot ſapientibus ſeculi fuerunt abſcondita. Nec puto peccare me, ſi ſimilem affectum Lectoribus meis ingenerare ſtudeam. Ergò ſi vel hæc ſcriptiuncula momenti aliqvid eam ad rem contulerit, abundè me fructuum percepiſſe exiſtimabo.

DIS-

DISSERTATIO I.

ad th. IV. b.

Dæmonia, mali genii.

§. I.

DIis Gentilium Sacræ literæ paſſim Dæmoniorum nomen imponunt. E Veteri Teſtamento loci occurrunt, Pſalm. 96. v. 5. *Omnes dii gentium dæmonia.* Devt. 32. v. 17. *Immolaverunt dæmoniis & non Deo.*

§. 2. Utrobiqve τῶν δαιμονίων vocabulo uſi ſunt & Septuaginta. Sed in Hebræis fontibus David. qvidem ea vocat אֱלִילִים, h. e. *nihili*, ut eſt in Bibliis Tigurinorum, (Lutherus vertit Götzen / alii *Deunculos*, vel *Deaſtros*;). Moſes autem שֵׁדִים, qvi omninò ſunt *Spiritûs mali ac perditores.* Qvare Tigurini reddiderunt *cacodæmonas*, Lutherus Feld-Teufel.

§. 3. Fagius in Paraphraſin Onkeli Chaldaicam hunc in locum eâ de voce ſic commentatur: שדים *Schedim creduntur eſſe noxii Spiritûs, qvi ex aqvis prodeant, qvos antiqvitas pro diis coluerit. A devaſtando vox formata eſt, qvòd bonum animum perdant, maliśq; interimant opinionibus & affectibus, qvod qvidem generale eſt idololatriæ ſive ſuperſtitionis.*

§. 4. Eodem vocabulo utitur & Regius Pſaltes Pſalm. 106. v. 37. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* Ubi iterum τὸ שֵׁדִים LXX. verterunt δαιμόνια, Lutherus Teufel.

§. 5. Ad locum Devteronomii haud dubium, qvin reſpexerit Apoſtolus 1. Cor. 10. v. 20. ἃ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει, καὶ οὐ θεῷ. *Quæ immolant gentes, dæmoniis* (Lutherus; den Teufeln/) *immolant, & non Deo.* Sunt ergò Apoſtolo qvoqve *dæmonia* idem, qvod Moſi שֵׁדִים, h. e. Spiritûs perditi, ac perditores.

§. 6. Ac vetuſta obſervatio eſt, *dæmonis* ſeu *dæmonii* vocem, qvæ gentilibus erat τῶν μέσων, & inferioris ſubſellii deos deſignabat, jam

jam bonos ac mediatores, jam malos atqve hoſtes, in fontibus Novi Teſtamenti nuſpiam aliter, qvàm pro malo ſpiritu, ſeu diabolo uſurpari.

§. 7. Euſebius lib. IV. præp. Evang. c. 5. (qvod in Trapezuntii verſione tertium eſt,) f. 141. 142. edit. græcolat. Vigeri: *τὰ μὲν παρ' ἡμῖν θεῖα λόγια ἐδ' ὅλως ἀγαθὸν οἶδεν ὀνομάζειν δαίμονα, πάντας δὲ πονηρὲς εἶναι τὲς τῆς λέξεως ταύτης, καὶ δὴ καὶ τῆς προσηγορίας μετειληφότας.*

§. 8. Idem Euſebius ejusdem libri cap. 15. (aut ſecundùm Trapezuntium 6.) argumentis etiam confirmat, qvòd omnes dæmones, (qvos loco Deorum gentilitas venerata eſt,) mali ſint.

§. 9. Pſellus apud Steuch. Eugubin. VIII. de perenni Philoſ. 20. p. 516. *ὁ μὲν Χαλδαῖος τινας μὲν τῶν δαιμόνων ἀγαθὲς, τινὰς δὲ κακὲς τίθεται, ὁ δὲ ἡμέτερος εὐσεβὴς λόγος πάντας κακὲς ἐρίζεται ἐκ προαιρετικῶν ἀποπτωμάτων τὴν κακίαν ἀνταλλαξαμένες τῆς ἀγαθότητος.*

§. 10. Ergò *cùm illi, qvos Gentiles inter dæmones & conſecratas Heroum ſuorum animas receperunt, reverà nihil niſi ſpiritûs maligni fuerint: — ideò dico, Scripturam ſacram vocem δαιμόνια ſumere pro eo, qvod reverà erant, non verò pro eo, qvod eſſe videbantur*, verba ſunt Joſephi Medi p. 38. de Apoſtaſiâ noviſſ. temporum.

§. 11. Qvi tamen p. ſeq. mox negat, hoc in ſacro codice conſtanter & perpetuò fieri, & p. 43. ipſum 1. Cor. 10, 20. textum pro ſe citat: ſed non absqve violentiâ, non absqve inſigni emphaſeos graviſſimæ detrimento: nimirum ut ſalvet interpretationem ſuam loci de doctrinis dæmoniorum 1. Tim. 4, 1. qvam Theologis judicandam relinqventes hoc loco non excutimus.

§. 12. Exiſtimat autem, *doctrinas dæmoniorum* ibi vocari ex reſpectu non tàm ad cauſam efficientem, qvàm ad objectum, ut ſignificentur doctrinæ de cultu Sanctorum, adoratione reliqviarum, & ſimilibus in Regno Pontificio ſuperſtitionibus, (alios præter Chriſtum mediatores qværentibus,) qvæ ad vivum nobis Theologiam Gentilium de dæmonibus (*διδασκαλίας δαιμονίων*) referant. Ipſum vide p. 11. & 36. Sed hæc ejus interpretatio, ut dixi, judicio Theologorum eſto permiſſa.

§. 13. Certum interim, neqve hoc negat Medus, Dæmones illos, qvi in religioſam ſui venerationem Ethnicos induxerunt, qvocunqve iſti miſeri eos habuerint loco, malos genios fuiſſe omnes. Cujus rei conſcientiâ factum aliqvis opinetur cum Ludovico Alphitandro apud Reineſium D. 2. de Deo Endovellico, ut ævi ſuperioris nationes ſub auſpiciis Chriſtianæ religionis nomina ſua idololatrica, qvalia Kobald/Faland/Krodo/ in cognitum jam Idololatriæ autorem Cacodæmona abjicerent: qvod tamen in dubium vocat ibidem Reineſius F. 1.

§. 14. Certum illud qvoqve, *Dæmonis* vocabulum malè vulgo audiiſſe inter Chriſtianos. Igitur Socrates III. Hiſtor. Eccleſ. 19. f. 637. (vid. & Tripartit. VII. 2. & Niceph. X. 36.) ridet Libanium, qvòd his verbis Julianum mortuum in oratione lugubri compellâſſet: *ὦ δαιμόνων τρόφιμε, δαιμόνων δὲ μαθητὰ, δαιμόνων δὲ παρεδρευτά*: qvòd, aliter qvidem intelligens, ſed tamen ambiguum nomen non declinans, eadem viſus eſſet dicere, qvæ Chriſtiani per opprobrium dixiſſent: *ἀλλ' οὖν γε τὴν ὁμωνυμίαν τοῦ χείρονος μὴ ἐκκλίνας ταῦτ' ἔδοξε λέγειν, ἃ καὶ οἱ Χριστιανοὶ ὀνειδίζοντες λέγουσιν.*

§. 15. Etiam *Origenes*, ut Raynaudus obſervat Theol. natur. diſt. 3. n. 125. p. 192. *Celſum arguit, qvi Chriſtianorum de Angelis ſententiam impugnans ſcripſerat*, de Chriſtianorum ſententiâ Angelos eſſe genus dæmonum. *Hoc reprehendit Origenes, dicens, nomen Dæmonis non eſſe indifferens ad bonas & malas Intelligentias*, nempe in ſacris literis & apud Chriſtianos, *ut affirmaverat Celſus, qvamvis aliud eſſet apud Philoſophos.*

§. 16. Origenis verba ſunt V. contrà Celſum p. 234. ed. Spenceri; *οὐχ ὁρῶν, ὅτι τὸ τῶν Δαιμόνων ὄνομα οὐδὲ μέσον ἐστὶν, ὡς τὸ τῶν ἀνθρώπων, ἐν οἷς τινες μὲν ἀστεῖοι, τινὲς δὲ φαῦλοί εἰσιν· οὐτ' ἀστεῖον, ὁποῖόν ἐστι τὸ τῶν θεῶν. ---- ἀεὶ δ' ἐπὶ τῶν φαύλων ἔξω τοῦ παχυτέρου σώματος δυνάμεων τάσσεται τὸ τῶν Δαιμόνων ὄνομα, πλανώντων καὶ περισπώντων τοὺς ἀνθρώπους, καὶ καθελκόντων ἀπὸ τοῦ Θεοῦ καὶ τῶν ὑπερουρανίων ἐπὶ τὰ τῇδε πράγματα.* Ubi rectè Index, velut commentarii vicem præſtans, lit. D. *Dæmonum vox* in ſcripturis *ſemper ſumitur pejore ſenſu.*

§. 17. Porrò inde factum, ut Chriſtianis *δαίμων*, qvem Gentiles honorificâ notione, qvaſi *δαήμονα*, id eſt, ſcientem ſeu ſapientem, dictum videri vellent, inhoneſtis etymologiis proſcinderetur: qvaſi

 eſſet

eſſet à δαΐζω, occido: ita Tzetzes Chil. XII. n. 874. vel παρὰ τὸ δειμαίνειν, ὅπερ ἐστὶ φοβεῖσθαι καὶ ἐκφοβεῖν, qvòd timeat ſimul ac terreat; (qvanqvam activam hanc terrendi ſignificationem de verbo δειμαίνειν tacent Lexicographi.) Legere autem eſt hanc originationem apud Euſebium IV. præp. Evang. c. 5. (Trapezuntio 3.)

§. 18. Euſebio Raynaudus d. l. n. 124. p. 191. jungit Eugubinum, tanqvam eum, qvi & ipſe vocis aliqvam notationem, qvæ in malam partem ſonet, excogitaverit, dum lib. VIII. de perenni Philoſophiâ c. 19. exiſtimet, *dæmones ab hebræâ voce* Sdaim, *rejectâ priore literâ, dictos eſſe* daim, *qvaſi fortes & everſores aut vaſtatores.* Ita eſt, legitur in hanc ſententiam nonnihil apud Eugubinum: verùm is profectò non tam id agit eo loco, ut ignominiam vocabulo conflet ex etymo, qvàm ut oſtendat potiùs, factam ethnicis diis fuiſſe qvandam nominis divini communicationem, ab iis puta, qvi hos dæmones etiam honeſto haberent loco.

§. 19. Verba ejus adſcribo è p. 513. *Hebraicè* Schadai *dicitur Deus & Dæmon.* --- *Videntur itaq; Græci illi vetuſtiores rejectâ priore literâ aut junctâ cum ſeqventi vocaſſe* Daimones, *qvi dicuntur hebraicè* Sdaim, *ut, ſi rejicias priorem conſonantem, fiat* Dai, *in numero multo* Daim. *Qvod ne cuiqvam mirum videatur, norit, plerag; nomina hebraica in lingvâ græcâ vel detractis ſyllabis, vel auctis inveniri.* Qvod ubi confirmâſſet aliqvot exemplis, pergit: *Et hebraicè nomen* Sdai *Dei omnipotentis, fortis. In numero multo* Sdaim *ſemper dæmones malos deſignat. Dicitur autem nomen à verbo hebraico* Sadad, *evertere, vaſtare: inde nomen fortis & omnipotentis. Ut igitur in cæteris divinis nominibus hebraicis, græcis & latinis communicatio fuit cum hominibus, ſuperioribusq́; ſubſtantiis, (etenim* Elohim, *qvod Dei nomen eſt, etiam Angelis & juſtis hominibus eſt attributum; erant item dii gentium hoc nomine dicti; Græci autem* θεὸν *non illum modò verum ſingularem unicumq́; Deum, ſed multos alios appellarunt, item & latini:) ſic videtur nominis divini* Sdai *facta dæmonibus ſpiritibusq́; malis communicatio. Niſi malis opinari vocatos* Sadaim, *qvaſi everſores, deſtructores: ſed ut dixi, id etiam eſt in ſacris literis nomen omnipotentis Dei. Videtur igitur rectius, arbitrari, id nomen datum eis ex communicatione & ſimilitudine, qvòd ſint poteſtates ſuperiores Angelis ſimiles. Proinde ſimile nomen obtinuerunt.*

§. 20.

§. 20. Putavit igitur Eugubinus, τῶν δαιμόνων vocabulum eſſe ab aliqvo hebraico, qvod ſingulari numero Deum verum, plurali non niſi malos genios deſignet. Sed hoc eſt confundere duo vocabula שַׁדַּי & שֵׁד, qvorum prius ipſe Deus ſibi vendicat Gen. 17. v. 1. *Ego Dominus omnipotens* (שַׁדַּי;) poſterius numero plurativo (שֵׁדִים) Cacodæmonibus tribui è Devt. 32. v. 17. & Pſal. 106. v. 37. cognovimus ſuprà §. 1. 2. 4.

§. 21. Qvanqvam igitur ferri qveat alluſio, ſi qvis Gentilium dæmones à *Schedim* nominatos pronunciet: tamen aliud eſt *Schedim*, aliud, (ſi à שדי plurale fingas,) *Schadaim*, vel ſi cum Eugubino priores ſyllabas contrahas *Sdaim*. Similiter aliud in ſingulari *Sched*, (notum illud Judæorum Chriſtianos hebraiſmi neſcios ignominiosè excipientium, Schedo wiütein,) aliud *Schaddai*.

§. 22. Eqvidem utrumqve derivari video à שָׁדַד *vaſtavit*, cumq; inter DEI nomina ſit *Schadai*, rationem reddi, qvia qvâ potentiâ omnia creavit, eâdem omnia vaſtare & in nihilum redigere qveat, (Buxtorf. Lex. p. 770.) haud ſcio tamen, an non ſatius ſit illis accedere, qvi nomen ſanctiſſimi Numinis compoſitum volunt ex pronomine inſeparabili שׁ & דַי *ſufficientia*, (Buxt. ibid. p. 138.) ut notetur ὁ αὐταρκέστατος, nec ex eodem fonte nomen Dei pariter & Diaboli derivetur.

§. 23. Maneat hoc interim, minùs aptè vocem dæmonis, qvam ne Gentiles qvidem Supremo Numini, ſed minoribus tantùm diis tribuere ſoliti ſunt, (unde τοῦ δαιμονίου qvoqve appellatio minorem dignitatem, qvàm τοῦ θείου præ ſe ferebat,) à nomine arceſſi, qvod ſibi ſoli ſervavit Deus.

§. 24. Citiùs apud me plauſum inveniat Georgii Hornii inventum, græcam ἀπὸ τοῦ δαίμονος etymologiam, qvâ Gentiles honorem dæmonibus ſuis qvæſiviſſe dictum eſt §. 17. ita exponentis, ut in opprobrium apoſtatarum ſpirituum res abeat. Exiſtimat enim lib. I. Hiſtor. Philoſ. c. 2. p. 10. (conf. cap. 8. p. 46.) Angelos malos ideò felicitate omni excidiſſe, *qvòd ſcientiæ affectatione ipſum præ ſe Deum contemnerent*, atqve hinc factum cenſet, ut δαίμονες vocarentur, qvaſi δαήμονες: qvo pacto idem ſint δαίμονες qvod ידענים Levit. 20. & alibi, (conf. Bodin. II. de Mag. dæmonom. 3. p. 273. 274. & Selden.

 Syn-

Syntagm. I. de DIs Syr. c. 2. p. m. 121.) qvos *bariolos* reddi ſcimus à vulgatâ, à Septuaginta-virali modò ἐπαοιδὰς, ut Lev. 20. v. 6. modò γνώστας, ut I. Sam. 28. v. 9. qvæ vox ultima qvoad ſenſum proximè accedit ad illam τῶν δαιμόνων.

§. 25. Sed qvicqvid ſit de etymo, (de qvo plura ſuppeditabit Martinius Lexic. Philolog. f. 557.) vox ipſa *Dæmonum* Chriſtianis ſententiam ſuam eloqventibus vix aliter, qvàm in malam uſurpata partem eſt.

§. 26. Imò cœpit ipſos qvoqve Gentiles ſuppudere vocabuli. Auguſtinus VIII. de Civ. Dei 14. f. 467. *Non eſt Socrati amicitia Dæmonis gratulanda, de qvâ adeò & ipſe Apulejus erubuit,* (ſic lego, poſtulante ſenſu, pro, *non* erubuit,) *ut de Deo Socratis prænotaret librum, qvem ſecundùm ſuam diſputationem, qvâ Deos à Dæmonibus tàm diligenter copioſeq́; diſcernit, non appellare de* Deo, *ſed de* Dæmone *Socratis debuit. Maluit autem hoc in ipſâ diſputatione, qvàm in titulo libri ponere. Ita enim per ſanam doctrinam, qvæ humanis rebus illuxit, omnes, vel pæne omnes, Dæmonum nomen exhorrent, ut qvisqvis ante diſputationem Apuleji, qvâ dæmonum dignitas commendatur, titulum libri de dæmone Socratis legeret, neqvaqvam illum hominem fuiſſe ſanum ſentiret. Qvid autem etiam ipſe Apulejus, qvod in Dæmonibus laudaret, invenit, præter ſubtilitatem & firmitatem corporum, & habitationis altiorem locum? Nam de moribus eorum, cùm de omnibus generaliter loqveretur, non ſolùm nihil boni dixit, ſed etiam plurimum mali.*

§. 27. Plura ſuggeret Raynaudus Theol. nat. p. 192. ſed inprimis Aug. Steuchus Eugubinus lib. VIII. de perenni Philoſ. qvi totis penè decem capitibus à 26. usqve ad 36. operosè hoc agit, ut probet, à vetuſtiſſimis etiam gentilibus dæmonum nomen vel ſolis geniis malis, vel his certè magis, qvàm bonis inditum fuiſſe. *Ut Tyrannus*, inqvit c. 33. p. 544. *fuit omnium Imperatorum Regumq́; bonorum ac malorum nomen, poſteà ad malos ſolos recidit: ſic Dæmon commune cœleſtibus excluſisq́; è cœlo nomen, recidit ad excluſos tantùm ac ſceleratos.*

DIS-

DISSERTATIO II.

ad th. VIII. s.

Qvatuor Græcorum Sectæ præcipuæ; Platonica nimirum, Ariſtotelica, Stoica, & Epicurea.

§. I.

QVatuor olim præcipuæ fuerunt Philoſophorum in Græcia ſectæ, *Platonis* una, *Ariſtotelis* altera, *Stoicorum* tertia, qvarta *Epicuri*. Harum ultimos fontes alibi jam à me breviter detectos, (Schediaſm. hiſtor. p. 29. n. 6. & ſeqq.) memor promiſſi ibidem (n. 11.) facti ſcrutari ſaltem aliqvâ ex parte paulò profundiùs jam conabor, cùm videatur hæc diligentia polliceri nobis clavem tùm ad alia Gentilis Philoſophiæ dogmata citiùs intelligenda, tùm ad illud de duratione Mundi colluſtrandum apertiùs.

§. 2. Conſentiebant omnes Sectæ, duo æterna eſſe, Deum & Materiam, qvorum neutrum ſit alterius procreatrix cauſa. Sic autem diſcernebant: Deus ſapiens, Materia bruta. Ille maximè compos rationis, hæc impos. Digna res ergò Deus illis viſus, qvem boni omnis, Materia, qvam cujusvis mali principium facerent. Qvæ Plutarchus hîc turbat, infrà Diſſert. XII. §. 9. & ſeqq. commodiorem habebunt examinandi locum.

§. 3. Porrò cùm rationem Voluntas, hanc Libertas ſeqvatur indiviſa comes, non poterant Libertatem operandi aut negare Deo ſibi relicto, aut attribuere Materiæ.

§. 4. Ac Materiæ qvidem neceſſitatem maximam omnes æqvaliter dabant: Deo libertatem tantò minorem qvisqve, qvantò arctiùs eam materiæ connecteret, aut immergeret profundiùs.

§. 5. *Platoni* maximè, ſed ut inter Gentiles Philoſopho, liber Deus. Credidit enim Mundum ex libero Dei cum materiâ congreſſu extitiſſe: cùm *Ariſtoteles* contrà & *Stoici*, (de *Epicuro*, cui Mundus absqve interventu Dei ortus, hîc ſilendum,) illum ſive congreſſum, ſive nexum neceſſarium, ipſiq; Deo inevitabilem ſtatuerent.

§. 6. Qvo factum porrò eſt, ut *Plato* Mundum ab æterno extitiſſe negare poſſet, hi non poſſent, Deo libertatem vix aliam relinqventes, qvàm qvâ uteretur ſpeculando magis, qvàm operando.

§. 7. Rurſum *Ariſtoteles* à *Stoicis* in eo diſcrepabat, qvòd ipſe Mundum ſublunarem à Deo per ſolam virtutem attingi, Stoici contrà per ipſam ſubſtantiam qvaſi fermentari opinarentur.

§. 8. In id autem omnes, qvos dixi, conſpirabant, ut crederent, Deum nec ex purè nihilo efficere corpus poſſe, (qvæ cauſa fuit comminiſcendæ materiæ increatæ,) nec operari cum materiâ coeuntem aliter poſſe, qvàm ipſa pateretur.


§. 9. Ideò ne Plato qvidem, qvi inter Principes trium ſectarum hîc alioqvin optimè fuit philoſophatus, effugere potuit, qvin hâc ratione & omnipotentiam Dei minueret, & frangeret aliqvâ ex parte libertatem.

§. 10. Mentem ſingulorum ut liqvidiùs intueare, ſimilitudines dabo. *Platonicus* Deus Fabro ſimilis eſt, à ſylvâ ſuâ per vaſtam viarum intercapedinem diſtracto. Hic ergò, qvamdiu volet, qvieſcet; ubi cupido veniet exercendæ artis, armatus aſciâ movebit ſe ad ſylvam, & illi ſuas ideas, qvantum permittet ejus aptitudo, imprimet.




§. 11. Ut æternitatem *Ariſtotelici* mundi videas, Solem æternum, & pannum verſicolorem ſolaribus radiis ab æterno expoſitum cogita. Faciet neceſſitas naturæ, ut ſpecies colorum ab æterno compareant

reant ex panno eductæ, non inductæ à Sole per ideas, æternis alioqvin, absqve Sole ſi eſſet, ſepeliendæ tenebris.



§. 12. Ad *Stoicos* ubi perventum eſt, comminiſcendum aliqvid, qvod Deum atq; Materiam ſub uno ſchemate non duobus repræſentet. Finge ovum absqve principio æternum, cujus materiam undiqvaq; totam pervagata δύναμις animet πλαςικὴ: ſed qvod ipſum ſe vi hujus δυνάμεως formet in avem, qvæ circulis æternis ruditatem ſuam jam re-



ſumat,

Digitized by Google

ſumat, jam exuat, aliàs ovum, aliàs avis, perq; has vices perennet. Tale qvid enim Mundus eſt Stoicorum, (per Diſſert. VIII. §. 4.) cui ipſi pro corpore Materiam dant, pro animâ Deum, comprehendentem λόγυς σπερματικὲς, de qvibus plura dicam Diſſert. XIV. §. 59. & ſeqq.

§. 13. Ovum hoc an avem vetuſtiorem velint Stoici, non definio. Viderint ipſi, ac litem illam præcedentiæ inter ovum & gallinam, de qvâ apud Plutarchum II. Sympoſ. 3. & Macrobium VII. Saturn. 16. etiam hic definiant. Utrum dixerint, cauſæ nihil decedet, utrovis enim modo Mundus æternus eâ æternitate, qvam tali avi attingere liceret.

§. 14. Autumo tamen rationibus ipſorum magis conſentaneum fore, ut Mundus ovum fuerit priùs qvàm avis. Nam qvæ apud Plutarchum & Macrobium contrà ovum afferuntur cauſæ pro gallinâ, ſunt ejusmodi, ut diſtinctione ſolvi poſſe videantur inter avem, qvæ alias à ſe gignit, & qvæ ipſa ſe reſeminat: qvalis omninò Stoicorum ille Phœnix eſt, *propriâ*, (ut Firmici apud Lipſium I. Phyſ. Stoic. 7. p. 15. verba huc aptemus,) *originis generatione conceptus*. Similem in modum Epicureis atomi ſuæ prius inordinatæ fuerunt, qvàm in mundi figuram compoſitæ.

§. 15. Qvare ab Ariſtotele ſic etiam Stoicos diſtingvemus: Mundus Ariſtoteli primo æternitatis ſuæ puncto, (non poſſumus hîc aliter loqvi,) perfectus fuit; Stoicis imperfectus, priùs nempe conceptus, qvàm natus. Itaqve & Ariſtoteli conſentaneum viſum, ut æternitatem illi ſuam absqve interpoſitione mortis jugi fluxu continuaret; Stoicis contrà, ut per ovi & gallinæ, qvaſi mortis ac vitæ alternas vices ævum extenderet.

§. 16. Nunc tres ſectas inter ſe comparemus. *Plato* in illâ experte principii æternitate maximis intervallis Deum ſecluſit à Materiâ; minimis *Ariſtoteles*; *Stoici* nullis. Ergò Stoicus Deus Fati vinculis irretitus eſt, ut naſſæ piſcis; Ariſtotelicus liberior paulo, ſed ipſe tamen alligatus, ut molæ jumentum; Platonico maxima libertas qvidem, ſed tamen non ſine mixturâ ſervitutis voluntariæ, qvam cùm illi ſylvæ faber ſe applicaret, declinare ob materiæ pervicaciam non potuit.

§. 17. Ita paſſim, hactenus qvidem, medius ambulat inter Platonem & Stoicos Ariſtoteles. Platoni qvidem ſocius in eo, qvòd Materiæ

teriæ Deum cauſam dat advenientem forinſecus, h. e. formam *aſſiſtentem:* nam Stoicorum Deus, ab omni ævo materiæ immerſus, forma ejus alia eſſe non poteſt, qvàm *informans*, id qvod luculentum reddet Diſſertatio XIV. Rurſus in eo Stoicorum ſocius Ariſtoteles, qvòd Mundum à Deo neceſſariò productum credidit, non, ut Plato, liberè. Unde & hoc eſt conſecutum, ut cum iisdem expertem eam principii faceret, qvod aliter viſum Platoni.

§. 18. Sed nihilne Stoicis cum Platone commune contrà Ariſtotelem? Puto aliqvid eſſe, qvod ad Providentiam Divinam attinet. Qvam Ariſtoteles à ſublunaribus, Fortunæ arbitrio permiſſis, removit. Non fecerunt hoc Stoïci, non Plato: ſed illi, qvia toti Materiæ ſubſtantiam ipſam Dei, & fataliter qvidem, illatebráſſent; hic, qvia in illa ſylvæ obſcuriora Deum ſaltem oculos immittere converſione liberâ putaret, qvod alioqvi ſpectaculum Ariſtoteles habuit indignum Deo.

§. 19. E dictis intelligis nihil horum eſſe, qvod Chriſtianus ſuum facere velit: ſiqvidem Ariſtoteli Deus ille ſummus, qvod ad proviſionem attinet, planè abeſt ab hâc ſcenâ, in qvâ degunt mortales; adeſt qvidem Platoni, ſed non per eſſentiam; adeſt per eſſentiam Stoicis, ſed Fati compedibus vinctus, & juſtam providentiam ſimulans veriùs, qvàm præſtans.

§. 20. Cæterùm hoc rectè familiæ iſtæ omnes, qvòd mundum fatentur & opificium eſſe Dei, & non niſi unum. Qvorum neutrum *Epicuro* placuit, ad qvem jam devenio.


§. 21. Hic, ut opinor, viſus ſibi eſt illibatam ſuam & à Fati anguſtiis immunem libertatem Deo conſervare aliâ lege non poſſe, niſi illum à Materiâ æterno privilegio penitùs abjungeret, ſuâqve ſolum beatitudine frui juberet,

§. 22. Conſeqvens fuit, ut à Deo deſerta Materia proſpiceret ipſa ſibi qvomodocunqve, ſeq; ſaltem per cœcas periclitationes, (rationem enim & intelligentiam, qvibus careret, adhibere non poterat, indueret vel tandem poſt aliqvot ſeculorum fruſtrationes in faciem cœli & terræ.

§. 23. Ita Mundum Epicurus ortum eſſe credidit ab ſe ipſo, luctantibus ab æterno tamdiu atomis, (has enim per infinita ſpacia volitantes innumerabiles, doctrina talis poſtulabat, non, uti cæterorum,

maſſam rudem unicam,) donec ad extremum illa qvantumvis temeraria libratio formam exprimeret Mundi: ejusq; non unius. Sed qvamplurimorum, cùm abſurdum æſtimaret Epicurus, in vaſtiſſimo illo vacuo minorem copiam naſci Mundorum, qvàm graminum in magno aliqvo campo.

§. 24. Qvamobrem, ut *Epicurei* qvoqve dogmatis aliqvod emblema repræſentemus, pinge conglobatos in vacuo qvopiam, ſed errantes ordine fortuito, plures Mundos; in horum interſtitiis ludentes culices. Reverà enim culicibus ſimiles Epicurei dii ſunt, non magis extrà ſe rerum curioſi, qvàm id animalculi genus.



§. 25. Verùm relictis jam in Epicuri cerebro cæteris Mundis, de uno, in qvo & nos ſumus, loqvi pergamus. Qvod officium Stoici Deo dederunt, hoc Epicurus dedit *Fortunæ*. Qvam adeò ſecundum ipſum nominare poſſis animam Mundi, niſi qvòd anima ſubſtantia eſt, cùm Fortuna nihil ſit aliud, qvàm expers rationis temeritas Materiæ ſibi relictæ.

§. 26. In eo tamen ſimilis Epicurea Fortuna Deo Stoico, qvòd Materiam ipſa intimè penetrat, nec unqvam deſtituit, perq; vices jam effigiat in ſpeciem univerſi, jam in pulveres primævos redigit.

§. 27. Viciſſim diſſimilis in eo, qvòd illæ, qvas diximus, vices Epicuri vagæ ſunt, & ignorabiles, nec certi alicujus anni magni periodis

dis adſtrictæ: qvòd item Mundum reparant præterito non ſemper atqve neceſſariò ſimilem.

§. 28. Ergò, hæc ſi excipias, Mundo Stoico, qvod qvidem ad æternitatem ſuis interpunctam vicibus attinet, haud multùm abſimilis Epicureus. Uterqve ſcilicet per immenſum illud ævi ante retroq; ſpacium jam pulvis, jam ordinata rerum compages, niſi qvòd illos circuitus *Fatum* apud Stoicos alternat, apud Epicureos *Fortuna*.

§. 29. Inter *Fortunam* porrò & *Fatum* acutiùs rem intuenti non aliud apparebit diſcrimen, qvàm qvòd *Fatum* eſt aliqva Rationi juncta, *Fortuna* Rationem omnem excludens Materiæ neceſſitas. Enimverò hæc neceſſitas, ubi ſuis complexibus Deum conſtringit, ut in Mundo Stoico, Rationis qvendam ſuccum ab eo expreſſum imbibit: eſt enim Ratio in Deo. At verò ſi eadem ſecum habitat ſola, qvoniam nihil eſt in brutâ Materiâ rationis, exuere ſtuporem illum, & ſapientiæ ſpeciem de ſe præbere non poteſt.

§. 30. Ergò *Fortunam* ſuam Epicurus, cujus germanam ſororem optimo jure appellare poſſumus illam Stratonis (de qvo plura Diſſert. XIV. §. 108. ſeq.) omni ſenſu carentem Naturam, (tetigi hoc p. 30. Schediaſm. n. 17.) ut ſtolidum numen & cæcum & expers conſilii introduxit: cùm contrà Stoici *Fatum* ſuum divinæ Providentiæ velo amictum oſtentarent.

§. 31. Subeſt interim non minùs Fortunæ, quàm Fato *neceſſitas* Materiæ. Qvæ enim fortuitis rebus, ſed varietatem ſuam fluxui Materiæ debentibus *contigentia* ſolet adſcribi, *externa* eſt, & ab illâ propriiſſimè dictâ, qvæ voluntariis eſt actibus *interna*, toto cœlo diſtans, cùm internam fiendi neceſſitatem fortuitis iſtis non adimat. Contingentia verò dicitur noſtri reſpectu. Solemus enim, ſi qvid inopinantibus nobis, aut prævidere non valentibus eveniat, id contingens, utut ſuapte naturâ ſit maximè neceſſarium, nominare.

§. 32. Intellexit hoc Cicero, cùm in Lucullo ſcripſit p. 44: *qvam interdum* neceſſitatem *appellant, qvia nihil aliter poſſit, nonnunqvam eandem vocari* fortunam, *qvòd efficiat multa improviſa, nec opinata nobis propter obſcuritatem ignorationemq; cauſarum.*

§. 33. Jam ut *neceſſitas Fortunæ* contingentiam qvandam Materiæ mentitur: ſic illam ſui *Fati neceſſitatem* coegerunt Stoici aliqvid Libertatis in Deo præ ſe ferre: cùm tamen non magis liber eſſe Deus

E 2 poſſit

poſſit in iis, qvæ ex Fato Stoico agit, qvàm Materia in iis, qvæ per temeritatem Epicureæ Fortunæ.

§. 34. Hoc intereſt, qvòd in Deo Stoico cum illâ neceſſitate concurrat actus voluntatis, ut *natura*, non ut *libera* eſt, conſideratæ: qvi in Materiâ Epicuri, ut ente bruto, cogitari nullus poteſt.

§. 35. Igitur è qvâ diſtinctione Scholaſtici mentem Ariſtotelis, agere Deum ex neceſſitate naturæ ſtatuentis, (qvâ de re Diſſ. IV. §. 16. & ſeqq.) ex eâdem ego Stoicorum hîc expono. Ajunt autem Conimbricenſes ad VIII. Phyſ. 2. q. 5. art. 1. p. 389. *bifariam contingere, ut aliqvid ex neceſſitate naturæ agat:* uno modo, *qvia agens ſolo naturæ impetu citrà omnem intellectûs & voluntatis actum in rem fertur, ut ignis cùm calefacit;* altero, *qvia etſi per intellectum & voluntatem agat, non tamen ex delectu & libertate operatur, ſed ita, ut actionem ſuſpendere aut inhibere neutiqvam valeat.* Applico: Priorem neceſſitatem atomis ſuis tribueret Epicurus. A poſteriore Stoici Deum liberare, ſi principia ſua cuſtodire velint, non poſſunt.

§. 36. Eſt ergò in Fortunâ pariter & Fato neceſſitas, ſed illic, ut dicebam, nullo conſilio temperata, hîc in aliqvam ſe ſocietatem rationis inſinuans.

§. 37. Qvæ dicta ſunt hactenus, ea fuerunt qvatuor Græcanicæ Philoſophiæ familiarum ultima principia: qvàm diſſentanea inter ſe univerſa, (qvod Sectas fecit,) tàm ſingularum omnibus ferè concluſionibus apta ſingula.

§. 38. Colligamus ea nunc in nodum, & ſectarum diſcrimina ſic enunciemus: *Plato* Deum dixit cauſam Mundi voluntariam: *Ariſtoteles* & *Stoici* neceſſariam: ſed ille ut aſſiſtentem formam, hi ut informantem: *Epicurus* his omnibus abſentiens non à Deo Mundum eſſe dixit, ſed à ſe ipſo.

DIS-

DISSERTATIO III.
ad Theſ. VIII. t.
Platonica Mundi Æternitas.

§. 1.

DE Mundo ſententia Platonis hæc fuit: conditum fuiſſe à Deo non ab æterno, ſed cùm ipſi videretur; qvoniam verò Deus, qvi optimus eſſet, omniq; careret invidiâ, cuperet opus qvoqve perfectiſſimum elaborare, beneficio ejus non modò pulcherrimum extitiſſe mundum, ſed tàm firmum qvoqve, ut corrumpi, niſi à Deo, non poſſet; cæterùm qvia tantæ formoſitatis opificium deſtruere non ſit ejus, qvi ſummâ bonitate polleret, decreviſſe Deum, nunqvam illi violentas inferre manus; ita Mundum æternum fore.

§. 2. Hanc Platonicæ Philoſophiæ hiſtoriam duo maximè hominum genera convellere ſtuduerunt. Fuerunt qvippe *Gentiles* qvidam Platonici, (ut Proclus, de qvo infrà §. 21.) qvi contenderent, Magiſtro ſuo mundum non modò perpetuum fore, ſed expertem qvoqve principii temporalis ab omni ævo conſtitiſſe. Viciſſim *Chriſtianorum* qvidam Platonis mentem ſic expoſuerunt, qvaſi ut natum in tempore hoc univerſum, ſic & interiturum crediſſet. *Illis* aliqvo modo propoſitum videtur fuiſſe, ut Platonem Ariſtoteli ſuo, *his* ut Religioni Chriſtianæ conciliarent.

§. 3. Et *Chriſtianos* qvidem qvid ad hanc tentandam pacem inclinaverit, lit. a. ad th. XV. exponimus. *Ethnicis*, ut non modò Platonis cum Ariſtotele, ſed omnium inter ſe Philoſophorum ſuorum lites componerent, haud dubiè conſilium hoc natum eſt è juſtiſſimâ reprehenſione, qvâ noſtri ſua ipſis diſſidia exprobrarunt.

§. 4. Qvâ in re dignum hoc indagatione eſt, cur maluerint hîc Platonis, qvàm Ariſtotelis doctrinam inflectere? Sanè enim hoc præter morem eſt illius ævi, cùm ſolerent aliàs, ut qvi Platonem omnibus facilè anteponerent Græcorum reliqvis, in hujus leges Ariſtotelem adigere potiùs, qvàm Platonem ſuum in caſtra diſcipuli pertrahere.

E 3 Cur

Cur ergò in hoc de duratione mundi argumento à conſvetudine receſſerunt ſuâ?

§. 5. Voſſius hanc reddit cauſam, qvia rationes Ariſtotelis refellere non potuerint. *Qvibus ægrè erat*, inqvit, *ſi uſpiam Plato erraſſet, hi cùm Ariſtotelis de mundi æternitate argumenta ſolvere non ſatis poſſent, doctorem ſuum cum eo conciliare ſunt conati*, lib. I. de Orig. Idol. c. 1. p. 6.

§. 6. Non aſſentior viro docto. Unica Platonicæ ſcholæ hypotheſis, Deum liberè fuiſſe conditorem univerſi, omnes Stagiritæ argutias difflaverit. Sic ergò dicam potiùs, ideò Platonis opinionem hîc inflexam fuiſſe, qvia magis illa cerea fuit. Etenim poſitâ, qvam utrinqve admittebant, materiæ cum Deo coexiſtentiâ æternâ, ſi liberè Deus egit, citiùs egit ab æterno, qvàm ſi neceſſariò, poſt moram.

§. 7. Porrò cùm inter extremas opiniones duas, (qvarum una fuit Ariſtotelis, Mundum & principio & fine orbantis, altera noſtra eſt, qvi & ortum illi & interitum aſſignamus,) media qvædam Platoni via placuerit, ut principium habuerit Mundus, (qvod nobis placet,) termini expers duraret, (qvod Ariſtoteli:) non difficillima res fuit, mediam ſententiam inclinare ad utramlibet extremarum. Confer, qvæ §. 110. dicemus.

§. 8. Ita factum, ut utrinqve diriperetur Plato, illinc à Gentilibus, qvi eum cum Ariſtotele, hinc à qvibusdam Chriſtianis, qvi cum verbo Dei reponere cupiebant in gratiam. Sed nos veritati malumus, qvàm Syncretiſmo ſtudere.

§. 9. Ac de *ortu* mundi qvidem in Platonis mentem curioſè inqvirere deliberatum hîc nobis non eſt. De *interitu* autem dabitur opera, ut opinionem ejus liqvidò teneamus.

§. 10. Qvam *duobus punctis* circumſcribere licet. Senſit enim ille, Mundum ſive de eo, qvod *poſſibile* ſit, qværas, non eſſe corruptibilem ſuâ naturâ; ſive de eo, qvod *futurum* ſit, nunqvam iri corruptum.

§. 11. *Naturâ* incorruptibile hoc loco, qvod obſervari velim, vocatur non illud, qvod ſimpliciter corrumpi non poteſt ullo modo, qvæ Dei ſolius eſt perfectio, ſed qvod ſuæ corruptionis nullum habet principium *internum*, licet poſſit corrumpi ab *externo*. (De ambiguitate hujus phraſeos conſule Raynaudum Theol. nat. diſt. 3. n. 83. 84. p. 166. 167.)

§. 12.

§. 12. Ut adeò qvem nos incorruptibilitas gradum damus Angelis, eum Plato dediſſe mundo, qvatenus hic totum qviddam eſt, videatur. Unde illud intelligitur porrò, ſi corrumpi mundum, aut diſſolvi poſſe cenſeat Plato, id accipi non niſi de eâ corruptione debere, qvam externa inferat cauſa, ſi velit.

§. 13. Hanc fuiſſe mentem Platonis probabo *primò* verbis ipſius; *deinde*, maximè qvod ad punctum ſecundum attinet, aliorum teſtimoniis; *tertiò* illis reſpondebo, qvi nobis hîc adverſantur.

§. 14. Ad primam laboris partem ſolo Timæo utar, qvo Dialogo nec habemus ullum ex ejus Philoſophi ſcriptis Phyſicæ compendium nobilius, nec alium freqventiùs hâc in qvæſtione citari videas. E qvo & illud præfari conducet, *Cœli Mundiq;* vocabula Platoni hîc promiſcuè uſurpari. Sic enim ipſe f. 1047. A. (edit. Francof. ann. 1602.) ὁ δὴ πᾶς οὐρανὸς, ἢ κόσμος, ἢ καὶ ἄλλο ὅτι ποτὲ ὀνομαζόμενος μάλιστ' ἂν δέχοιτο, τοῦθ' ἡμῖν ὠνομάσθω. Qvin & Mundum, Cœlum, Terram, Stellas *Deorum* appellatione, ſed qvi nempe Supremi Dei opificia ſint, dignatur, ut è f. 1049. F. 1053. C. D. 1054. A. planum fieri poteſt.

§. 15. Jam ajo, his omnibus Platonem hoc tribuiſſe privilegii, ut non poſſent niſi ab ſolo Deo, univerſi architecto, corrumpi. Clariſſima ſunt verba f. 1049. A. *Ita colligavit* (Deus) *& conſtituit cœlum, ut aſpici tangiq; poſſit. Et propterea ex hujusmodi rebus numero qvatuor,* (Elementa intelligit,) *mundi corpus conflatum eſt eâ connexum comparatione, qvâ dixi. Ex qvo ſe ipſum amicitiâ concordi complectitur, atqve ita aptè cohæret, ut NEQVEAT DISSOLVI ULLO MODO, NISI AB EODEM, A QVO EST COLLIGATUM:* ὡς εἰς ταυτὸν αὐτῷ ξυνελθὼν ἄλυτον ὑπὸ τῶν ἄλλων, πλὴν ὑπὸ τοῦ ξυνδήσαντος, γενέσθαι.

§. 16. Locus hic, & alius item f. 1043. C. in conſpectu fuit Minucio Felici ſic ſcribenti p. m. 77. *Loqvitur Plato, partes orbis nunc inundare, nunc alternis vicibus ardeſcere, ut cùm ipſum Mundum perpetuum & inſolubilem diceret eſſe fabricatum, addit tamen, ipſi artifici Deo ſoli & ſolubilem eſſe & mortalem.*

§. 17. Paulò pòſt addit Plato, morbi & ſenectutis expertem à Deo fuiſſe mundum conſtitutum: ὅλον ἐξ ἁπάντων τέλεον καὶ ἀγήρων, καὶ ἄνοσον αὐτὸν ἐτεκτήνατο.

§. 18.

§. 18. Nec difficile eſt legenti cætera cauſam, cur ita ſenſerit Plato, æſtimare. Deo enim rem dignam putavit, qvod ipſe conderet, perfectiſſimum, illiq; æterno exemplari, qvoad natura rei conditæ admitteret, ſimillimum fieri: id qvod plus vice ſimplici inculcatur f. 1048. B. 1051. D. 1052. A. 1053. A.

§. 19. Hæc ita cùm ſint, ſi qvando mundum obnoxium fatetur mortalitati, non de aliâ cenſendus eſt corruptione loqvi, qvàm qvæ ab externo principio, h. e. ſolius conditoris voluntate, poſſit oboriri. Ut in illo decantatiſſimo loco, qvi nobis maximè (verbis §. 40. repetendis) ſerviet ad probandum, qvod erat alterum, Deum ex Platonis ſententiâ nunqvam uſurum poteſtate abolendi mundi, ſed hunc ex illius decreto ſempiternum fore.

§. 20. Ita enim eſt, qvæſtionem facti, qvæ movetur de fine Mundi, profligat Plato ex *voluntate Dei* non minùs qvàm alteram de principio. Nunqvam diſſolvetur hæc machina, qvia ſic voluit DEus. Conſtructa eſt in tempore, qvia ſic voluit: voluit autem, qvia invidiâ carebat: *ἀγαθὸς ἦν*, inqvit f. 1047. E. *ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος.*

§. 21. Hæc invidiæ abſentiâ malè abuſus eſt Proclus (Raynaudo Theol. nat. diſt. 8. n. 71. p. 852. citatus,) ad mundi ſtabiliendam retrò æternitatem, planè contrà mentem Platonis, qvam aperiunt paulò pòſt ſeqventia verba, qvibus clarè ſignificat, inordinatam materiæ primæ jactationem fuiſſe coactam à Deo in ordinem: *κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας, ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἄμεινον.*

§. 22. Sed redeo ad qvæſtionem de fine Mundi, & ad locum illum decantatum, qvi legitur f. 1054. A. ubi Plato conditorem univerſi deos juniores, cùm provinciam illis mandare vellet mortales animantes effingendi, ſic alloqventem introducit: *θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς πατήρτε ἔργων, ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα ἐμοῦ γε θέλοντος. τὸ μὲν οὖν δὴ δεθὲν πᾶν, λυτόν. τό γε μὴν καλῶς ἁρμοσθὲν καὶ ἔχον εὖ, λύειν ἐθέλειν, κακοῦ. δι' ἃ καὶ ἐπείπερ γεγένησθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστέ, οὐδ' ἄλυτοι τοπάμπαν. οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε, οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς, ὅτ' ἐγίγνεσθε, συνεδεῖσθε.*

§. 23.

§. 23. Non eſt nobis perfunctoriè tractandus hic locus, ut, qvi eo abutuntur ad pervertendam Platonicæ philoſophiæ hiſtoriam, ſtringi fortiùs qveant. Itaq; non pœnitebit vel ſingulos ejus ſinûs excutere.

§. 24. Optimus, hîc qvidem, Platonis interpres Proclus videtur nobis lib. V. in Timæum f. 298. & ſeqq. (qvem paulò antè §. 21. cùm de principio Mundi ageretur, minùs commodum experiebamur,) ſi id ſolum excipias, qvòd illud juniorum deorum genus, (ἐγκόσμιον deſignari mox §. ſeq. dicetur,) ante tempus, adeoqve ab omni æternitate genitum, ſeu, ut ipſe loqvitur δεδεμένον ἀϊδίως, & πρὸ χρόνου παντὸς δεδεμένον f. 304. 305. facit. In qvo ut ipſum credimus à Platone aberrâſſe, ſtudio videlicet ejus cum Ariſtotele conciliandi, ſic in cæteris feliciter ſatis magiſtri ſui mentem conſecutum arbitramur.

§. 25. *Deos* ergò *Deorum*, ad qvos totus hic ſermo dirigitur, cum Proclo f. 298. interpretamur τοὺς ἐγκοσμίους θεούς. Hoc Plato paulò antè dixerat partim cœlo volutos oculis noſtris obverſari, partim eatenus conſpicuos fieri nobis, qvatenus ipſi velint. Illi cœleſtes Proclo, hi ſublunares.

§. 26. Itaqve non malè Athenagoras f. 8. Leg. pro Chriſtian. & alii apud Rhodigin. II. Antiq. Lect. 8. f. m. 66. (conf. Zach. Mitylen. p. 196. ed. Barthii,) illos Deorum Deos de Sole, Lunâ aliisq; cœleſtibus corporibus expoſuére. Qvos enim alios credamus verbis, ὅσοι περιπολοῦσι φανερῶς, à Platone deſignari?

§. 27. Meminerimus tantùm, Stellas Platoni animalia eſſe, qvibus pro animabus Intelligentiæ ſint. Ut adeò nec illi Patrum ineptè, qvi locum Platonis, Raynaudo teſte Theol. nat. diſt. 3. n. 80. p. 164. 165. ad Intelligentias trahunt. Verùm has Raynaudus non debebat nobis nudas corporibus, dum hunc textum d. l. exponit, ſiſtere.

§. 28. Qvid autem eſt, qvod *Dei Deorum* appellantur? Neqve enim conſentaneum, eo loqvendi genere, qvo Regem Regum, Sanctum Sanctorum, Cœlum Cœlorum, & hujusmodi plura conſvevimus dicere, dictum hoc eſſe: qvanqvam huc inclinat Gaſſendus Tom. I. Oper. f. 171: *majores Deos* vocando. Res non patitur, vel hos Deos eſſe ſupremos, cùm ſint juniores, ut f. 1055. A. vocantur, vel ſolas intelligi τὰς ὁλικωτάτας ἑνάδας τῶν ἐγκοσμίων, ut apud Proclum f. 301. volebant qvidam, cùm univerſos ἐγκοσμίους, non ſolos eorum eximios, compellari textus clamet.

F §. 29.

§. 29. Fatendum eſt, variis fluctibus hîc interpretes jactari: ſed ex iis ita emergit Proclus, ut ajat *Deos deorum* inde vocari, qvia ſint Dii corporum ſuorum, qvæ & ipſa divinitatis honorem ſint adepta. Etenim ut *hominem duplicem* Platonica conſtituat Philoſophia, unum *internum* & oculis impervium, qvi ſit anima; *externum* & adſpectabilem alterum, videlicet corpus: ita ſe rem in his mundanis diis habere, qvi ſint aliqvid ex inviſibili & viſibili divinitate connexum atqve compoſitum.

§. 30. Oppidò conſentanea hæc eſt interpretatio illis, qvæ paullò antè §. 27. dicebamus, ſermonem hunc pertinere ad ſtellas non carentes vitâ, ſed animatas. Qvare audemus eam anteferre illi qvoqve aliàs non peſſimæ, qvæ *Deos deorum* dictos autumat è relatione ad τοὺς νοητοὺς θεοὺς, qvorum expreſſæ imagines perhibentur illi Mundani. Qvâ phraſi Socratem Sophroniſci ſolemus, & Platonem Ariſtonis appellare. Aliàs hanc & Marſilio Ficino placuiſſe translatio ejus demonſtrat, θεοὺς θεῶν vertentis *Deos ortos ex Diis*. Cui & illa Steuchi conſonat p. 372. de perenni Philoſ. *Vos, qvi Deorum ſatu orti eſtis*.

§. 31. Ac favet illi qvidem, qvòd eosdem Plato mox f. ſeq. 1055. A. νέους θεοὺς appellat. Sed malumus eam cum Proclo abdicare. Videtur enim Plato, ſi cognomen his Diis à ſtirpe dare voluiſſet, citiùs Deos *Dei* unius, puta omnium Supremi, qvàm *Deorum* plurium fuiſſe ſalutaturus.

§. 32. Utiqve ſtatim hoc apud eum ſeqvitur, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς, πατήρ τε. Hîc interpungendum cenſeo, ut illa verba πατήρ τε, &, ἔργων divellantur. Scio, ne à Proclo qvidem interpunctionem codicibus receptam, qvam §. 22. dedimus, qvamq; ſeqvitur & Clemens Alexandrinus V. Strom. f. 436. D. ed. Heinſianæ, ſollicitari: ſed miror, in mentem ei non idem, qvod nobis veniſſe, cùm f. 301. & ſimilem interpungendi rationem (in verbis: θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ δημιουργὸς, qvæ ſic alii ſecabant: θεοὶ, θεῶν ὧν ἐγὼ δημιουργὸς,) conſideraret, & adversùs eam hoc urgeret, inconveniens eſſe, ut *Deorum* qvidem δημιουργὸς ſeu *opifex* appellaretur ille univerſi conditor, *operum* autem *pater*: cùm *dii* ſint aliqvid *operibus* præſtantius, contrà verò dignitate *opificem* vincat *pater*. Τὸ γὰρ πατρικὸν, inqvit, τοῦ δημιουργικοῦ σεμνότερον.

§. 33. Qvæ ipſa obſervatio meritò tantum impetrabit ab erudito cenſore, ut illud ἔργων aut à πατὴρ nobiſcum divellat, aut planè omittat.

Digitized by Google

mittat: qvod poſterius in ſuâ certè verſione fecit Ficinus. Sic enim ille: *Dii orti ex diis, qvorum opifex ego & pater ſum, hæc attendite. Qvæ à me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia ſunt.* Potuiſſet alioqvi ſcribere: *Opera, qvæ à me facta ſunt* &c.

§. 34. Confirmat conjecturam noſtram Chalcidius, ita reddens, cit. Barth. ad Æn. Gaz. p. 132: *Dii Deorum, qvorum opifex idemq́; Pater ego. Opera ſiqvidem vos mea, diſſolubilia qvidem naturâ, me tamen ita volente indiſſolubilia:* qvanqvam græco textui non omnia ſic reſpondent ſatis. Æneas Gazæus p. 49. Theophr. non modò ἔργων, ſed & pluſcula ſeqventia omittit: Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ πατήρ τε καὶ δημιουργὸς, ἀθάνατοι μὲν πάμπαν οὐκ ἐστὶ &c. Sed nimirum citabat Platonem è memoriâ, qvod ipſe verbis infrà §. 91. ponendis profitetur.

§. 35. Non autem hic placet Gaſſendus, dum δημιουργὸν pariter & πατέρα divulſum à θεοῖς ad ἔργα trahit ſic vertens: *Qvorum operum ego parens effectorq́; ſum, non ſunt diſſolubilia,* Tom. I. Oper. f. 171. In qvo ipſi jam præiverat Steuchus p. 372. de perenn. Philoſ. Omninò enim utrumqve de præcedentia ſpectat.

§. 36. Ac vide, qvàm præclarè hæc anteà dictis aptari qveant. Duabus enim ex partibus hos ἐγκοσμίους Deos cum Platone conflabamus §. 27. corpore & animâ. Ignobilioris ergò partis contemplatione Deus δημιουργὸν ſe vocabat, melioris πατέρα.

§. 37. Seqvitur ex interpunctione noſtrâ: ἔργων ἃ δι' ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα ἐμοῦ γε θέλοντος. Verto: *Operum ea, qvæ à me profecta ſunt, inſolubilia ſunt me ſic volente.* Diſtingvere cupit Platonicus Deus opera ſua ab operibus Deorum mundanorum. Illa qvippe ſolvi neſcia facit, hæc obnoxia corruptioni. Hâc ipſâ de causâ mortalium animantium procreationem inferioribus his diis delegare cogitabat, ne, ſi ipſe manum admoveret operi, pro mortalibus animantibus exirent immortales dii. Non diſputo, qvàm ſcitè dicantur hæc à Platone. Satis habeo, mentem ejus bonâ fide indicâſſe.

§. 38. Perſpicuè autem eam produnt illa f. 1054. B. δι' ἐμοῦ δὲ ταῦτα γενόμενα καὶ βίου μετασχόντα θεοῖς ἰσάζοιτ' ἂν ἵν' οὖν θνητά τε ᾖ, τό τε πᾶν ὄντως ἅπαν ᾖ, τρέπεσθε κατὰ φύσιν ὑμεῖς ἐπὶ τὴν τῶν ζώων δημιουργίαν. Ergò, qvæ minores illi dii fabricantur, mortalia ſunt, qvæ maximus Deorum, immortalia.

§. 39. Seqvitur objectio cum reſponſione: τὸ μὲν ἂν πᾶν δεθὲν, λυτόν· τόγε μὴν καλῶς ἁρμοσθὲν καὶ ἔχον εὖ, λύειν ἐθέλειν, κακοῦ. Senſum ſic expedio ex perſonâ loqventis Dei: *Tametſi qvicqvid ligatum eſt, ſolvi ab eo, qvi ligavit, poteſt, ut adeò & à me qvoq; corrumpi ac retexi, qvod ſemel contexui, qveat: tamen procul hoc abeſt à meâ bonitate atq; conſtantiâ, ut qvod eleganter à me ſciteq; ſemel compoſitum benè ſe habet, disjicere viciſſim ac deſtruere velim.*

§. 40. Hæc ſtatim ad mundanos deos ita applicat: δι᾽ ἃ καὶ ἐπείπερ γεγόνατε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ, οὐδ᾽ ἄλυτοι τοπάμπαν. οὔτι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε, οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ, καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς, ὅτ᾽ ἐγίγνεσθε, συνεδεῖσθε. Qvibus verbis planum eſt, minores hos Deos certo ſenſu corruptibiles pronunciari, certo incorruptibiles. Planum hoc etiam, incorruptibilitatem eorum divinæ voluntati tranſcribi, h. e. aſſeri, nunqvam fore ut intercidant, nempe qvia ſic placet conditori Deo.

§. 41. Hoc alterum nobis qvidem ad principalem, qvàm hîc agimus, cauſam ſufficere poſſet: (qværebatur enim, an Plato mundanos illos corporeos deos, an cœlum, an mundi compagem deniqve, qvorum omnium eadem ipſi ratio per §. 14. interituram crediderit? cujus qvæſtionis negativam verba, qvæ protulimus, manifeſtiſſimè ſtabiliunt:) veruntamen qvia cœpimus loci præſentis viſcera qvævis rimari, propoſitum urgeamus.

§. 42. Qvâ ergò cauſatione Timæus minores Deos profeſſus fuerit immortales, nempe qvia ſic placuerit eorum conditori, ſatis eſt, ut diximus, perſpicuum. At illud interpretes litigant, qvo ſenſu viciſſim mortales eos intelligi ex mente Platonis conveniat? aliis reſpondentibus, qvia corrumpi qveant non modò *ab extrà* per potentiam Dei, ſed *ab intrà* qvoqve (ſic ſanè loqvamur cum Scholaſticis) ex inclinatione naturæ propriæ; aliis corruptionis cauſam in ſolâ Dei poteſtate relinqventibus.

§. 43. E prioribus ſunt, Proclo teſte, Severus, Atticus, Plutarchus, (cujus locum aliqvem infrà §. 65. dabimus.) His addo Theodoretum lib. III. de cur. græc. affect. (Tom. II. Oper. f. 574.) qvi qvidem Platonem de Diis gentilium interpretatur, illis puta, qvos Homerus (natu-

(naturâ) immortales facit: nam ab hoc diſſentire Platonem arbitratur, ut qvi illos Deos naturâ mortales cenſuerit.

§. 44. Sed contradicit Proclus f. 304. ſeq; hoc in certamine aggregat poſterioribus. Atqve hos putamus omninò mentem Platonis accuratiùs tetigiſſe.

§. 45 Nam *primò* conſentaneum hoc eſt aliis à Platone dictis, qvale ſuprà dedimus §. 15. valdè luculentum.

§. 46. *Deinde*, ſi Mundus Platoni ſuapte naturâ corruptibilis eſt, peribit illi diſcrimen inter opus Dei ſupremi, & opus inferiorum Deorum, qvod ipſe tamen diligenter cuſtoditum cupit: (ſuprà §. 37.)

§. 47. *Tertiò* peribit illi ſua, qvam cogitabat, perfectio mundi, qvæ ſi poſtulabat animalia dari mortalia, (nam τούτων μὴ γενομένων οὐρανὸς ἀτελὴς ἔσται, inqvit f. 1054. B.) multò magis immortalia, qvalia Sol ipſi & Stellæ reliqvæ per §. 27. Nam & hominem definiebat animal rationale mortale.

§. 48. *Qvartò* eſt & emphaſis in verbis, οὐκ ἐστὲ ἄλυτοι τοπάμπαν. Οὐκ ἄλυτον τοπάμπαν, non idem eſt cum τοπάμπαν λυτῷ, ſeu ἁπλῶς λυτῷ, ſed ab eo diſtingvitur. Eſſet autem idem, ſi Deos illos voluiſſet Plato & ſuapte naturâ pariter & alienâ vi eſſe ſolubiles.

§. 49. Enimverò ſunt in Scholâ Platonis tria entium genera: unum τὸ ἁπλῶς ἄλυτον, qvod neqve ab ſe corrumpi, neqve ab alio poteſt, ut Deus; alterum τὸ ἁπλῶς λυτὸν, qvod & ab ſe, & ab alio, ut animal mortale; tertium duobus tanqvam extremis interjectum, τὸ πῆ ἄλυτον ἅμα καὶ λυτὸν, qvod ab alio, non ab ſe, ut immortale animal, ſidus, Atqve hoc tertium videlicet eſt τὸ οὐκ ἄλυτον τοπάμπαν.

§. 50. Diſtinctionem hanc Proclo debemus, qvi ſic enunciat f. 304. poſt med. (1.) τὸ ἄλυτον μόνον. (2.) τὸ λυτὸν μόνον. (3.) τὸ λυτὸν καὶ ἄλυτον. Initio illius folii qvatuor, ſed minùs accuratè, membra faciebat, his nominibus: *Primum* ἄλυτον ἁπλῶς παρ' ἑτέρου καὶ ἑαυτοῦ. *Secundum* ἄλυτον πῆ διχῶς. *Tertium* λυτὸν πῆ διχῶς. *Qvartum* culpâ librarii excidit, reponendum hîc obiter à nobis intuitu ſeqventium: λυτὸν ἁπλῶς παρ' ἑτέρου καὶ ἑαυτοῦ. Verùm hic membrum ſecundum & tertium non debebant duo numerari ſed unum, cùm ipſe agnoſcat Proclus, ea concurrere in θεοῖς ἐγκοσμίοις.

§. 51. *Ultimò* contrà interpretationem Severi & ſeqvacium illa faciunt, qvæ leguntur in textu de duplici δεσμῷ ſeu vinculo, diſſolutionem

Digitized by Google

tionem ſiderum illorum impediente: qvorum ut alterum expreſsè nominatur divina voluntas, ſic alterum niſi naturæ illorum bonitatem interpreteris atqve perfectionem, (nam qvi infirmitatem naturæ aut tale qvid ſubſtituunt, de qvibus infrà §. 112. 113. planè tormenta Platoni adhibent,) absqve ullo ſenſu idoneo jacebunt verba extrema in his: ὐ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, τῆς ἐμῆς βουλήσεως μείζονος ἔτι δεσμοῦ καὶ κυριωτέρου λαχόντες ἐκείνων, οἷς, ὅτ' ἐγίγνεσθε, συνεδεῖσθε. Ergò ſi ipſis natura pro vinculo eſt immortalitatis, qvomodo ſuapte naturâ tendere ad corruptionem poſſunt?

§. 52. Enimverò ſic eſt: Plato tametſi cœlum atqve illa in cœlo animalia diſparibus è naturis, qvarum una corpus eſſet, altera Spiritus, connexa ſibi perſvaſit: harum tamen vincula tàm firma eſſe cenſuit, ut ſuâ ſponte diſſilire non poſſent: planè ut cœlum Peripatetici diſputant, qvanqvam duabus rebus inter ſe ligatis, materiâ nimirum conſtet ac formâ, ſuâ tamen naturâ corruptionis ab intrà capax non eſſe.

§. 53. Inter hos tamen & Platonem, qvod ad locum præſentem attinet, id intereſt præcipuè, (non omnes diſcrepantias exeqvimur,) qvòd ipſi privilegium hoc imputant *formæ*, nobilitate ſui materiæ libidinem ſic ſatianti, ut hæc nativæ aliàs conſvetudinis velut oblita nihil appetat novi: cum Plato ad *efficientem cauſam* Deum nos potiùs remittat, cujus qvæ ſunt immediata opera, naturalem illam fatiſcendi neceſſitatem ignorent. Interim utraqve Schola nexum, ut vides, intelligit, qvi materiæ intercedat cum formâ, (informante an aſſiſtente diſpicere hîc nihil attinet.)

§. 54. Raynaudus cùm (ut ſuprà §. 27. monitum) verba Platonis de ſolis Intelligentiis caperet corporeâ mole exutis, nexum illum ſeu vincula mirabiliter exponit. *Nexûs*, inqvit, *qvibus Plato ait colligatas fuiſſe Intelligentias cùm procreatæ ſunt, qvosq; ait Dei voluntate fore perennes, non ſunt vincula qvædam ſive uniones materiæ & formæ Intelligentiarum, qvod & earum ſpiritualitati & ſimplicitati & incorruptibilitati præjudicaret: ſed ſunt actiones, qvibus Intelligentiæ à Deo pendent æternumq; pendebunt. Ex illis enim actionibus & Intelligentiis dependentibus exurgunt compoſita qvædam, actionum illarum ſuſpenſione diſſolubilia.*

§. 55.

§. 55. Sed hæc expoſitio toto cœlo aberrat à mente Platonis, tùm qvia Dii Platonici reverà compoſiti ſunt ex materiâ & formâ, (per §. 27.) tùm qvia per eam diſtingvi non poſſunt Angeli à ſubſtantiis mortalibus, contrà intentionem ejusdem Platonis (de qvâ §. 37.) ſiqvidem & hæ ſic dependent à Deo ſuſtentante, ut actionis divinæ ceſſatione vincula ipſarum ſolubilia ſint.

§. 56. Verùm reſtant in his Raynaudi verbis lapsûs adhuc graviores. Peſſimè enim ſibi cohærent, planeq; ſunt Philoſopho indigna. Qvod ita doceo. Si actiones illæ ſunt nexûs ſeu vincula, qvibus Intelligentiæ ligantur, qværo qvidnam ſit illud, cui per hos nexûs devinciuntur? Id verò audacter affirmo, Deum eſſe oportere. Actio enim, ſi ut vinculum cogitatur, alias res nullas connectit, qvàm agens patienti; agens autem hîc Deus eſt, patiens Intelligentia dependens à Deo. Illud ergò, qvod vi actionis, tanqvam vinculi, conſtitueretur compoſitum, ex Deo & Intelligentiâ componere debebat Raynaudus, non ex actione & Intelligentiâ. Aliud enim vinculum eſt, aliud res vinculo comprehenſa.

§. 57. Sed ipſe nimirum refugiebat Intelligentias cum Deo componere. Puto qvia videbat, de tali compoſito Platonem ibi non loqvi. Debebat ergò pariter animadvertere, etiam ab iſtiusmodi nexu abhorrere verba Platonis. Diſertè enim Plato duos nobis nexûs memorat, unum qvi ſit voluntas Dei, alterum, qvem Dii minores qvaſi à nativitate tulerint ſecum. Haud dubium, qvin prior ille ſit Platonicis diis externus, ut efficientis cauſæ cum effectu, poſterior internus, ut formæ cum materiâ.

§. 58. Cæterùm externum interno eâ de causâ firmiorem aſſerit Plato, qvia qvantumcunqve robuſtum internum illud vinculum diſcindi tamen ab externâ causâ potuit, non contrà: perinde ut Chriſtiana fides docet, Angelos utut vi naturæ immortales, poſſe tamen à Deo, ſi vellet, redigi in nihilum.

§. 59. Hos duos nexûs Raynaudus confundit, nullibi certè diſtingvit, ut videatur Platonem valdè ſupinis oculis inſpexiſſe. Omninò nexus, qvem ipſe in actione cogitat, externo illi ſimilior eſt qvàm interno. Sed ad has eum ineptias maximè adegit illud, qvod Platonicos iſtos Deos planè pro meris ſpiritibus habendos putavit.

§. 60.

§.60. Verùm & ſic ſalvâ Intelligentiarum immaterialitate, potuiſſet internum nexum reperire, vel illi ſaltem aliqvid non abſimile. Nam ut Plato Intelligentias ſuas ex materiâ & formâ, ſic Scholaſtici ſuas ex potentiâ & actu componunt, illâ materiam, hoc formam ſimulante. Sed ſatis nos detinuit Platonici loci textus.

§.61. Nunc de Platone alios etiam teſtes interrogemus. Qvorum qvi maximè ſunt ingenui, qvod in ipſo repererunt, nobis enunciant, nempe patronum ipſum fuiſſe, qvod ad futurum tempus attinet, æternitatis mundanæ, qvod ſufficit nobis: qvanqvam horum aliqvi, (Plutarchus, Steuchus, Lipſius, Poſtellus, Gaſſendus,) æternitatem illam ſoli voluntati divinæ, non etiam naturæ, (niſi fortè nos ambiguitas phraſeos, de qvâ ſuprà §. 11. Raynaudum citabamus, decipit,) imputatam à Platone perperam credunt. Sinamus eos ordine prodire.

§.62. Ariſtoteles I. de cœlo 10. in fine: ἐν τῷ Τιμαίῳ φησὶ, τὸν οὐρανὸν γενέσθαι μὲν, οὐ μὴν φθαρτὸν, ἀλλ' ἔσεσθαί γε τὸν λοιπὸν ἀεὶ χρόνον. Igitur & cùm ſub initium iſtius capitis text. 102. aliis Philoſophorum cœlum ſemper fore, aliis corruptum iri, Ariſtoteles dixiſſet, interpretes, (ut Averroes Volum. V. p. m. 70. Conimbricenſes p. 131. Hauenreut. p. 122.) priorem ſententiam ad Platonem trahunt.

§.63. Philo de incorruptibilitate mundi f. m. 588. è verſione Gelenii: *Genitum autem* (Mundum) *ſed incorruptibilem ajunt à Platone in Timæo dici pro concione Deorum.* Lege & cætera, qvæ prolixitatis vitandæ gratiâ non deſcribo.

§.64. Laertius inter δόξας Platonicas p. 229. ed. Colon. Allobr. A. 1616. ἄφθαρτον διαμένειν τὸν κόσμον διὰ τὸ μὴ διαλύεσθαι εἰς τὸν θεόν. Vertit Ambroſius Camaldulenſis p. m. 146. *immortalem durare mundum, eò qvod non diſſolvatur in id, qvod non eſt.* Pro τὸν θεὸν ergò legit τὸ μὴ ὄν. Hanc varietatem notavit & Caſaubonus p. m. 60. Verùm utrovis modo legas, prope res afuerit à nugatione: neqve tale qvid pro causâ Plato affert. Cujus mentem, qvanqvam ejus non ubiqve peritiſſimum fuiſſe Laertium ſcio, liqvidiùs habebis, ſi legas, διὰ τὸ οὕτω βούλεσθαι τὸν θεόν.

§.65. Plutarchus II. placit. c. 4. Πυθαγόρας καὶ Πλάτων γενητὸν ὑπὸ θεοῦ τὸν κόσμον, καὶ φθαρτὸν μὲν ὅσον ἐπὶ τῇ φύσει, αἰσθητὸν γὰρ εἶναι διὰ τὸ σωματικὸν, οὐ μὴν φθαρησόμενόν γε προνοίᾳ καὶ συνοχῇ θεοῦ.

§. 66.

§. 66. Timæus Locrus opuſc. de animâ mundi, qvod operibus Platonis inſeri ſolet, f. m. 1090. *δηλόμενος ὢν (θεὸς) ἄριστον γένναμα ποιεῖν τοιοῦτον ἐποίει θεὸν γεννατὸν, οὔποκα φθαρησόμενον ὑπ' ἄλλω αἰτίω, ἔξω τῶ αὐτὸν συντεταγμένω θεῶ, εἴποκα δήλετο αὐτὸν διαλύειν.* Timæum hunc teſtibus de Platone interſero, qvanqvam Nobiliſſ. Conringio c. 15. Propolit. p. 104. facilè aſſentiar, hæc & ſimilia conficta videri.

§. 67. Apulejus de dogm. Plat. p. 255. ed. Colon. *Qvòd ei* (mundo) *naſcendi cauſam DEUS præſtitit, ideò immortalis eſt ſemper futurus.*

§. 68. Lactantius lib. VII. c. 1. p. 526. *Plato* (mundum) *in perpetuum dixit eſſe fabricatum.* Et c. 3. p. 535. *Plato, ne Dei opus imbecillum ac ruinoſum faceret, in æternum dixit eſſe manſurum.*

§. 69. Ambroſius I. Hexaem. 1. *Plato non ſemper fuiſſe, ſed ſemper fore* (mundum) *præſumit aſtruere.*

§. 70. Auguſtinus lib. X. de Civ. Dei c. 29. *Platone autore animal eſſe dicitis mundum, & animal beatiſſimum, qvod vultis eſſe etiam ſempiternum.* Item c. 31. *Et de mundo, & de his, qvos in mundo Deos à Deo factos ſcribit Plato, apertiſſimè dicit eos cœpiſſe, & habere initium, finem tamen non habituros, ſed per conditoris potentiſſimam voluntatem in æternum permanſuros eſſe.*

§. 71. De Platonicis in hanc ſententiam locum Damaſceni ſuggeret B. Gerhardus Tom. IX. Loc. tit. de Conſumm. Sec. n. 15. p. 350.

§. 72. Recentiorum, idem qvi de Platone teſtantur, nomina tantùm è multis pauca citabo. Ii ſunt Aug. Steuchus lib. VII. de perenni philoſ. c. 5. p. 372. Delrio p. 532. 533. in Senecæ Octaviam è Stobæo, Lipſius II. Phyſ. Stoic. diſſ. 20. p. 104. 105. Benius p. 433. in Timæum Platonis, Poſtellus lib. I. de orbis concord. c. 4. f. 29. Gaſſendus Phyſ. ſect. I. lib. I. c. 7. Tom. I. Op. f. 171. qvi & f. 172. Ciceronis qvendam locum obiter affert.

§. 73. Supereſt illis reſpondeamus, qvi Platonem ſecus atqve nos interpretati, in eo, qvòd mundus aliqvando ſit interiturus, volunt ipſum religioni noſtræ conſenſiſſe. Hi ſunt ex veteribus Juſtinus Martyr, Epiphanius, Æneas Gazæus, & Zacharias Mitylenæus; ex recentioribus Leo Hebræus, & Cælius Rhodiginus.

§. 74. Juſtinus Martyr in Parænetico f. 31. 32. edit. Pariſ. A. 1636. inter alia, qvæ Platonem vult à Moſe & Prophetis eſſe mutuatum, illud

qvoqve Timæi commemorat, qvo ait Plato, *Tempus unà cum cælo factum eſſe, ut unà orta unà etiam diſſolvantur, ſi qva his diſſolutio contigerit.* Græca Platonis proferemus infrà §.90. ſic ſatis fideliter à Juſtino retenta.

§.75. Ipſe igitur, ut, qvæ de ortu cœli narrat Plato, eum cenſet principio Geneſeos debere, ſic qvæ de diſſolutione, Prophetis: πόθεν δὲ καὶ περὶ λύσεως οὐρανοῦ φαντασθεὶς οὕτω γέγραφεν; οὐχὶ καὶ τοῦτο παρὰ τῶν ἱερῶν προφητῶν μεμαθηκὼς, καὶ οὕτως εἰρῆσθαι παρ' αὐτῶν νομίσας;

§.76. Significavit ergò non obſcurè, Platonem de interitu cœli eadem, qvæ noſtros Prophetas, tradidiſſe. Sed hoc è loco Timæi non probari, mox §. 80. planum faciemus.

§.77. Qvâ ratione ſimul Epiphanio reſponſum fuerit. Nam & ipſe aut planè nullum ſententiæ ſuæ argumentum habet, aut non aliud, qvàm Juſtinus.

§.78. Nullum, in compendiariâ doctrinâ de fide, qvæ eſt clauſula operis contrà hæreſes f. 459. ed. Græc. Baſ. A. 1544. (f. 520. ed. Latin. Baſ. A. 1545.) Πλάτων Ἀθηναῖος ἔλεγε --- τὸν κόσμον γεννητὸν καὶ φθαρτὸν ὑπάρχειν.

§.79. Non aliud, qvàm Juſtinus, lib. I. contrà hæreſ. Tom. I. hær. 6. ubi tametſi ex mente Platonis de principio mundi potiùs qvàm fine loqvitur, Platonicum tamen textum minùs fideliter citando facit, ut ex eo credamus interitum qvoqve mundi juxtà Platonem probare ipſum voluiſſe. Sic enim dat loqventem Platonem: οὐρανὸς ἅμα χρόνῳ γεγένηται, ὁμοῦ γὰρ καὶ λυθήσεται.

§.80. Verùm Plato non ſimpliciter dixerat, periturum cœlum, ſed, ſi periturum eſſet, unà cum tempore periturum. Non eadem hypotheticæ vis eſt propoſitionis, qvæ categoricæ.

§.81. Epiphanium excipiat Æneas Gazæus, Scripſit hic dialogum de immortalitate animarum & corporum reſurrectione, ubi cum Theophraſto Platonico Philoſopho, (cujus nomen inditum & Dialogo,) diſputantem inducit Axitheum Chriſtianum. Qvi Theoplraſto interitum orbis neganti objicit inter alia Platonem ſuum his verbis p. 63. 64. ed. Barthii: οἶδε τὴν φθορὰν πάντων ὁ Πλάτων, ἢ καὶ ἀθανασίαν τὴν μέλλουσαν ἠγνόησεν. οὐ γὰρ τῆς γῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ οὐρανοῦ φθορὰν σαφῶς ἐπεισάγει Τιμαίῳ λέγων, ἐκ τῆς οἰκείας φθορᾶς τὸν οὐρανὸν τρέφεσθαι.

§. 82. Verba qvidem hæc in toto Timæo nuſpiam leguntur. Sed illis tamen aliqvid ſimile comparet f. 1049. D. ad qvod Æneam, ex memoriâ citantem ſuâ, qvod alibi fatentem ipſum dabo §. 91. reſpexiſſe vix dubitem. Magnum enim illud animal Mundus ibi depingitur *αὐτὸ ἑαυτῷ τροφὴν τὴν ἑαυτοῦ φθίσιν παρέχον.*

§. 83. At verò tantum abeſt, ut his verbis Plato mortalem faciat mundum, ut immortalitatem ejus confirmatum eat potiùs. Differit enim ibi de *αὐταρκείᾳ* Mundi, eumq; tale animal eſſe ait, qvod nec oculis indigeat, nec auribus, nec attractione aeris ambientis, qvi nullus ſit, nec aſſumptione alimenti externi, cùm ab ſe ipſo alatur. Ergò mundus illi ex hoc ipſo, qvia non indiget alienæ opis, ſed ſe ipſo nutritur, non corrumpetur, verùm durabit potiùs jugiter.

§. 84. At, inqvies, ait Plato, ali Mundum ſuâ *φθίσει*, vel qvod idem eſt, *φθορᾷ*: futurum ergò ſic, ut paulatim contabeſcat. Sanè *τῆς φθορᾶς* vocem urget Æneas, cùm ſubdit: *εἰ τοίνυν τροφὴ καὶ φθορὰ, πῶς τὸ ἀθάνατον*; Sed facilis eſt reſponſio: Ut qvi lucernas igne perpetuo ardentes machinantur, oleo ſic proſpiciunt, ut continuâ & perfectâ vaporis in pabulum reſolutione deficere flamma non poſſit: ita Plato dicet, qvicqvid ſui depaſcitur mundus, aliâ viâ reverti in alimentum, jugiq; regeſtioni ſufficere. Nam & hoc dixerat, non eſſe locum, in qvem hoc animal qvicqvam excernat.

§. 85. Ne qvid tamen diſſimulem, ſuſpecta mihi vox *φθίσεως* eſt, licet ea lectio tàm antiqva ſit, ut codices obſederit jam tùm Gazæi ævo, qvi de memoriâ non afferret *φθορὰν*, niſi *φθίσιν*, h. e. aliqvid affine *τῇ φθορᾷ* legiſſet in Timæo.

§. 86. Eqvidem nòvi, qvàm ſit amans Rhetoricorum ſchematum Plato, ac feram, ſi qvis animal vel lege naturæ, vel coactis inediis exuccum ac macilentum *tabe ſuâ paſci* dicat. Feram, ſi qvis ita de mundo loqvatur per contemptum, ut innuat, eum paulatim abſorptione ſui decreſcere. Planè ſic à Plutarcho factum video, qvi Chryſippum irridens, qvòd ille dixiſſet *τὸν κόσμον αὔξεσθαι ἐξ ἑαυτοῦ τρεφόμενον*, infert, inde contrarium ſeqvi potiùs: *εἰκὸς ἦν*, inqvit, *τοῦτον μὴ αὔξεσθαι, τὴν ἑαυτοῦ φθίσιν ἔχοντα τροφὴν*, de repugn. Stoic. f. m. 1052. D. At Platonem qvis credat ita locutum de Mundo, qvem ex hoc ipſo pulchrum, floridum, ſibi ſufficientem perſvadere nobis vellet?

§. 87. Dixerat in præcedentibus, Deum, dum extrà mundum nihil poſuit, qvod afflare ipſum poſſet, per hoc perfectum illum, & ſenectutis morbiq; immunem eſſe fabricatum. Qvod Apulejus p. 254. de dogm. Plat. ed. Colon. ita expreſſit: *Attributa eſt ei perpetua juventus, & inviolata valetudo, eiq; nihil prætereà extrinſecus eſt relictum, qvod corrumpere poſſet ejus ingenium.* Ea enim eſt natura corporum, (ita pergit Plato,) ut à rebus forinſecus obſeſſæ contrahere ſenium, & *contabeſcere* (φθίνειν) qveant. Voluit ergò immunem eſſe mundum à φθίσει.

§. 88. Qvi autem hoc voluit, ſui ne ſic ſtatim oblitum veriſimile eſt, ut paulò pòſt ſuâ φθίσει, mundum ali diceret? Qvamobrem ſi qvis φύσιν ſubſtituat pro φθίσει, facilè me aſſenſorem habebit. Ita mundus erit animal αὐτὸ ἑαυτῷ τροφὴν τὴν ἑαυτοῦ φύσιν παρέχον.

§. 89. Geminum in modum apud Horapollinem I. Hieroglyph. 2. Mundus eſt ſerpens, qvi ὡς τροφῇ τῷ ἑαυτοῦ σώματι utatur. Mundum enim pingentes ſerpentem pingebant, qvi ſuam ipſius caudam roderet: ut ſignificarent, qvæ in Mundo gignuntur, ea rurſus in eundem reſolvi.

§. 90. Parum commodabit qvidem hæc lectio Gazæo, ſed ad ſcopum Platonis quid potuit ſcribi planius? Cavet enim ipſe diligenter, ne qvid effutiat, qvod mundo certum minetur exitium, Itaqve & f. 1052. A. de temporis interitu cùm loqveretur, conditionalem propoſitionem dedit, non abſolutam: χρόνος μετ' οὐρανοῦ γέγονεν, ἵνα ἅμα γεννηθέντες ἅμα καὶ λυθῶσιν, ἄν ποτε λύσις τις αὐτῶν γίγνηται.

§. 91. Qvod ſuprà §. 82. monui Gazæum verba Timæi Platonici è ſuâ memoriâ prompſiſſe, credibile nunc facio ex alio ejus loco p. 49. ubi diſertè memoriam ſuam appellat. Ἀναμνήσω δέ σε Τιμαίου, καὶ τῆς τοῦ Δημιουργοῦ δημηγορίας, ἢ τὸ προοίμιον, ὡς ἐγὼ μέμνημαι.

§. 92. Et verò, qvæ mox tanqvam Platonica profert, non exactiſſimè nobis admetiuntur ipſas Timæi λέξεις, qvas §. 22. fideliter deſcripſimus. Sic enim Gazæus: Θεοὶ θεῶν, ὧν ἐγὼ πατήρ τε καὶ δημιουργός, ἀθάνατοι μὲν πάμπαν οὐκ ἐστὲ, ἐπείπερ ἐγένεσθε, οὔτι γε μὴν λυθήσεσθε, τῆς ἐμῆς βουλήσεως κρείττονος θανάτου λαχόντες: qvæ ſatis diſcrepant à Platonicis, nec pauca omittunt. Clariùs hoc intelliges è §. 34. & 113.

§. 93.

§. 93. Poterat interim hic locus Platonis vel ſic repræſentatus admonere Gazæum, Platoni mundum corruptionis expertem fore. Sed videtur eum de Intelligentiis expoſuiſſe, qood & ſolenne Patribus eſſe §. 27. retulimus, ac repugnat illius apud Gazæum diſputationis curſui. Volebat enim ibi Axitheus Theophraſtum, animæ immortalitatem, ſi ipſa in tempore procrearetur, vocantem in dubium, autoritate Platonis reprimere, eo ipſo, qvia *Deos Deorum* pronunciet immortales, qvos tamen à conditore profectos fateatur, negantis, qvicquid eſt conditum, obnoxium eſſe corruptioni: ubi tantundem valet, ſive *Deos Deorum* Intelligentias interpreteris, ſive corpora ſiderea.

§. 94. Venio ad Zachariam Mitylenæum, cujus Dialogus de Mundi opificio contrà Philoſophos Dialogo Gazæi adeò ſimilis eſt argumento & ſenſibus, ut alterum alterius fruge uti voluiſſe vero perqvàm ſit ſimile. Nam & hîc Chiſtianus inducitur Medico cuidam, æternitatem univerſi Platonicis rationibus fulcienti, obnitens, & Magiſtri eum ſui autoritate irretitum cupiens. Sed uter alterum ætate præceſſerit, ambiguum eſſe video.

§. 95. Nobiliſſ. Barthius, qvi amborum Dialogos junctim edidit, p. 158. & 243. priorem Gazæo vult ſcripſiſſe Zachariam. At, ſi Zacharias fuit ille Mitylenes Epiſcopus, qvi anno 553. interfuit qvintæ Synodo ſub Juſtiniano celebratæ, ut habet opinio vulgaris, etiam Auberto Miræo recepta Part. I. Bibl. Eccleſ. f. 209. vix anteverterit Gazæum ſcribendo, utpote anno circiter 485. florentem, de qvo Labbeum vide Tom. I. de Script. Eccl. p. 15.

§. 96. Utut ſit, in Platone ad partes Chriſtianorum rapiendo enixiùs laboravit Zacharias, & plus perdidit verborum. Cùm enim p. 194. qvinqve Platonis è Timæo recitaſſet locos; qvanqvam in id utens plerisqve, ut initio non carere mundum exinde monſtraret, p. ſeq. ſubdit: *ὅρα ὅπως αὐτὸς ὁ Πλάτων καὶ γεννητὸν οἶδε τὸν οὐρανόν, καὶ εἰ γέγονε, λυόμενόν τε καὶ φθειρόμενον, λύσεως ἐξ ἀνάγκης τῇ συνθέσει παρεπομένης, πᾶν γὰρ σύνθετον καὶ διαλύεσθαι πέφυκε.* Reſpicit opinor ad locum, qvem paulò ante produxerat è Timæo: *τὸ μὲν δὴ δεθὲν πᾶν λυτόν.*

§. 97. Atqvi ſuprà §. 39. patuit, non aliud ibi Platonem ſignificare, qvàm interitum orbis non eſſe prorsùs impoſſibilem. A poſſe

autem ad eſſe negant valere conſeqventiam Philoſophi. Porrò interire poſſe mundum qvidem, ſed non interiturum ex mente Platonis, non modò ſuſpicari licet ex ejus loqvendi cautione, dùm conditionatè loqvitur, *tempus unà cum cælo ceſſaturum, SI MODO ceſſatio illis evenire poſſit,* (ſuprà §. 90.) ſed etiam aſſeverare ob verba manifeſta: *mortis fatum non ſubibitis, voluntate meâ vinculi novi vicem vobis præſtante,* (regredere ad §. 40.) Id qvod de Mundo dictum ne ipſe qvidem negat Zacharias.

§. 98. Et tamen, qvod mireris, invenit, qvod his locis, qvos pro μορμολυκείοις & inanibus terriculamentis deridet, reſpondeat. Qvid ergò? Contradicere ſibi Platonem, &, qvod in nocturnâ pugnâ fieri ſolet, ipſum dimicare ſecum. Sed qvomodo fidem facit? Qvia, inqvit, idem Plato dicit: (1.) *omne vinctum diſſolvi poteſt:* (2.) *neqve omninò diſſolutionis expertes eritis;* qvia item alibi (3.) *ex propriâ corruptione cælum ali affirmat.*

§. 99. Verba Zachariæ ſunt: μὴ δὲ μορμολυττέτω λέγων· αὕτως ἄρα λύσις αὐτῶν γίνεσθαι. καὶ, ὡς οὐ τεύξεσθε θανάτου μοίρας. Ἔφη γὰρ (1.) τὸ μὲν δὴ πᾶν δεθὲν λυτόν. καὶ (2.) ὡς οὐ πάμπαν ἄλυτοι ἔσεσθε. καὶ (3.) ἐκ τῆς οἰκείας δὲ φθορᾶς τὸν οὐρανὸν φησὶ τρέφεσθαι. Φύσει δὲ φθαρτὰ χρήματα πάντα παρ᾽ αὐτῷ γιγνώσκει, καὶ δεκτικὰ λύσεως οἶδεν, ἐπειδὰν καὶ γέγονεν. Εἰ δὲ βουλήσει τοῦ δημιουργοῦ ἀθάνατα ταῦτα εἶναι φησὶν, ἀγχάλλων ὅτι καὶ φήσειεν, ἐναντιολογῶν τι, καὶ καθάπερ ἐν νυκτομαχίᾳ μαχόμενος ἑαυτῷ.

§. 100. Accipiamus qvod dat Zacharias, locis qvibusdam Platonem favere futuræ Mundi perpetuitati. Reſtat experiamur, num ſecum ipſe aliis locis, (qvos, ut vides, ternos numeravimus,) pugnet. Hoc verò abſimile nobis vero eſt.

§. 101. Saltem non putamus, id eodem in Dialogo fieri; minùs in eâdem tantùm non lineâ. Fieret autem, ſi *ſecundus* locus, qvem urget Zacharias, (nam *primo* reſponſum eſt modò §. 97.) corruptioni mundanæ faveret: qvandoqvidem immediatè nectuntur ſibi apud Platonem (ſuprà §. 22.) ὅτι μὲν δὴ λυθήσεσθέ γε, οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρας, qvod contrà corruptionem facere largitur Zacharias, &, qvod præcedit: ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ, οὔτ᾽ ἄλυτοι πάμπαν, in qvo ſibi alia omnia viſus eſt inveniſſe.

§. 102. Sed viſus: nam & hæc verba immortalitatem cœli adeò non infringunt, ut ſtabiliant potiùs. Tantùm hoc negatur, eam eſſe ejus-

ejusdem generis cum immortalitate ipſius Dei, qvippe non abſolutam, nec externæ omni violentiæ imperviam. Repete qvæ §. 49. & ſeqq. diximus.

§. 103. Qvid autem eſt, qvòd in his verbis pro ἐςὶ Zacharias ἔσεσθε nobis ſubſtituit, futurum pro præſente? ὐ πάντως ἄλυτοι ἔσεσθε. An licere putavit ſibi Platonicum textum in eam formare faciem, qvæ ſibi foret commodiſſima? An librarii culpa hæc fuit? An memoriæ, qvalem & Gazæi notabamus §. 82. circa locum, qvem hîc in Zachariâ *tertium* numeratum jam tùm ibi ſufficienter excuſſimus, ἐκ τῆς οἰκείας φθορᾶς τὸν ἐρανὸν τρέφεσθαι. Qvæ verba totidem planè apicibus leguntur non apud Platonem, ſed apud Gazæum, ut veroſimile ſit, alterum ab altero ſe decipi paſſum eſſe.

§. 104. Qvæ ſeqvuntur apud Zachariam, φύσει δὲ φθαρτὰ χρήματα πάντα ταῦτα γινώσκει, nihil afferunt novi, ſed inculcant ſenſum ſuperiorum.

§. 105. Nos repetitione noſtrorum ſuperſedentes concludamus, Platoni meliùs hîc ſecum, qvàm cum Chriſtianis convenire: transeamusqve ad Leonem Hebræum, qvi ipſe qvoqve Dial. III. de Amore (f. m. 500. Tom. I. Cabaliſt. Piſtorii) perſvaſum nobis cupit, cœlos ex ſententiâ Platonis tandem corrumpendos fore.

§. 106. Sed agnovit ejus ex Italico (hâc enim lingvâ Dialogos dederat,) interpres Jo. Carolus Saracenus, *propriam hanc eſſe ipſius ſententiam*, (d. l. in marg.) *qvam Platonicorum interpretum contemptâ ſpretâq; autoritate ſibi ſumpſerit,* (arg. in eum Dialog. f. 444.)

§. 107. Et verò nihil hîc affert Leo præter ſuſpiciones. Qvarum hæc textura eſt: Animadvertit, materiam primam, ſeu rude illud atqve informe chaos haberi Philoſophis pro generationis omnis, corruptionisq; principio; ex hoc fundamento ortum & interitum & in ſublunares naturas, ut qvæ materiâ conſtent, derivari, & à cœlo, ut qvod materiæ, ſaltem hujus, ſit expers, propulſari; contrà Platonem, qvia cœlum juxtà cum ſublunaribus ex eâdem conflaverit materiâ, ut ortum illi dederit, ſic negare interitum non potuiſſe; divinâ tamen potentiâ ſufflaminari crediſiſſe nativam cœli habilitatem; inde fieri, ut cùm inferiora breviſſimis intervallis naſcendi vices ac moriendi ſervent, cœlum diuturnâ qvâdam ac ſtabili ætate gaudeat, qvæ nihilo ſeciùs finienda ſit ad extremum.

§. 108.

Digitized by Google

§. 108. Retulimus bonâ fide non verba Leonis, ſed ſenſûs. Qvos ex eo hauſiſſe qvoqve, ut alia non pauciſſima, nobis videtur ſuppar illi ſcriptor Strozzius Cigogna lib. I. theat. nat. c. 8. p. 83. ſi excipias, qvod ultimum dicebamus, cœlum omninò ex Platonis mente periturum: de hoc enim tacet Cigogna.

§. 109. Verùm non debuit æſtimari Plato ex principiis alienæ Philoſophiæ. Ariſtoteli qvidem, qvi Mundum neceſſitati acceptum referebat, non libertati divinæ, indubium hoc fuit, qvicqvid ortum eſt in tempore, aliqvando & interiturum; qvod interiturum non ſit, etiam retrò æternum eſſe; ſecus ut fiat, in impoſſibilibus habuit.

§. 110. Hæc axiomata in Scholam Platonis qvi intulerunt, è duobus alterum impingere Platoni coacti ſunt, ut aut exiſtendi principium adimeret mundo, qvia finem ademerat; aut cum principio daret & finem. Prius elegerant Platonici qvidam, de qvibus §. 2. memorabamus, poſterius Leo.

§. 111. Cui Plato ſic reſponderet, qvod ortum eſt, interire poſſe; at verò, qvod à Deo ut causâ voluntariâ ſit ortum, illi ab eadem causâ ſi velit, perpetuitatem indulgeri poſſe; & hoc privilegio ſe mundum a Deo donatum arbitrari, qvòd opificium tàm elegans, ubi ſemel conſtruxeris, demoliri improbum videatur: Neqve ſe conſeqventiam agnoſcere, ubi materia prima ſit, ibi nativam labilitatem ineſſe oportere; nam ad efficientem qvoqve cauſam reſpiciendum hìc eſſe, ut, qvæ opera ſint à Summo Deo immediatè profecta, in iis immortalitatem nemini, præterqvam autori, expugnabilem eſſe credamus; qvæ à Diis minoribus, non mirum, ſi ſecus habeant: Mundum ergò duplici vinculo, ne diſſui poſſit, contineri, uno naturæ ſuæ tali à causâ inditæ, altero divinæ voluntatis.

§. 112. Hæc duo vincula è Timæo ſuprà §. 51. clariſſimè demonſtravimus. Verùm Leo Hebræus, dum Timæum citat, pro altero vinculo infirmitatem, h. e. pro ſanitate morbum nominat nobis, manifeſto ſatis indicio lippientis oculi. Græca enim illa: τῆς ἐμῆς βȣλήσεως μείζονος ἔτι δεσμȣ̃ καὶ κυριωτέρȣ λαχόντες ἐκείνων, οἷς, ὅτ' ἐγίγνεσθε, συνεδεῖσθε, ſic reddit: *mea namq; potentia*, (tranſeat, qvòd pro voluntate potentiam nominat,) *veſtram infirmitatem longiſſimo ſuperat intervallo.*

§. 113.

§. 113. Nihilo meliùs ϑάνατον pro altero vinculo ſubſtituerat Æneas Gazæus, (ſuprà §. 92.) Neqve ſaniora ſunt hæc Cigognæ, loco qvem §. 108. indicavimus: *Meum autem conſilium*, inqvit Deus (ad Mundum,) *plus poteſt ad immortalitatem tui, qvàm natura ad interitum*.

§. 114. Pergit Leo: *At ego Platonem cœlos per hæc verba neqvaqvam ſemper indiſſolubiles fore exiſtimo voluiſſe: at rationem tantummodò, cur ipſos ex inferiorum corporum more viciſſim gigni corrumpiq́, & anguſtis eorum vitam terminis circumſcribi minimè conſpiciamus, cùm tamen ex eâdem communiq́, & iſti & illa materiâ, à qvâ novitas & diſſolutio proficiſcitur, conſtent, cum arbitror reddidiſſe.* Hoc non eſt interpretari ſenſum, ſed torqvere.

§. 115. A Cœlio Rhodigino, qvi adhuc reſtat, eò brevioribus nos expediemus, quia nec probat ille, qvæ dicit, & ſatis obſcurè animi ſenſa promit, ad hoc argumentum qvidem qvod attinet. Dicas eum oracula fundere voluiſſe.

§. 116. Capite ultimo Lectionum Antiqvarum totus in eo eſt, ut Platonem, tanqvam à Chriſti placitis haud ferè diſſitum laudet. Igitur iſtius Philoſophi *inenarrabilis* illi eſt *ſapientiæ amplitudo atqve majeſtas, & qvod mirari non vacat ſatis, Chriſtianæ veritatis ita veſtigiis adnexa conglutinatáve, ut ſimilitudo major cogitari magnoperè nulla poſſit.*

§. 117. Sed ubi ad interitum cœli terræq́; perventum eſt, hæc in utramqve partem flexibilia legas: iſta *omnia* juxta Platonem *perſeverantiæ eum eſſe habitura modum, qvem ſummi Opificis præſcripſerit Sapientia.*

§. 118. Putat autem Plato, nullum præſcripſiſſe. Ergò nec ullum habebunt. Ita omninò ſenſit Plato. Sed Rhodiginus verbis ad fallendum compoſitis contrarium de hoc Philoſopho credi voluit.

§. 119. Finire hîc poteram, niſi è Paulo Benio (p. 432. in Timæum Plat.) intellexiſſem, eſſe qvoſdam, (neminem nòminat,) qvi non dubitent, qvas Plato alicubi (ut in Timæo f. 1043.) terrarum exuſtiones memorat, cum eo incendio conjungere, qvod ex divinis literis didicimus mundo huic mortali interitum allaturum.

§. 120. Verùm his rectè reſpondet idem Benius, Platonem *non de generalibus cladibus loqvi, ſed de iis tantùm, qvibus certæ terrarum*

parti vaſtitas inferatur: (diſces hoc idem è loco Minucii Felicis, quem ſuprà §.16. deſcripſimus:) *nam apertè tradit, ab iis exuſtionibus atqve vaſtationibus Ægyptum atq; eas omnes regiones liberas eſſe, qvæ penes fluvios ac maria poſitæ ſunt, atqve hoc pacto antiqvitatum memorias conſervari.*

DISSERTATIO IV.

ad Theſ. VIII. u.

Ariſtotelica Mundi Æternitas.

§. 1.

A*Riſtoteles*, teſte Lactantio lib. VII. c. 1. *ſemper ait fuiſſe mundum, ac ſemper futurum.* Conſentiunt in hoc de Ariſtotele effatum Cicero in Lucullo p. 30. Æneas Gazæus p. 58. Theophraſti ſui, & ore uno, qvod ſciam, priſci pariter ac recentes omnes, ſi unum fortè vel alterum excipias, qvem intempeſtivum, hoc ævo maximè, qvo barbaram hiſtoriæ veteris ignorantiam exuimus paulatim, ſtudium demonſtrandi conſenſum Ariſtotelis cum S. Scripturâ eò adegit, ut contra tot ſeculorum perſvaſionem, contra manifeſtam oculorum fidem, tueri incipiat, dari juxta Ariſtotelem & creationem mundi cum novitate eſſendi, & interitum.

§. 2. Verùm aſſertioni huic refutandæ vel ſolum cap. 10. lib. I. de cœlo ſuffecerit. Ubi de duratione mundi ex profeſſo agens Ariſtoteles tùm eorum rejicit opinionem, qvi principium illi ſine fine, tùm aliorum, qvi principium pariter & finem dabant. Neceſſe eſt ergò, ipſe Mundum principii pariter & finis expertem ſtatuerit. Nam fini illi certè absqve principio, (qvæ qvarta ſententiarum varietas reſtat, ſoli Loqventium Sectæ apud Averroem in h. l. cujus verba qvære lit. b. ad theſ. II. approbata,) non dedit, neqve hujus opinionis ab ullo, qvod compertum habeam, fuit unqvam inſimulatus.

§. 3. Nobis, qvia de fine mundi, non principio, ſuſcepta in his eſt tractatio, faciendum hoc loco, ut aliqvid ſigillatim de ruinâ orbis

ex

ex ejus Philoſophi mente promamus. Qvam ipſe nullam profectò univerſalem credidit.

§. 4. Etenim lib. I. Meteor. c. ult. cùm de particularibus diluviis memoraviſſet, *ridiculum* tandem pronunciat (f. 424. H.) *ob parvas breviculasq́ mutationes univerſum moveri aſſerere:* additq́; (f. ſeq. A.) *ut anni temporibus hiems intervenit, ita magnâ qvâdam temporum converſione* (περιόδου τινὸς μεγάλης) *magnam hiemem & exceſſum imbrium intervenire.*

§. 5. Hunc ejus locum afferri video à viris doctis, (*Magio* I. de Mundi exuſt. 8. f. 17. *Lipſio* II. Phyſiol. Stoic. 21. p. 106. *Lindenbrogio* ad Cenſorin. p. 98. *Gonſalio* de duplici terrâ viv. p. 99.) ad explicandum illud Cenſorini c. 18. de die nat. *Eſt præterea* annus, *qvem Ariſtoteles* maximum *potiùs qvàm* magnum *appellat, qvem Solis & Lunæ vagarumq́ qvinqve ſtellarum orbes conficiunt, cùm ad idem ſignum, ubi qvondam ſimul fuerunt, unà referuntur, cujus anni* hiems *ſumma eſt* κατακλυσμός, *qvam noſtri diluvionem vocant,* æſtas *autem* ἐκπύρωσις, *qvod eſt mundi incendium. Nam his alternis temporibus mundus tùm exigneſcere, tum exaqveſcere videtur.*

§. 6. Verùm bene faciunt Lipſius & Lindenbrogius, qvòd hîc trepidant. Apud Ariſtotelem enim eo in loco nulla *anni maximi* cognominatio; nulla ἐκπυρώσεως aut *æſtatis* mentio; *hiemis* qvidem aliqva, ſed *magnæ*, non *ſummæ* ſeu *maximæ:* h. e. diluvii, ſed particularis, qvale Deucalioneum in ſeqventibus memorat, non univerſalis, qvod ipſe nullum credidit.

§. 7. Ergò ſi Cenſorini ἐκπυρώσεις & κατακλυσμοὺς exponimus, ut fieri debere apparet, de ruinis univerſalibus, certum eſt, Ariſtotelem contraria docuiſſe. Unde Philo Judæus, contrà interitum mundi diſputans, Stoicis eum opponit, apud Calixt. de ſupr. judic. p. 136. Longè rectiùs, qvàm Delrio, qvi Comm. in Senecæ Octav. p. 523. Ariſtoteli in hoc κατακλυσμοῦ & ἐκπυρώσεως negotio Stoicos jungit, & p. ſeq. *extremum mundi diem* ex eodem Ariſtotele memorat nobis: cùm tamen p. 532. (locum hunc ejus dedi lit. s. ad theſ. VIII.) Ariſtoteli ſententiam de mundo nunqvam perituro contrà Stoicos dediſſet.

§. 8. Hæc ita cùm ſint, qvid Cenſorino faciemus? Non diſplicet illa, etiam Voſſio p. 257. theſ. Theol. approbata, Lipſii ſuſpicio, d. l. in margine, annon *Ariſtocles* (pro *Ariſtoteles*) in illo Cenſorini loco

legendum? qvem ex Euſebio, (locum ejus dabo Diſſert. ſeq. §. 35.) conſtet de conflagratione ſcripſiſſe.

§. 9. Qvisqvis autem ille fuit, videtur ſic cenſuiſſe, ut magnus annus ſit, qvi mundo particulares inferat ruinas, maximus qvi univerſales. *Magnum* ex Ariſtotele voces περίοδον μεγάλην: *maximum* ex Numenio περιόδους μεγίστας & ἐνιαυτὸν τὸν μέγιστον. Numenii verba vide apud Euſebium XV. præp. Evang. f. 479. ed. Lutet. A. 1544. & Lipſium II. Phyſ. Stoic. 22. p. 107.

§. 10. Tamen, inqvies, apud Ariſtotelem univerſalia qvoqve excidia reperio. Nam in libro de Elementorum proprietatibus ſcribit, *ubi Planetæ conveniunt in Piſcium ſignum, contingere mox, ut aqvis diluantur omnia; qvòd ſi in Geminis ſit coitus is, futuram univerſi conflagrationem.* Sane citat hæc, qvanqvam alienâ fide, Rhodiginus I. Lect. Antiq. 20. E qvo repetunt, & ad generales duos obitûs Mundanos accommodant Magius I. de exuſt. mund. 8. & Benius in Timæ. Platon. p. 433. qvi fatetur, hæc cum reliqvis Philoſophi decretis miriſicè pugnare. In qvo profectò eum ratio non fugit.

§. 11. Verùm nobis expedita reſponſio eſt, illum *de Elementorum proprietatibus* librum eſſe cujuscunqve potiùs, qvàm Ariſtotelis, ut jam diu obſervatum Mirandulæ I. in Aſtrol. f. 284. & Nunneſio de cauſ. obſcur. Ariſtot. p. 47.

§. 12. Qvid? Ne ille qvidem Pſeudariſtoteles de aliis loqvitur, qvàm particularibus Mundi damnis. Verba hæc ſunt, (nec alia reperias in toto libro, qvæ huc faciant:) *Ipſi dixerunt,* (vides inſuper, hæc recitativè proferri,) *qvòd diluvium, qvod fuit in terrâ, non fuit, niſi propter conjunctionem ſtellarum in ſigno Piſcis; & qvòd ventus, qvi interfecit gentes in Hedramot, fuit propter conjunctionem, qvæ fuit in Geminis; & qvòd peſtilentia, qvæ fuit in terrâ jam &* (legendum videtur in terrâ *Jamet*, ut hoc ultimum ſit nomen neſcio qvod proprium perinde ut *Hedramot*, qvod præceſſerat modò,) *cauſa non fuit, niſi conjunctio, qvæ fuit in ſigno Virginis, & ſimiliter reliqva facta, qvæ fuerunt apud aggregationes & apud conjunctiones,* c. 1. p. 207. Volum. VII. Ariſtot. ed. Latin. Venet. A. 1562.

§. 13. Etiam hoc amplius hinc diſce, pervertiſſe hunc locum eos, qvi duas in eum contrarias clades, unam ab aqvis, alteram ab ignibus, intulerunt. Nulla enim ignium in eo aut conflagrationis mentio;

nec

nec duarum tantùm, ſed trium cladium, qvæ ſunt diluvium, venti, peſtis, ſub totidem ſignis, Piſcium uno, Geminorum altero, Virginis tertio. Qvibus ſi qvartum adjungas Sagittarii, qvem facile credo fuerit Aſtrologis, damno peculiari nobilitare, conſtabunt illis intervallorum Zodiaci æqvales diſtantiæ.

§. 14. Et hoc probabile eſt eos voluiſſe, è qvibus iſtius libelli autor hæc repetiit, qvanqvam qvarti nec ſigni nec damni mentionem apud eum reperias. Nam & qvi duabus illis univerſalibus Mundi ruinis, conflagrationi ac diluvio, metas temporum ponebant, ut Beroſus apud Senecam III. Nat. Qv. 29. æqvas eas ſignorum ſpaciis dirimebant, Cancri & Capricorni: vid. Diſſert. ſeq. §. 41. Qvorum inventa ſunt apud nos ſuō modo imitati, qvi tot admodum annos à diluvio Noæ ad ignem judicii numerabant, qvot elapſi fuiſſent à condito Mundo ad diluvium.

§. 15. Redeo ad Ariſtotelem. Qvem uti certum eſt Mundo perpetuum durandi ſpacium dediſſe, ita cauſam perpetuitatis hujus non cum Platone in divinâ voluntate, ſed immutabili neceſſitate, qvam ipſe Deus, ſi maximè vellet, mutare non poſſet, qvæſiviſſe, facilè ſvadebitur è ſimili ejus circà mundi ortum opinione. Nempe ſtatuit, Mundi conditorem fuiſſe Deum ex agendi non facultate liberâ, ſed neceſſitate naturali.

§. 16. Ita ſenſiſſe, & à veritate Chriſtianæ fidei deviaſſe, Scholaſtici qvoqve nonnulli agnoſcunt. Vide Soncinatem XII. Metaph. q. 19. Javellum in XII. Metaph. q. 10. Conimbricenſes in VIII. Phyſ. 2. q. 5. art. 2. p. 392. (è qvibus nonnihil dedi Diſſert. II. §. 35.) & qvos illi citant Scotum, Hervæum, Marſilium, alios.

§. 17. Pſeudægidius Romanus, (ita voco qvia p. 496. citat Soncinatem vero Ægidio Romano aliqvot ſeculis poſteriorem,) Comm. in XII. Metaph. 6. q. 2. p. 1084. ed. Urſell. A. 1604. Ariſtotelis mentem hâc ſimilitudine declarat: *Qvemadmodùm nos fatemur Filium in Divinis produci à Patre per intellectum, & Spiritum S. à Patre & Filio per voluntatem, utrumqve tamen ex neceſſitate naturæ: ita Ariſtoteles aſſereret, univerſum productum fuiſſe per intellectum & voluntatem, ſed tamen ex neceſſitate naturæ & non liberè.*

§. 18. Sicut ergò Ariſtoteles mundum retrò æternum fecit, Deo illum per naturæ neceſſitatem procreante: ita æternitatem ipſi prorogavit etiam in tempus poſterum, cùm ademptam Deo libertatem in condendo non poſſet arrogare in deſtruendo.

DISSERTATIO V.

ad Theſ. XI. l.

Annus magnus.

§. I.

NOtus eſt Virgilii Poetæ verſus lib. III. Æn. 284.

Intereà magnum *Sol circumvolvitur* annum.

Ubi conſentiunt Interpretes, *magni anni* titulo fuiſſe deſignatum *annum vulgarem unicum*, comparatione menſis videlicet: qvi & ipſe *annus eſt* qvidam, h. e. temporis in ſe redeuntis (qvod hìc è Lunæ curſu menſtruum intellige,) circulus: (hæc ſingnificandi vis tùm in latinâ voce *anni* eſt, tùm in græcâ ἐνιαυτȣ̃:) ſed anno illo ſolari minor.

§. 2. Habuit ergò qvidem cauſam Virgilius, cur illum etiam annum, qvi non niſi duodecim menſium curriculis abſolvitur, nomine dignaretur *magni*: verùm neſcio, an hic Poetam ullus eorum ſeqvatur, qvi de hoc argumento philoſophantur. Nam hi potiùs annum vulgarem eo gradu locant, ut illius tanqvam parvi contemplatione qvicqvid annorum eſt *magnorum* tituli hujus prærogativâ gaudeat. Seponamus ergò & nos annum Virgilii magnum.

§. 3. Eo ſecluſo *Annus magnus* reliqvæ ſignificandi amplitudini, qvæ ſatis vaſta eſt, relictus, ſi qvalemcunqve nominis expoſitionem deſideres, nihil aliud erit, qvàm complexio qvædam ſeu congeries annorum parvorum ſive vulgarium.

§. 4. Jam cùm & complexio hæc varia genera, & genus ferè qvodlibet varias de motibus corporum cœleſtium hypotheſes admiſerit; neceſſe fuit, ubi ad qvæſtionem, qvot vulgaribus annis circumſcriba-

Digitized by Google

ſcribatur magnus, reſpondere placuit, ingentem reſponſorum qvaſi exercitum naſci.

§. 5. Sed hunc ab iis, qvi argumentum id proſeqvuntur, magis videas inſtar gregis palabundi paſſim in campum emitti, qvàm ſub ſignis certis accuratè ordinari in acies adverſas. Qvo fit, ut iſta legendo qvi intuentur, mirari magis vaga tot Sententiarum diſſidia poſſint, qvàm ipſas aut intelligere, aut committere ſecum ac dijudicare.

§. 6. Dijudicationem hanc iis, qvi ſunt his ſtudiis innutriti, relinqvo; ne ſingularum qvidem, qvæ miſerè paſſim confunduntur, opinionum omnium in ſuos ordines deſcriptionem in me ſuſcipio. Satis habebo, ſi qvibusdam claſſes certas dedero, inqve uſum argumenti præſentis aperuero, cujus qvaſi familiæ magnum annum intelligant, qvi ex ejus circuitu mundo incendium univerſale denunciant. Sed ipſam prius multitudinem confuſaneam libet inſpicere.

§. 7. Varias de magno anno ſententias congerunt è priſcis *Plutarchus* II. de plac. Philoſ. c ult. (qvem ſuo more deſcribit *Pſeudogalenus* hiſtor. Philoſ. f. m. 7.) & *Cenſorinus* c. 18. de die natali; è junioribus *Alexander ab Alexandro* III. genial. dier. 24. p. m. 168. *Lilius Gregorius Gyraldus* de ann. & menſ. Tom. II. oper. f. 548. 549. *Hier. Magius* lib. III. de mundi exuſt. c. 16. f. 105. ſeqq. *Jo. Lalamantius* de ratione anni p. 15. ſeqq. *Fabricius Paduanius* caten. temp. c. 60. p. 398. ſeqq. *Gaſſendus* Phyſ. Sect. I. lib. 1. c. 7. Tom. I. Oper. f. 176. Qvibus adjunge, qvanqvam de maximo tantùm anno ſolicitos, *Clavium* comment. in Sphær. Sacrob. p. 56. & *Alphonſum Pandulphum* de fine mundi f. 154.

§. 8. Ex his locum Plutarchi, qvoniam brevis eſt, integrum, noſtris tamen obſervationibus illuſtrandum, adſcribemus è verſione Xylandri Part. II. moral. p. 28. *Magnum annum* alii *octennio definiunt*, alii *19. annis*, alii *59. a)* Heraclitus *b) annorum ſolarium millibus octodecim c)*; Diogenes *365. annis tantis, qvantus unus eſt Heraclito d)*; alii *7777. e)*. Sex igitur, uti vides, opiniones referuntur nobis à Plutarcho.

a) Interpres Pſeudogaleni, à qvo Plutarchum deſcribi §. præc. diximus, Julius Martianus Rota, 61. Minùs benè. In Græco enim eſt: ἐν τοῖς ἑξήκοντα ἑνὸς δέουσιν. Ergò vertendum erat, non, *ſexaginta & uno*, ſed, *undeſexaginta*. Verùm græcam vocem δέουσιν prætervidiſſe Rota videtur.

b) Ma-

Digitized by Google

b) Malè Paduanius p. 403. huic jungit Caſſandrum, de qvo certiora ad §. ſeq. lit. p. dabimus è Cenſorino.

c) rectè, & græco μυρίων ὀκτακισχιλίων convenienter. Perperam *duodecim* annorum millia leguntur apud Magium f 106. Fortè ſcripſerat ille, qvod rectum eſt, & ex aliâ Plutarchi verſione, qvam & Lalamantius p. 16. ſeqvitur, *duodeviceна* millia.

d) annis ergò 6570000.

e) Hìc minus bene verſio altera, de qvâ modò, apud Lalamantium, qvam & Magius præ oculis habuit, *ſeptena millia tricena ſeptuagena ſeptena.* Qvi hoc primus ita extulit, eum decepiſſe videtur affinitas notarum 7777. & 7377. Sed harum priorem tantùm probant græca Plutarchi, δι' ἑπτακισχιλίων ψοζ'. Pro ψοζ' Julius Martianus Rota forte legit ψπζ': vertit enim apud Pſeudogalenum, 7787. unde numerus hic & in Paduanium migravit. Hâc occaſione in poſterum qvoqve meminiſſe te velim, lectionum circà numeros diſcrepantiam ſæpe proficiſci è ſimilitudine notarum, ſive arabicæ ſint, ſive Romanæ aut græcæ.

§. 9. Longè major earum ſeges eſt apud Cenſorinum, & plerarumqve prolixior expoſitio. Ideò ſolos ſingularum numeros adſcribemus, ad hos tamen etiam alicubi monituri nonnihil. Ii verò ſunt 2 *f*). 4 *g*). 8. 12. 19. 59. 76. 82. 304 *h*). 1461 *i*). 2484 *k*). 5522 *l*). 10800 *m*). 10884 *n*). 100020 *o*). 3600000 *p*).

f) Hic *minimus* omnium, qvos memorari ab hoc ſcribentium genere video, annus eſt magnus. Nam à Virgilio, qvi vulgarem etiam annum *unum* hoc titulo inſignit, eos diſcedere dictum eſt §. 2.

g) Fruſtrà 3. & 5. interſerit Gyraldus, non facturus, ſi cum curâ legiſſet, qvæ de *trieteride* & *pentaeteride* monet Cenſorinus, *bienniis* tantùm & *qvadriennii* hos circuitûs eſſe.

h) *Vel, ut alii*, 354. inqvit Paduanius.

i) Numerum hunc Salmaſius f. 581. 582. Exerc. Plin. adversùs eos, qvi 1460. ſcribunt (in his eſt Alex. ab Alex. & Gaſſendus,) pluribus defendit. Habes eum (ut alios taceam,) apud Columellam in fin. cap. 6. lib. III. de re ruſt. Vide & qvæ dicemus Differt. IX. §. 28. & 322.

k) hujus & ſeqventium numerorum autores è Cenſorino adſcribemus infrà §. 38.

l) hìc è Plutarcho interponi poteſt numerus 7777.

m) numerum hunc Cenſorinus dat *Heraclito*, (pro qvo malè Gyraldus f. 549. *Herodotum* ſuggerit,) & *Lino*. Plutarchus *Heraclito* dederat 18000.

n) Lalamantius hìc 10984. exhibet, Gyraldus 13984. Gaſſendus 19804.

o) malim 120000. ut eſt apud Gyraldum & Gaſſendum, qvi ſuis in Codicibus habuiſſe videntur CXX. M. pro qvo noſter à Lindenbrogio editus C. M. XX.

p) ita

p) ita Caſſandrus cenſuit, qvi maximi repertorem numeri jactare ſe poſſet, niſi vinceret ipſum numerusDiogenis è Plutarcho memorat9 6570000. Qvem ſanè qvi exceſſerit, neminem novimus.

§. 10. Plutarchus & Cenſorini Catalogos diligentia juniorum, qvos §. 7. citabamus, non paucis opinionibus auxit, qvarum aliæ veterum ſunt, aliæ recentiorum. Nos univerſarum, qvæ ſic acceſſerunt, numeros eo proferemus ordine, qvalem ſtudioſè Cenſorinus nobis præivit, nuſpiam ut minor præcedat majorem. Teſtes ſingulorum ſcholia dabunt ſubjecta.

§. 11. Sunt ergò hi numeri: *600 q). 3000 r). 6000 s). 7000 t). 9000 u). 9977 x). 10400 y). 12954 z). 15000 a). 23760 b). 25200 c). 26000 d). 30000 e). 36000 f). 47000 g). 49000 h). 300000 i). 350635 k).*

q) Gyraldus è Joſepho, qvem vide I. Antiq. 3. f. m. 9. Addit Lalamantius, eſſe qvi eo loco 900. ſcribant: confer Paduan. p. 402.

r) Alex. ab Alex. qvi pleroſqve ſic ſentire ſcribit, neminem tamen citans nominatim. Nos hunc numerum deprehendimus apud Servium ad III. Æn. v. 284. f. m. 340. qvi Ciceronem è libris de naturâ Deorum advocat. Locum Ciceronis adhuc inqvirimus.

s) Paduanius ex oraculo Heliæ paſſim obvio.

t) Idem ex aliis neſcio qvibus: iis fortè, qvos memorabimus Differt. IX. §. 308.

u) Idem ex Marſilio Ficino.

x) Gaſſendus ex Empirico.

y) Paduanius ex Petro Haliacenſi.

z) Alex. ab Alex. qvi vult Mathematicos & Arabes inprimis ita opinatos. Conf. Paduanium. Gyraldus è Cicerone profert. Scripſerat hoc Cicero in Hortenſio. Sed perierat nobis eo cum libro ſententia Ciceronis, nî conſervâſſet eam Tacitus, ſive qvisqvis eſt Scriptor Dialogi de Oratoribus, & Servius ad I. & III. Æneid. Virgil. f. m. 184. 340. E qvibus Magius paulò alios numeros, variantibus nempe codicibus, exhibet, qvi ſunt 12554. (hunc ſanè priore loco Servius qvoqve noſter enunciat, item Paduanius,) & 12854. (qvem Scriptor Dialogi habet. Verba ejus infrà dabo § 37) Sed ut 12954. retineamus, & Solini, qvanqvam Ciceronem ipſe non nominat, loco, qvem Differt. IX. §. 309. reperies, perſvaderi poſſumus.

a) Hunc numerum nemo recentiorum præterit. Protulit eum Macrobius, dum Somnium, qvod Scipionis inſcripſerat Cicero, interpretatur lib. II. c. 11. p. 150. Qvare Gaſſendus hanc opinionem, qvaſi ex interpretatione Macrobii, tranſcribit Ciceroni. Rectiùs Phyſicis Magius & Gyraldus, nam hos, non Ciceronem, nominaverat Macrobius. Qvidam & Platoni tribuunt apud Paduanium.

Digitized by Google

b) Clavius & Pandulphus ex Aibaregnio.

c) Pandulphus è Tychone: cui tamen Gaſſendus dat ſolùm 25000.

d) Gaſſendus è Copernico.

e) Paduanius e Firmico: de qvo tamen mox lit. i. aliter loqventem audiemus Gaſſendum.

f) Magius, Clavius, Pandulphus è Ptolemæo; Paduanius ex Pſeudariſtotele de proprietatibus elementorum.

g) Idem Paduanius è Chaldæis.

h) Lalamantius absqve autore; Gaſſendus, Clavius, Pandulphus ex Alphonſo.

i) Gaſſendus è Firmico, qvem alibi certum eſt inhærere numero 1461.

k) Idem Gaſſendus ex Achille Tatio.

§. 12. Non dubium, plures adhuc numeros, ubi diligens librorum ſcrutator acceſſerit, conſtipari poſſe: atque ex his dabimus aliqvos §. 29. & 42. De aliis etiam conjecturam proponemus noſtram Diſſert. IX. §. 305. Sed qvæ congeſta hîc ſunt, facilè ſufficient admirationi. Qvis enim ad hæc variantium opinionum portenta non obſtupeſcat, ſi videat eſſe, qvi magnum annum biennio, eſſe, qvi cum Diogene, (cujus numerum à nemine ſuperari dictum eſt lit. p. ad §. 9.) annis 6570000. definiant, atqve inter hæc extrema tantam inſuper mediarum opinionum turbam intercurrere?

§. 13. Sed ſciendum eſt, & illas extremas opiniones duas, & mediarum non paucas ob ambiguitatem vocabuli, qvæ in multis alia eſt, planè ſibi non contradicere; qvæ autem verè pugnant, earum bella maximè pendere tùm ex obſcuritate motuum cœleſtium, tùm ex hypotheſium varietate.

§. 14. Ut varios ambigui vocabuli ſenſûs animadvertas, ante omnia ſecari debet *annus magnus* in ſpecies duas, *civilem* ac *naturalem*.

§. 15. Eſt autem in genere *tempus civile*, qvod in uſum civilem, h. e. popularem atqve practicum è ſupputatione licet non accuratiſſimâ, ſibi gens qvævis aut civitas ſtatuit; *naturale*, qvod Mathematici gratiâ ſpeculationis è motuum cœleſtium qvantum qvisqve poteſt, exqviſitiſſimâ obſervatione, aut qvæ ſaltem ſit curioſior civili, dimetiuntur.

§. 16. Qvod ſpeciatim ad *annos* attinet, non ſolet horum ſupputatio civilis aliunde repeti, qvàm à curſibus evidentiſſimorum ſiderum, Lunæ ac Solis. At qvi *naturales* annos ſcrutantur, nullum plane-

planetam, ne qvidem fixorum luminum orbem, (ut obſervationes rerum, qvæ infrà Lunam geruntur, de qvibus §. 27. taceam,) præterire ſolent, cui non intendant aciem ingenii.

§. 17. Specialiſſimè *annus magnus civilis* eſt, qvi vulgari ſeu parvo civili major eum aliqvoties complectitur, publiceq; receptus à civitate negotiis vitæ civilis inſervit. *Naturalis magnus*, qvem naturali parvo majorem pro ſcientiæ ſublimioris commodo Mathemaici ſuis definiunt ſpaciis.

§. 18. Fateor Cenſorino, cùm magnorum annorum, qvorum numeros §. 9. recitavimus, hiſtoriam ſcriberet, nullam fuiſſe curam, ut magnos annos civiles à naturalibus diſtingveret: qvi laboravit in eo potiùs, ut in ordinandis illis, (cui rei vel oculi fidem faciant,) unicè ſeqveretur naturalem numerorum abſtractorum ſeriem. Sed ea diſtinctio majoris momenti viſa nobis in hanc ſpeculationem dilapſis eſt, qvàm qvæ omitti debuerit.

§. 19. *Magnorum civilium* annorum non unum genus eſt. Alius enim hunc finem habet propoſitum, ut conſulat exceſſui, qvo Solaris annus ſex horis circiter ſuperat ſpacium dierum 365. Qvi exceſſus, qvoniam qvatuor annis expletis in diem integrum creſcit, qvarto cuiqve anno diem unum inſerere, ſeu, ut cum artificibus loqvamur, intercalare viſum eſt.

§. 20. Ita *qvaternûm annorum* circuitus magnum annum conſtituit & Græcis, qvi *Olympiadem*, & Romanis, qvi *Luſtrum* vocavére, & hunc ambitum certis ludis aut negotiis, (qvo in genere maximè ſita eſt hujusmodi temporum civilitas,) notabilem fecére.

§. 21. Vetuſtiſſimi tamen Græci, anteqvam rectiùs ſaperent, *biennii* tantùm ſpacio magnum annum incluſerunt, atqve hic apud Cenſorinum ſuprà §. 9. lit. f. magnorum annorum eſt minimus.

§. 22. Viciſſim cùm qvadriennium ad Solis modò curſum, nec ad Lunæ congruere videretur, *octo annorum* circuitum inventore Cleoſtrato pleraqve Græcia verum eſſe magnum annum exiſtimavit: qvo exacto Delphis qvoqve Ludi Pythii conficiebantur.

§. 23. Aliud genus eſt, qvod *Cyclos* vocari mos obtinuit. Eſt autem Cyclorum qvoqve varietas inſignis. Notiſſimi hodiè duo, *Lunaris annorum 19.* & *Solaris annorum 28.* Qvorum ille paſchalibus terminis, hic literis dominicalibus reperiendis inſervit. *Lunarem* ab in-

I 2 vento-

ventore annum vel cyclum *Metonis* qvoqve appellant. *Magnum* annum vocari præter Cenſorinum docebit Aldus Manutius I. de qvæſ. per epiſt. 6. (apud Gruter. IV. Lamp. p. 205.) è Diodoro Siculo.

§. 24. Maxima civilium annorum periodus *ſeculo* definitur: unde ſecularibus olim apud Romanos ludis nomen. Nos *Jubilæum* vocare ſolemus illum, qvi ambitum ſecularem terminet. Notandum interim, nec ſeculi nec Jubilæi numerandi rationem ſemper eandem obſervatam fuiſſe, qvòd ſcilicet jam hypotheſes, jam (ut in Papalibus jubilæis) rationes Politicæ variarent.

§. 25. Sed an *ſeculum* qvoqve annis *magnis* civilibus annumerabimus? Non video qvid vetet magnoperè, præſertim cùm cæteros civiles magnos adeò ſuperet magnitudine, ut *maximus* ipſorum haberi mereatur: niſi fortè hoc urgeas, qvòd anni civiles cæteris, qvotqvot *magnos* vocare mos eſt, qvalicunqve aſtronomicæ artis hypotheſi nitantur, atqve adeò ad motuum cœleſtium varietates reſpiciant; *ſeculum* verò non tàm aſtrorum curſibus, qvàm humanæ vitæ ſpacio longiſſimo natales ſuos debere videatur.

§. 26. Ac putes hinc fuiſſe cauſam Cenſorino, cur à totâ magnorum annorum ſerie ſeculum peculiari capite, qvod 17. eſt, ſepararet. Sed profectò à conſilio ejus, qvi anni magni qvantitatem tantillis ab initiis ad tàm immenſam vaſtitatem (regredere ad §. 9.) nullo naturalium ac civilium diſcrimine (per §. 18.) dilatare cogitaverat, alienum non fuiſſet, illis tot ordinibus etiam ſeculum inſerere: ſaltem, hoc ſi feciſſet, parata fuiſſet ſpes veniæ.

§. 27. Venio ad *annos magnos naturales*. Horum alii ſiderum, alii rerum, qvæ infrà Lunam geruntur, obſervatione conſtant. Ad hoc alterum genus refero *annum Chaldaicum*, ex annis vertentibus *duodecim* conflatum. Hunc enim *Genethliaci*, ut eſt apud Cenſorinum p. 92. *non ad Solis Lunæq; curſûs, ſed ad obſervationes alias habent accommodatum, qvòd in eo dicunt tempeſtates, frugumq; proventûs, ſterilitates item morboſq; circumire.*

§. 28. Nec putem tamen planè ſecuros hîc ſiderum fuiſſe Chaldæos, cùm ab his qvoqve, ſaltem aliqvâ ex parte, naturaliter pendeant iſtæ ſublunarium ſive vices, ſive mutationes qvaleſcunqve. Ergò per nos duplicis obſervationis, qvarum alia ſiderum ſit, alia in orbe hoc inferiore tempeſtatum aliarumq; rerum ex his oriundarum, mixturam, qvi volet, hîc agnoſcat.

§. 29.

§. 29. Sanè verò Plinius lib. XVIII. c. 25. f. 272. ubi ſimilem annum, ſed è *qvadriennio* vel *octennio* compoſitum, deſcribit, non obliviſcitur Solis ac Lunæ. *Indicandum & illud*, inqvit, *tempeſtates ipſas ardores ſuos habere qvadrinis annis, & easdem non magnâ differentiâ reverti ratione Solis, octonis verò augeri easdem centeſima revolvente ſe Lunâ.* Idem qvoqve lib. X. c. 2. tempeſtates & ſidera conjungit, licet de majore annorum periodo loqvens: *Cum hujus alitis* (Phœnicis) *vitâ* (fecerat hanc annorum 660.) *magni converſionem anni fieri prodit idem Manilius, iterumq; ſignificationes tempeſtatum & ſiderum easdem reverti.*

§. 30. Subaudiamus ergò ſidera etiam, cùm tacet Plinius lib. II. c. 47. f. 14. *Omnium qvidem (ſi libeat obſervare minimos ambitûs) redire easdem vices qvadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modò, verùm & reliqvarum tempeſtatum magnâ ex parte.* Qvam Eudoxi regulam ubi è Plinio citaviſſet Ranzovius in Calend. Rom. p. 20. hæc ſubdit: *Cujus qvidem rei ne alias aut remotiores attingamus, ea forſan cauſa ſtatuetur, qvòd ut revolutiones annorum mundi ſingulo qvadriennio ad eadem ſigna, eundemq; fermè locum redeunt, ita fixarum ſtellarum ortus atqve occaſus in hoc negotio haud parvi momenti eisdem fermè diebus ac locis recurrant, ac proinde eundem effectum producant.* Confer qvæ Diſſ. IX. §. 280. dabimus è Columellâ.

§. 31. Cave autem offendaris, qvòd eosdem numeros qvosdam & hìc in annis naturalibus, & paulò ante §. 20. 22. in civilibus, ubi pariter memorabamus *qvadriennium* & *octennium*, exprimi vides. Eadem enim annorum congeries, qvatenus ad uſum civilem accommodatur, *civilis* eſt, qvatenus ad ſcientiam aut prædictiones Aſtronomorum, *naturalis*.

§. 32. Reſtat, ut de altero qvoqve magnorum naturalium annorum genere nonnihil dicamus, qvod è ſolâ pendet corporum cœleſtium obſervatione. Eſſe autem in hoc genere non modò ſpecierum, ſed & circà ſpecies ſingulas opinionum varietatem non exiguam, facilè judicabit, qvi & motuum, qvibus tùm planetæ ſinguli, tùm fixa ſidera reverti ad puncta priſtina poſſunt, & in aſtronomicis calculis hypotheſium multitudinem animo comprehendet. *Ajunt cuilibet erraticæ ſtellæ ſuos annos maximos, medios & minimos eſſe:* verba ſunt Nicetæ Choniatæ lib. I. theſaur. orthod. fid. c. 9. p. 14.

§. 33. Nobis hîc ſufficiat, monuiſſe, *magnum annum*, è cujus fatali periodo mundi totius conflagrationem naſci perſvaſum veteribus Gentilium qvibusdam Philoſophis fuit, eum intelligi oportere, qvem *verè vertentem annum* Cicero appellat apud Macrobium II. in Somn. Scip. 11. p. 149. nimirum *cùm AD IDEM, unde ſemel profecta ſunt, CUNCTA ASTRA redierint, eandemq́; totius cœli deſcriptionem longis intervallis retulerint*, Paulò poſt: *Signis OMNIBUS ad IDEM principium ſtellisq́; revocatis expletum annum habeto.* Qvibus in verbis claram ſatis definitionem habemus.

§. 34. Itaqve cùm apud Nemeſium c. 38. de naturâ hominis (p. 112. edit. Nicaſ. Ellebodii, qvi latinè interpretatus eſt,) *Stoici ajunt, ſtellas errantes cùm ad idem & in longitudine & in latitudine ſignum referuntur, in qvo initiò erant, cum primùm mundus eſt conditus, certo temporum ambitu, conflagrationem & interitum rerum efficere, & de integro mundum eodem reſtitui*, anni hujus magni periphraſin agnoſce.

§. 35. Hunc annum, ut à magnis aliis, minoribus tamen, qvi particulares tantùm ruinas minari mundo credebantur, diſtingverent, *maximum* à qvibusdam appellatum fuiſſe, monuimus Diſſert. IV. §. 9. ubi in præcedentibus locum de hâc eadem re Cenſorini excuſſimus, proq; *Ariſtotele*, qvem ibi Cenſorinus nominat, *Ariſtoclem* legendum videri monuimus.

§. 36. *Ariſtocles* videlicet, (non *Ariſtoteles*) ſcripſerat, ut ex Euſebio citat Lipſius II. Phyſ. Stoic. 22. p. 107:) κατά τινας εἱμαρμένους καὶ ὡρισμένους χρόνους ἐκπυροῦσθαι τὸν σύμπαντα κόσμον, *per fatalia qvædam & definita tempora Mundum exardere.* Qvo loco dum *definita tempora* nominat, haud obſcurè *magnum annum* deſignat, eumqve adeò copulat *fato*, qvod & Ciceronem facientem vidimus lit. I. ad theſ. XI.

§. 37. Sed qvot annos vulgares, vel qvot annorum potiùs millia complectitur ille maximus? Cicero loco paulò ante §. 33. citato *vix audet definire, qvàm multa hominum ſecula in eo teneantur.* Alibi tamen definit. Sic enim Scriptor dialogi de Oratoribus, (qvem Tacitum vulgò eſſe volunt,) p.m. 272. *Sicut Cicero in Hortenſio ſcribit, is eſt magnus & verus annus, qvo eadem poſitio cœli ſiderumq́;, qvæ cum maximè eſt, rurſum exiſtet, isq́; annus horum, qvos vocamus annorum XII. ∞ DCCCLIV. complectitur.* Regredere & ad ea, qvæ ſcripſimus ſuprà lit. z. ad §. 11.

§. 38.

§. 38. Aliis alii placuerunt numeri. Omnes adſcribere faſtidium eſt. Sit ergò ſatis è Cenſorino paucos repetere. *Hunc* (annum magnum) inqvit c. 18. p. 94. *Ariſtarchus putavit eſſe annorum vertentium 2484. Aretes Dyrrhachinus 5552. Heraclitus & Linus 10800. Dion 10884. Orpheus 100020. Caſſandrus tricies ſexies centum millium.*

§. 39. Dividebant porrò, perinde ut olim Solarem, in duas tantùm, non qvatuor partes, *hyemem* & *æſtatem*, orbiq; exitium univerſale augurabantur *hyeme* qvidem anni magni ab undis per *καταϰλυσμὸν*, *æſtate* verò à flammis per *ἐκπύρωσιν*: (corrige Magium, apud qvem III. de exuſt. mund. 16. f. 105. 106.. perperam bis legitur *eclipyroſis.*) Verba in hanc rem Cenſorini qvære Diſſert. præced. §. 5.

§. 40. Hieron. Magius lib. I. de mundi exuſt. c. 12. f. 21. diſqvirit, an illuvio rectè *hyems* magna aut ſenectus, exuſtio verò *æſtas* magna appellari poſſit, abſurdeq; nimis & ineptè loqvutos illos videri pronunciat, qvi his utuntur metaphoris. Verùm neſcio, an eorum mentem ſit ubiqve ſatis vel ſecutus vel ſaltem aſſecutus. Ad hæc meminiſſe oportebat, nullum ſine diſſimilitudine eſſe ſimile.

§. 41. Etiam ſigna Zodiaci nominabant iſti veteres, ſub qvibus ubi planetæ omnes coierint, hæc eſſent eventura, *Capricornum* & *Cancrum*. Seneca III. Nat. Q. 29. p. 781. *Beroſus, qvi Belum interpretatus eſt, ait curſu iſta ſiderum fieri, & adeò qvidem id affirmat, ut conflagrationi atqve diluvio tempus aſſignet:* arſura *enim terrena contendit, qvando omnia ſigna, qvæ nunc diverſos agunt curſûs, in* cancrum *convenerint, ſic ſub eodem poſita veſtigio, ut recta linea exire per orbes omnium poſſit;* inundationem *futuram, cùm eadem ſiderum turba in* Capricornum *convenerit. Illic* Solſtitium, *hic* Bruma *conficitur.*

§. 42. Vides ad *Cancrum* referri ad diluvium univerſi, ſed *conflagrationem*. Huic ſigno tamen Nicetas Choniates *Diluvium* apponit ita ſcribens theſ. orthod. fid. lib. I. cap. 9. (p. 14. ed. lat. Petri Morelli A. 1592.) *Coſmica ἀποκαταστάσεως exactis ter mille ducentis ſuprà centies & ſeptuageſies qvinqvies dena annorum millia peragitur, tuncq; adeò ſynodus qvædam conventusq; ſtellarum omnium ad triceſimam* Cancri *manſionem ſive Leonis primam celebratur: nec ita multò poſt generali* diluvio *mundus obruitur.*

§. 43. Cum illâ de *cancro* & *capricorno* Beroſi opinione non committo, qvod Benius facit p. 435. in Timæum Platonis, ſententiam

Ariſto-

Ariſtoteli affictam, qvæ ſtellas in *geminis* coeuntes conflagrationem, in *piſcibus* diluvium portendere jubet: cùm nec Ariſtoteli unqvam, nec Pſeudariſtoteli in libro de proprietatibus elem. cladium *univerſalium* venerit in mentem, ſed particularium tantùm, & alia citentur à Rhodigino, alia legantur in textu iſtius libri, ut oſtendi Diſſert. præced. §. 10. & ſeqq.

DISSERTATIO VI.

ad Theſ. XI. m.

Vapores nutrimenta ſiderum crediti.

§. 1.

MUlti veterum, qvòd aſtra igneæ ſubſtantiæ eſſe crederent, nutriri ea vaporibus ex hoc orbe in ſublime raptis exiſtimaverunt. Vide *Magium* lib. I. de exuſt. mund. c. 13. 16. 17. (qvi ſententiam hanc copiosè refellit,) *Lipſium* II. Phyſiol. Stoic. 14. *Voſſium* II. de orig. Idolol. 77. f. 352. *Kippingum* I. Antiq. Rom. 8. p. 22.

§. 2. Ejus rei apud Corinthios ſimulacrum olim qvoddam fuit ærea palma, cujus ad radicem ranæ conſpicerentur atqve hydri. Significatum enim fuit, *Solem* (cujus Symbolum palma,) *naſci & ali ex humore & exhalationibus*, ſi Serapionem ſeqvimur apud Plutarch. de Pyth. Orac. (part. III. Moral. p. 394.)

§. 3. Idem Serapion huc & Ægyptiorum trahit Hieroglyphicum, Solem exprimentium picto puerulo, qvi loto (aqvatica ſcil. hæc arbor eſt,) inſideret. Sed alii ex hâc imagine alium ſenſum exſculpunt. Jacobus Maſen lib. VI. ſpec. imag. c. 10. p. 605. 606. *Lotos arbor aqvatica* Solem orientem *deſignat, qvia ad ortum ſolis ex aqvis emergens ſeſe explicat. Ægyptii puerum addebant, qvi qvaſi alterum, (utpote recens natus) ortus eſſet ſymbolum.*

§. 4. Qvicqvid ſit, hoc certum, opinionem hanc in Stoam, id qvod mox ibidem è Plutarcho, (uberiùs è Lipſio ſuprà §. 1. citato,) intelli-

telliges, pervaſiſſe. Stoam inqvam, nam Ariſtoteles in Lyceo illi ſuo locum non reliqvit. De aliis Philoſophorum ſectis hîc non ſum ſolicitus.

§. 5. Sed ridicula Stoicorum fuit enarratio dogmatis hujus. Ajebant *Solem* qvidem exhalatione maris nutriri; *Lunam* verò eâ, qvæ ex fontium fluminumq; aqvis emittitur; *Aſtra* deniqve cætera exhalatione terræ. Clarè hoc leges apud Porphyrium de Antro Nymph. p. m. 257. τοῖς ἀπὸ τῆς στοᾶς ἥλιον μὲν τρέφεσθαι ἐκ τῆς ἀπὸ τῆς θαλάσσης ἀναθυμιάσεως ἐδόκει, σελήνην δ' ἐκ τῶν πηγαίων καὶ ποταμίων ὑδάτων, τὰ δ' ἄστρα ἀπὸ τῆς ἐκ γῆς ἀναθυμιάσεως. Gemina dabit Laertius in Zenone Cittieo p. m. 526. ed. græcolat. Putabimus ergò qvaſi menſæ aſſidere ſidera, & cuiqve peculiarem appoſitum, qvem bibant, calicem?

§. 6. Porrò qvia nutriri ſtellas vaporibus crediderunt Stoici, ubi alimenta hæc planè deficere contingeret, ignis violentiâ totum hoc univerſum correptum iri (non diſputo, qvàm ſapienter,) ſunt arbitrati. Qvâ de re breviter Minucius, cujus verba lit. p. ad theſ. VII. adſcripta reperies.

§. 7. Uberior ſermo Balbi Stoici eſt apud Ciceronem II. de nat. Deor. p. 49: dignus tamen qvi hîc totus legatur plenioris gratiâ hiſtoriæ. *Sunt ſtellæ naturâ flammeæ: qvocircà terræ, maris, aqvarum vaporibus aluntur his, qvi à ſole ex agris tepefactis & ex aqvis excitantur: qvibus altæ renovatæq; ſtellæ atqve omnis æther refundunt eadem, & rurſum trahunt indidem, nihil ut ferè intereat, aut admodùm paululùm, qvod aſtrorum ignis, aut ætheris flamma conſumat. Ex qvo eventurum noſtri putant id, de qvo Panætium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus igneſceret: qvùm humore conſumpto neqve terra ali poſſet, neqve remearet aer, cujus ortus aqvâ omni exhauſtâ eſſe non poſſet: ita relinqvi nihil præter ignem: à qvo rurſum animante Deo* (ſic lego, pro, *animante, ac Deo*, vel, *ac de eo*, ut in aliis eſt,) *renovatio mundi fieret, atqve idem ornatus oriretur.*

§. 8. Similia diſſerit Macrobius II. in Somn. Scip. 10. p. 147. 148. ſed è ſuâ potiùs mente, qvàm Stoicorum: negat enim totum perire mundum, itaqve ad incendia tantùm partialia philoſophiam hanc accommodat. *Ignem æthereum*, inqvit, *Phyſici tradiderunt humore nutriri. ---- Cùm ergò calor nutriatur humore, hæc viciſſitudo contingit,*

ut modò calor, modò humor exuberet. Evenit enim, ut ignis, usq; ad maximum nutritus augmentum, hauſtum vincat humorem, & ſic aeris mutata temperies licentiam præſtet incendio, & terra penitùs flagrantiâ immiſſi ignis uratur. Sed mox impetu caloris abſumpto, paulatim vires revertuntur humori, cùm magna pars ignis incendiis erogata, minus jam de renaſcente humore conſumat. Ac rurſus longo temporum tractu ita creſcens humor altiùs vincit, ut terris infundatur eluvio: rurſusq; calor poſt hæc vires reſumit. Et ita fit, ut manente mundo inter exuperantis caloris humorisq; vices terrarum cultus cum hominum genere ſæpe intercidât, & reductâ temperie rurſus novetur. Nunqvam tamen ſive eluvio, ſive exuſtio omnes terras aut omne hominum genus vel omninò operit, vel penitus exurit.

§. 9. Sed ad Stoïcos redeo. Ab horum hypotheſi non multùm afuiſſe videntur è Chriſtianis qvidam veteribus, qvi crediderunt, ante judicium extremum tantam fore ſiccitatem, ut qvadraginta annis non conſpiciatur iris in cœlis. Refert hanc opinionem è Petro Comeſtore Voſſius Diſp. XVIII. Theol. theſ. VII. p. 255.

§. 10. Verùm idem p. ſeq. rectè *humani cerebri commenta* hæc vocat. *Nec enim* (proſeqvamur ejus verba,) *conflagratio mundi à causâ erit naturali, ſed opus erit ſupernaturale omnipotentiæ divinæ. Neqve cauſa eſt, cur, cùm breviſſimo tempore collecta fuerit materia diluvii, qvadraginta annos reqviri putemus ad generationem incendii. Deniq; repugnat iſta ſententia his Chriſti verbis apud Matth. (c. 24, 37.)* Sicut erant dies Noe, ita erit adventus Filii hominis. *Et his Pauli (1. Theſſ. 5, 3.)* Cùm dicent, Pax & tuta omnia, tunc repentinum eis imminet exitium. *Nec enim in tantâ ſiccitate pax & læta hominum conditio eſſe poſſet.* Hæc Voſſius.

§. 11. Alii exputent, qvantum ab iſtâ veterum ſententiâ diſtet Thomas Campanella, qvi *è deſcenſu Solis inceſſabili, ſed irregulari ad Telluris, (qvæ eſt centrum odii, ſicut Sol eſt centrum amoris,) combuſtionem* conſtruit novum Mundi Syſtema, & ex iſtâ unâ hypotheſi recentiorum phænomenorum rationes reddit, ut ipſe loqvitur Syntagm. de libr. propr. art 3. p. 19.

DIS-

DISSERTATIO VII.

ad Theſ. XI. n.

Stoicorum Dii mortales.

§. 1.

STоici ut ſubſtantias corporeas omnes è materiâ primâ, qvicqvid autem eſſet Spirituum ac minoris monetæ Deorum è Deo Summo, tanqvam horum Principiorum (de qvibus & Differt. ſeq. monebimus,) effluvia deduxerunt; ita per Mundi conflagrationem qvicqvid præter Deum & materiam foret, in hæc principia reverſurum, atqve adeò non minùs qvàm domum aliqvam, qvæ in cineres redigitur, periturum ſunt opinati.

§. 2. Itaqve ſi, qvod res eſt, loqvi volumus, mortales illis fuerunt humanæ etiam *animæ*, de qvibus agemus Diſſert. XV. imò & omnes præter Summum *Dii.*

§. 3. Poſterius hoc ex ipſorum ſeqvi placitis Athenagoræ obſervatum eſt, Apolog. pro Chriſtian. f. 22. Qvi ut probaret, numina Gentilium Deos non eſſe, Stoicorum qvoqve hanc in rem dogmate utitur, profitentium, unum eſſe ſupremum Deum æternum atque ingenitum, cujus per materiam transgrediens Spiritus pro diverſis materiæ formis aliud atqve aliud nomen, (Jovis puta, Junonis, Neptuni atqve ſic deinceps,) adipiſcatur. Hinc ergò conſeqvi ait, ut corruptis per conflagrationem elementis neceſſariò ſimul cum his ſpeciebus iſta Deorum qvoqve nomina intereant, ſolo ſuperſtite divino ſpiritu. φθειρομένων, inqvit, *τῶν ςοιχείων κατὰ τὴν ἐκπύρωσιν ἀνάγκη συμφθαρῆναι ὁμοῦ τοῖς εἴδεσι τὰ ὀνόματα, μόνου μένοντος τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ.*

§. 4. Neqve verò ipſi Stoici hanc conſeqventiam negant, ſed ultrò fatentur, ex illis mundi cineribus nihil Deorum, præter illum ſupremum evadere. Plutarch. de def. orac. f. 420. ed. græcolat. *Stoicos novimus ---- unum duntaxat æternum interitusq́ expertem Deum ſtatuere, reliqvos & natos & obituros cenſere:* (τοὺς ἄλλους καὶ γεγονέναι καὶ φθαρήσεσθαι νομίζοντας.) Et f. 426. *Stoici Deos & gignunt cum*

 mundo,

mundo, & rurſus cum iisdem comburunt: (συγγεννῶσι τῷ κόσμῳ, καὶ πάλιν συγκατακαίουσι.)

§. 5. Idem de Stoic. repugnantiis f. 1051. 1052. *Excepto igni nullum Deum* (Chryſippus) *putat interitu carere, ſed cæteros omnes æqvè & natos & obituros: atqve hoc ferè paſſim ab eo dicitur.* Idem adv. Stoic. de communib. notit. fol. 1075. *Chryſippus & Cleanthes cùm impleviſſent (ut ſic dicam) ſuis dictis cœlum, terras, aerem, mare diis? nullum horum ab interitu liberum aut ſempiternum ſtatuerunt, ſolo Jove excepto, in qvem reliqvos omnes conſumi putant.*

§. 6. Huc & illud Senecæ pertinet, (Diſſert. ſeq. §. 7. clariùs repetendum,) apud qvem epiſt. 9. (p. 222. ed. Lipſii,) mentio eſt *Jovis cùm reſoluto mundo &* Diis in unum confuſis *pauliſper ceſſante naturâ acqvieſcet ſibi.*

§. 7. *Si Deos is caſus involvet* (ita pergere libet cum Calixto p. 135. de conflagr. mundi, ſtatim ubi Senecæ locum protuliſſet,) *nihil mirum* animas *non eximi.* Seneca rurſus Conſol. ad Marciam cap. ult. verbis, ſi pauca excipias, extremis: *Nos qvoqve felices* animæ *& æterna ſortitæ, qvùm Deo viſum fuerit iterum iſta moliri, labentibus cunctis & ipſi parva ruinæ ingentis acceſſio in antiqva elementa vertemur.* Vid. & Lipſium II. Phyſiol. Stoic. 22. pag. 109. & III. 11. p. 138.

§. 8. Fatendum tamen, fuiſſe qvoqve de Stoicis, qvi minorum Deûm miſerti flammis eos incendii mundani eriperent. Horum opinionem eloqvitur Nemeſius c. 38. de nat. hom. p. 114. *Iſtam reſtitutionem univerſi* (ajunt Stoici) *non ſemel ſed ſæpe fieri, imò infinitè & ſine ullâ terminatione eadem referri: Deos verò, qvi hunc interitum effugiant, uno ambitu aſſeqvi & cognoſcere omnia, qvæ inſeqventibus converſionibus futura ſunt.*

§. 9. Itaqve cùm hanc eandem ſententiam ſuam qvoqve Celſus feciſſet, *mortalium tantùm rerum circuitûs & ſtatas revolutiones* aſſerens, Origenes lib. IV. contrà ipſum p. 208. non omnes illi Stoicos, ſed *pleroſq;* tantùm opponit. τῶν δὲ Στωικῶν οἱ πλείους οὐ μόνον τὴν τῶν θνητῶν περίοδον τοιαύτην εἶναί φασιν, ἀλλὰ καὶ τὴν τῶν ἀθανάτων, καὶ τῶν κατ᾽ αὐτοὺς θεῶν. Nobis verò ſatis eſt, Stoicorum placita è maximæ partis calculis æſtimare.

§. 10. Igitur idem Origenes hoc nomine velut in univerſam Zenonis familiam invehitur lib. VI. p. 325. *Qvare licebit per nos Stoi-*

cis,

cis, ut deſtagratione abſumant omnia: (πάντα μὲν οὖν οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς ἐκπυρώσωσι:) *nos nullam incorpoream ſubſtantiam ſcimus eſſe cremabilem, nec ignibus abſumi hominis animam, aut angelorum, thronorum, dominationum, principatuum, poteſtatum ſubſtantiam.*

DISSERTATIO VIII.
ad Theſ. XI. p.
Stoicorum chaos, Deus & Materia.

§. 1.

DUo Stoicis fuerunt prima rerum omnium principia, Deus & Materia. (Videatur *Lipſius I. Phyſ. Stoic. 4.*) Utrumqve ex ipſorum ſententiâ corporeum, *(Id. ibid. II. 4. 5.)*

§. 2. Porrò Deus illis ignis artificialis atqve opifex, *(ibid. I. 6.)* cujus ipſius naturæ non modò Sol & ſtellæ ſint, *(ibid. II. 13. & 14. p. 84. & 89.)* ſed etiam Genii, *(I. 20. p. 49.)* & animæ hominum, qvæ ex æterno illo igne, è ſiderum naturâ, &, ſine circuitu, à Deo ipſo, *(II. 8. p. 132.)* Nam & Hieronymus Epiſt. ad Marcellin. & Anapſych. Tom. III. oper. f. 145. teſtatur, animam ſecundùm Stoicos eſſe à propriâ Dei ſubſtantiâ.

§. 3. Solutis ergò per incendium univerſale in ſua principia rebus, *animas* qvidem & qvod ipſis cognatum eſſet, reverti credebant in *Deum*, cætera, qvæ ſola nobis *corporum* nomine veniunt, in *Materiam:* h. e. ex omnibus Diis unum fieri Deum, ex omnibus corporibus maſſam rudem unam. Sublatâ qvippe formarum corporalium diverſitate priſtinam materiæ faciem informem redire qvin dicerent, effugere non poterant.

§. 4. Qvanqvam verò huic materiæ includebant Deum: ne tamen ſic qvidem illud, qvod ita ex his duobus rudibus atqve otioſis conflatum eſſet principiis, aliter qvàm *chaos* futuræ διακοσμήσεως novæ perhiberi poterat, haud ſecus ut ovum, licet animâ deliteſcente pollens, non gallina tamen eſt, ſed, ut ita loqvar, *chaos* gallinæ. Conf. qvæ Diſſert. II. §. 12. diximus.

§.5. Hinc jam Benium interpretor p. 433. ad Timæ. Plat. de Stoicis loqventem: *Iiſanè ad antiqviſſimum* chaos *reverti affirmant omnia*. Chaos inqvam hîc intelligo non materiam ſolam, ſed confuſam illam ex dormiente qvaſi Stoico deo & rudi materiâ maſſam.

§.6. Eundem in modum exponendus Seneca, cùm *confuſionem veterem ac tenebras vocat* Conſol. ad Polyb. ſub init. *Hoc univerſum, qvod omnia divina humanaq; complectitur, dies aliqva diſſipabit, & in* confuſionem veterem tenebrasq; *demerget*. Cave igitur confuſionem hanc veterem, in qvam *divina pariter* cum humanis mergenda ſint, de ſolâ exponas Materiâ. Non enim in Materiam, ſed in *Deum* merguntur *divina*.

§.7. Clarum, qvod dixi, eſt ex eodem Senecâ, qvi Epiſt. 9. q. 222. *Jovem* ait *reſoluto mundo & diis in unum confuſis paulliſper ceſſante naturâ acqvieſcere ſibi*. Vides duo hîc diſtincta memorari, *mundum reſolutum*, & *deos in unum confuſos*. Qvemadmodùm itaqve *mundum reſolutum* rectè exponemus craſſa corpora in materiam informem reverſa: ita *dii in unum confuſi* nihil ſunt aliud qvàm animæ ac minores dii in unum Deum, è qvo exierunt olim, tanqvam fluvii in ſuum Oceanum reſorpti. Qvam in ſententiam plura diximus Differt. præced. §.5. & ſeqq.

DISSERTATIO IX.

Ad Theſ. XI. q.

Phœnix.

§.1.

DE Phœnice conſulendi Zographi *Franzius* Part. II. Hiſtor. animal. c. 3. p. 347. *Geſnerus* Part. III. Hiſt. anim. f. 691. *Aldrovandus* XII. Ornithol. c. 28. f. 403. *Bochartus* parte poſter. Hieroz. lib. VI. c. 5. f. 817.

§.2. Peculiares eâ de ave tractatûs exhibuerunt Clariſſimi viri *Gryphiander*, (Jen. A. 1618.) *Kirchmayerus* (in Diſpp. Zoolog.) & *Deuſingius*.

§.3.

§. 3. Horum ultimi non viſi à nobis indicium debemus *Gaſpari Schotto*, qvi & ipſe non perfunctoriâ operâ argumentum hoc exeqvitur lib. IX. Phyſ. curioſæ c. 61. p. 1032. ſeqq. Sed & *Andreas Schottus* p. 602. proverb. multa ſe ait ad Pomponium Melam de hâc unicâ ave collegiſſe. Neqve non legi præ aliis merentur in Solinum *Salmaſius* à f. 545. ad 555. in Melam p. 295. *Iſaacus Voſſius*; in Claudianum p. 971. & ſeqq. *Barthius*; in Lactantium p. 904. *Gallæus*; in Euſtathii Hexaemeron p. 115. *Allatius*; *Libavius* item lib. VI. de Univerſitate p. 538. *Franciſcus Ferdinandius de Cordovâ* c. 7. Didaſcaliæ multiplicis à p. 71. ad 97. *Voſſius Pater* lib. III. de Orig. Idolol. c. 99. p. 1265. *Schotanus* Heptaëmer. Diatrib. XIII. p. 134. ſeqq.

§. 4. Qvibus qvi veteres adjunget, aliosq; recentiorum, qvorum nonnulli citabuntur à nobis & poſteà, facilè animadvertet, ingentem ſcribendi materiam naſci.

§. 5. Qvanqvam autem nobis propoſitum hîc eſt, illud exeqvi tantùm, qvod Theſi XI. dictum eſt, Phœnicem in id præcipuè excogitatum videri, ut ſymbolum præberet Mundi ſuis è ruinis ſubinde reſurgentis: faciendum videtur tamen, ut qvò res evadat planior illuſtriorq;, occupemus non pauca, qvaſiq; gradibus qvibusdam qvæſtionum, in id qvod propoſitum eſt nobis, pedetentim aſcendamus.

§. 6. Qværitur primò: *Qvam Phœnicis ideam concipere animo debeamus?* Nam ii, qvorum autoritate res univerſa nititur, alii aliam pingunt nobis, tàm diſcordibus teſtimoniis, ut qvicqvid prope interrogari de hâc ave poſſit ab ignaro, in meras reſpondentium contradictiones abeat. De patriâ certè, magnitudine, figurâ, coloribus, victu, ſpacio vivendi, moriendi, reſurgendiq; circumſtantiis mira ſcribentium varietas.

§. 7. In eo tamen conſenſus eſt, avem hanc eſſe (1.) orbe toto *unicam*, (ſpeciei monadicæ exemplum vocarent Logici,) qvæ (2.) poſt *longiſſimam* ætatem (3.) ex *morte* (4.) *redeat in vitam* (5.) perpetuis *circulis* poſt eadem expleta denuò ſpacia ſimili exitu renovandam. Conf. Conimbric. ad II. de Cœl. 3. q. 6. art. 4. p. 228.

§. 8. *Qvinq;* uti vides, *prædicata* hæc ſunt, qvæ qvia conſenſu ſcribentium ſtabiliuntur, *primaria* vocabimus, inq; juſtam Phœnicis ideam ſola admittemus; ab horum autem cenſu ſejungemus illa ceu *ſecundaria*, qvæ qvoniam Autorum diſſidiis controverſa ſunt, ideam

gene-

generalem noſtræ avis conſtituere minùs qveunt. Memoriæ verò cauſâ qvinqve illa prædicata uni verſiculo includemus. Eſt enim Phœnix ejusmodi avis, qvam

(1.) *Unam* (2.) *longævus* (3.) *moriendo* (4) *reſuſcitat* (5.) *orbis.*

§. 9. Nunc porrò velim obſerves, ideam hanc facilè qvidem convenire tùm illis, qvæ de hâc ave prodiderunt Ægyptii, tùm iis, qvæ Græci: qvoniam tamen Phœnicem ab Ægyptiis primò inventam, qvod planum faciemus §. 136. interpolaverunt poſteà Græci, ſi utriqve genti reddere ſua voles, videbis generalem iſtam ideam diſſilire qvaſi in ſpeciales duas, qvarum alteram Ægyptio, alteram Græco Phœnici dare oporteat.

§. 10. Exerit verò illa ſe duplicis ideæ ſpecificæ diverſitas circà duo prædicata: primum de *unitate*, (qvanqvam hoc diſſidium non tàm grave eſt, qvin per dicenda §. 43. ferri qveat,) ac tertium de *morte*. A tertio hîc ut incipiamus & commoditas dicendorum ſvadet, & gravitas rei.

§. 11. Enimverò, qvod ad *mortem* Phœnicis attinet, ſciendum, qvæ de genere mortis huic avi ſubeundæ hodiè maximè viget opinio, Phœnicem videlicet vivicomburio interire, non ab *Ægyptiis* eam ad nos, ſed à *Græcis* perveniſſe. Nam ex Ægyptiorum doctrinâ qvidvis hîc potiùs, qvàm rogus aut incendium memoratur.

§. 12. Ut *Græcorum* ea, qvam dixi, perſvaſio eſſe credatur, impetrabit à nobis præcipuè hiſtoria de *Proteo* ſeu *Peregrino*, (utrumqve enim nomen illi Philoſopho adhæſit,) qvi cùm ex ingenti facinore celebrari cuperet ad poſteros, maximâ ludorum Olympiorum celebritate conſtructo rogo ipſe in ignem ultrò ſe conjecit atqve ſic extinxit. Cæterùm hoc animo cùm eſſet, abolito *Protei* nomine voluit ſe *Phœnicem* appellari, qvoniam & hæc avis rogum conſcenderet. Clara ſunt in hanc rem verba Luciani Tomo IV. oper. p. 291. de morte Peregrini: ἤκουον γὰρ, ὡς οὐδὲ Πρωτεὺς ἔτι καλεῖσθαι ἀξιοῖ, ἀλλὰ Φοίνικα μετωνόμασεν ἑαυτὸν, ὅτι καὶ Φοῖνιξ τὸ ἰνδικὸν ὄρνεον ἐπιβαίνειν πυρᾶς λέγεται, πορρωτάτω γήρως προβεβηκώς.

§. 13. Facit huc & locus Artemidori, qvi ſimul varietatem narrationis de morte Phœnicis obſervat, IV. de interp. ſomn. 49. p. m. 409. è verſione Cornarii: *Dicunt aliqvi, qvòd Phœnix non ſepelit patrem, neqve omninò ipſi ſuperſtes eſt pater, neqve alius qvispiam progenitorum;*

rum: (ex qvâ interpretatione fecerat in præcedentibus Ægyptium onirocritam interpretari ſomnium cujusdam de Phœnice:) *ſed cùm ipſum fatum ducit, proficiſcitur in Ægyptum, unde, non ſanè eſt hominibus notum, & ipſe ſibi ex caſiâ & myrrhâ conſtruens rogum vitâ decedit. At verò, ubi exuſta eſt pyra, poſt tempus ex cinere vermiculum generari ajunt, qvi incrementum adeptus tranſmutatur, & rurſus Phœnix evadit, & avolat ex Ægypto eò, unde prior Phœnix venerat.*

§. 14. Conſervemus hâc occaſione ſuam lectionem Artemidoro. Poſtrema enim ejus fruſtrà ſolicitat Barthius p. 994. ad Claudian. Qvi cùm putaret eum de ovo etiam, qvod inter cineres ac novum Phœnicem intercedat, mentionem feciſſe, legere nos jubet: ἐκ τῆς αὐτῆς σκώληκα γίνεσθαι λέγουσιν, ὃν ᾠῷ τινὶ, vel ἐν τ' ᾠόν τι, (pro qvo codices habent, ὄλινα, nec aliter Suidas, qvi locum Artemidori tranſtulit in Lexicon ſuum, voce Φοῖνιξ.) μεταβάλλειν αὐξανόμενον, καὶ γίνεσθαι πάλιν Φοίνικα.

§. 15. Nulla nobis hanc correctionem neceſſitas commendat. Hoc dicit Artemidorus, è cineribus exuſti Phœnicis vermem naſci, è verme Phœnicem renaſci. Anteqvam renaſcatur, incertus autor elegiæ de Phœnice Lactantio tributæ verſ. 104. prodidit, vermem in ovi ſpeciem colligi. In hunc igitur ſenſum & Artemidori verba reformanda cenſet vir celeberrimus.

§. 16. Qvi tamen haud ignorabat, ab aliis plurimis ſolum vermem ſine ovo hîc memorari, (cùm etiam ſint, qvi de utroqve ſilentes phœnicem ſtatim è cineribus reſingant,) ut ab Epiphanio, ab autore epiſtolæ ad Præſidiam, (qvæ inter Hieronymi opera legitur Tom. II. f. 68.) à Plinio, Clemente Romano, Glyca, Ambroſio: nam hos ipſe mox, licet in aliâ re, citat nominatim.

§. 17. Qvibus addo Euſtath. hexaëmer. p. m. 26. qvi propemodùm ipſis Artemidori verbis utitur: εἶτα ἐκ τῆς κόνεως σκώληκα γίγνεσθαι, καὶ ἐκ τοῦ σκώληκος εἰς τὸν πρῶτον Φοίνικα μεταβάλλεσθαι. Addo præthereà Jo. Tzetz. Chil. V. hiſt. 6. f. 345. Albertum cit. Geſner. lib. III. de avibus f. 692. Vincent. Bellovac. XVI. Spec. nat. 74. f. 1201. qvi è libro de naturis rerum; Barth. Anglicum XII. de propr. rer. 14. qvi ex Alano, ſolum hîc afferunt nobis absqve ovo ſuccedente vermiculum.

§. 18. Contrà neminem habemus, qvi phœnicem velit ex ovo revi-

reviviſcere præter Pſeudolactantium & R. Jamai, cujus hæc verba proferimus è Bochart. Hieroz. part. poſter. f. 418. *Ea avis mille annis vivit, & in fine mille annorum ignis exit è nido ejus, & comburit eam, ſed manet in illâ velut ovum, ex qvo rurſus membra creſcunt, & reviviſcit.* Tamen & hic ſcriptor diſcrepat à Pſeudolactantio, qvòd vermem planè reticet. Ac neſcio an ullus veterum nominari qveat, qvi cum Pſeudolactantio vermi ovum hîc adjungat. Nam Caſp. Dornavius, cui, dum Phœnicem canit D. 3. Dulcamar.

- - - exit in auras
Vermis, ab hâc ovum: - -

noſtri ſcriptor ſeculi eſt. Itaqve rectè obſervavit Gryphiander N. 4: alterum ex his omitti ab aliis, partim vermem, partim ovum.

§. 19. Sed qvòd idem Gryphiander mox p. ſeq. ut aliqvem nominet, qvi omiſſo verme ovum tantùm proſeqvatur, & Herodotum nos ablegat, nihil ad rem facit. De ovo enim ſermocinatur Herodotus lib. II. c. 73. non è qvo renaſcatur Phœnix, ſed in qvo ex myrrhâ compoſito mortui parentis cadaver novus pullus portet in Ægyptum. Pro Herodoto igitur nos R. Jamai ſubſtituamus.

§. 20. Vocandus hîc etiam ad partes anonymus auctor Pierio Valeriano in edit. Colon. A. 1631. adjectus, qvi in collectaneis Hieroglyphicorum lib. VI. p. 240. notare jubet, *præter Claudianum*, (qvem vide carm. de Phœn. v. 44. 47. 50. 103.) *& Poema Lactantio perperam attributum* (v. 96.) *nec Plinium, neqve Tacitum, vel alium ex veteribus tradidiſſe, Phœnicem ſe ipſum comburere, qvod tamen poſtea recentiores univerſi ſecuti ſint.* Hic profectò prodit, ſe nimis oſcitanter Solinum, Lucianum, Artemidorum, qvos p. præced. memoraverat inter autores, qvi de Phœnice ſcripſerint, legiſſe. Lucianum enim & Artemidorum audivimus §. 12. & 13. Solini autem c. 46. verba ſunt: *Rogos ſuos ſtruit cinnamis.* Martiali qvoqve lib. V. epigr. 7.

- - Aſſyrios renovant incendia nidos,
Una decem qvoties ſecula vixit avis.

§. 21. E Veteribus ergò phœnicem ab igne mori referunt Lucianus & Artemidorus Græci; Solinus, Martialis, Claudianus, Pſeudolactantius Latini. Qvorum nemo non gentilis eſt, ne qvidem ultimo, qvem memorabamus, excepto, de qvo vide Gallæum p. 904. ad Lactant. & Labb. Tom. II. de ſcriptorib. Eccleſ. p. 4.

§. 22.

§. 22. Eadem opinio Patribus qvoqve vetuſtis Eccleſiæ placuit non paucis, ſive qvòd jam tùm prævaleret, ſive qvòd magis opportunam ſibi viderent, mortuorum è cineribus reditum in vitam phœnicis exemplo perſvadere volentibus: qvâ de re dicendi locus erit infrà §. 173. 198. 199.

§. 23. Nec errabit me judice, qvi à phœnicis hâc fabulâ, per flammam renaſcentis, ortam aliqvâ ex parte crediderit alteram de aqvilâ, (cujus magnitudinem aliàs dant phœnici,) rejuveneſcente, ubi prius aduſta fuerit à Sole. Qvo commento putaverunt Rabbini nihil commodius eſſe ad interpretanda verba Pſalmi 103. v. 5. *Renovabitur, ut aqvilæ, juventus tua:* cùm his tamen etiam citrà fabulam ſua conſtet fides. Vide Rollenhag. c. 1. **glaubw. Lüg.** p. 139. & confer locum Theodori Heracleenſis apud Allatium not. in Euſtath. Hexaem. p. 121.

§. 24. Aqvilæ fabulam placet referre verbis anomymi in Pſalmos apud Bochartum part. II. Hieroz. lib. II. c. 1. *ὁ ἀετὸς κατὰ φ' ἔτη ἀνακαινίζεται. καιόμενος ὑπὸ τοῦ ἡλίου, καὶ καταδυόμενος εἰς πηγὴν ὕδατος, πάλιν νέος εὑρίσκεται. Aqvila qvingenteſimo qvoqve anno renovatur. Aduſta à Sole, & merſa in fontem aqvæ, juvenis iterum reperitur.*

§. 25. Addit Bochartus, eſſe qvi pro φ' h. e. qvingenteſimo, ρ' h. e. centeſimum reſcribant, ut huic ſcriptori cum Epiphanio conveniat. Qvid verò, ſi dicamus, anonymo illi curam fuiſſe potiùs, ut aqvilæ tantò meliùs conveniret cum phœnice, qvem ipſum etiam poſt annum qvingenteſimum qvemq; renaſci produnt paſſim?

§. 26. Nec fruſtrà eſſe dixerim, qvòd, ut Aqvila redeat in florem juventutis, non ignis modò, ſed & aqva conferre operas fingitur. Nam Phœnicem inundationis qvoqve ſymbolum fecerunt Ægyptii infrà §. 253. nimirum qvia & mundum, cujus imago Phœnix, utroqve elemento renovari tradebant. Qvam in rem & Phaëthontis fabulam, qvi cœleſti igne dejectus in Eridani aqvas cecidit, accommodat Foxius apud Benium in Timæum Platonis p. 431.

§. 27. Viciſſim ex Aqvilæ fabulâ migraſſe putem nonnihil in fabulam Phœnicis, qvalem reliqvit nobis nugivendus autor qvisqvis eſt Epiſtolæ Hebraicæ Preſti Johannis ad Romanum Pontificem, (de qvâ infrà §. 90. plura dicentur.) Sic ille ex verſione, qvam rogatu noſtro adornavit Hebrææ lingvæ peritiſſimus juvenis Johannes Kreſ-

ſius Noribergenſis: *In terrâ noſtrâ eſt qvoqve avis qvædam, omnium, qvæ in orbe ſunt, pulcherrima, eaq; tantùm unica in toto univerſo*, (Phœnicem deſignari nemo ambigit, atqve ita locum hunc intelligit Münſterus f. 1162. Geſnerus lib. III. de avibus f. 693. alii,) *anniq; vitæ ejus trecenti. His finitis aſcendit cælum versùs usqve adeò in altum, ut ſol ipſam accendat: poſt hæc deſcendit ac intromittit ſe in nidum, qvem ſibi ſtruxerat* &c.

§. 28. Icarium Phœnicis volatum, qvo ignem è Sole concipiat, nemo veterum, qvod ſciam, prodidit. Certè tacet Claudianus, qvi aliàs v. 55. Eleg. de phœnice incendium hoc Soli tribuit: de Aqvilâ verò gemina planè prodi videas, qvanqvam hîc pro Sole ignem elementarem nominant qvidam. Saadias apud Kimchium cit. Bocharto f. 167. *Aqvila volat ſublimiùs, qvàm ulla avium, & firmamentum versùs multùm effertur, donec ad ignem elementarem* (Rollenhagio ad Solem p. 127.) *acceſſerit*. Liber Porta cœli dictus, (cit. eod. Boch.) *Sunt, qvi aqvilæ naturale eſſe dicunt, ut prope terminum ignis accedat, & incendatur ſingulis decenniis*. Euſtath. Hexaem. p. 27. Φασὶ γηράσαντα τὸν ἀετὸν — εἰς τὸν αἰθέρα ἀνιπτάμενον ὑπὸ τοῦ ἡλίου τὰς πτέρυγας καταφλέγεσθαι.

§. 29. Venio ad alteram de morte Phœnicis, qvam dabam *Ægyptiis*, opinionem, qvæ Græcorum illâ hactenus expoſitâ vetuſtior certè eſt, non incendio perire hanc avem, ſed neſcio qvo mortis diverſo genere: alii enim aliter. Horus Hieroglyphicorum ſcriptor lib. II. c. 57. ex vulnere vult mori Phœnicem, qvod in terram ſummo ſe impetu projiciens accipiat. Vulnus hoc tacent Herodotus Euterp. c. 73. f. 117. Plinius X. 2. Pomponius Mela III. 8. Ambroſius V. hexaem. 23. Tzetzes Chil. V. hiſt. 6. f. 345. Qvi cùm ſimpliciter mortis vocabulo ſolutionísve utuntur, dicas eos in mortem phœnicis naturalem conſentire.

§. 30. Ut autem hanc ſententiam, qvæ phœnicem alio qvolibet modo, qvàm incendio ſtatuit emori, Ægyptiis tribuamus, Horus maximè nos movet & Herodotus. Qvorum ille & Ægyptius fuit, & ex profeſſo hieroglyphica Ægyptiorum patrio ſermone expoſuit, à Philippo qvodam poſteà verſa græcè; hic item diſertè ad Heliopolitanos in Ægypto ſacerdotes provocat, à qvibus rem audiverit. Qvòd ſi qvis

qvis Ægyptios opponat nobis, qvi Mandevillo teſtes fuerint vivicomburii: eum remittemus ad ea, qvæ lit. e. ad §. 94. ſumus dicturi.

§. 31. Dum hîc ſumus, excutiamus Philoſtrati locum, III. de vit. Apollon. 14. nam & ille nominat nobis Ægyptios, paſſim autem plures eum undecunqve citant, qvàm lingvâ loqventem ſuá legunt. Sic apud ipſum inter alia Indus Jarchas Apollonium alloqvitur: καὶ τὸν φοίνικα δὲ τὸν ὄρνιν τὸν διὰ πεντακοσίων ἐτῶν ἐς Αἴγυπτον ἥκοντα, πέτεσθαι μὲν ἐν τῇ Ἰνδικῇ τὸν χρόνον τοῦτον, εἶναι δὲ ἕνα, ἐκδιδόμενον τῶν ἀκτίνων, καὶ χρυσῷ λάμποντα, μέγεθος ἀετοῦ καὶ εἶδος, ἐς καλιὰν δὲ ἱζάνειν τὴν ἐκ τοῦ ἀρώματος ποιουμένην αὐτῷ πρὸς ταῖς τοῦ Νείλου πηγαῖς. ἃ δὲ Αἰγύπτιοι περὶ αὐτοῦ ᾄδουσιν, ὡς ἐς Αἴγυπτον φέρεται, καὶ Ἰνδοὶ συμμαρτυροῦσι, προστάδοντες τῷ λόγῳ, τὸ τὸν φοίνικα τὸν ἐν τῇ καλιᾷ τηκόμενον προπεμπτηρίους ὕμνους αὑτῷ ᾄδειν. τοῦτο δὲ καὶ τοὺς κύκνους φασὶ δρᾶν οἱ σοφώτερον αὐτῶν ἀκούοντες. i.e. *Eſſe & avem Phœnicem, qvæ qvingenteſimo qvoqve anno in Ægyptum veniens, reliqvum tempus in Indiâ circumvolat: eſſe autem avem unicam, & ex ſe radios emittere, atqve auro fulgere, magnitudine aqvilæ ac formâ; in nido conſidere, qvem juxta Nili fontes ex aromatibus ipſa ſibi conſtruxit. Qvæ verò de illâ Ægyptii canunt, qvo pacto in Ægyptum feratur, ea & Indorum teſtimonio confirmantur, illi ſermoni concinentium, qvi Phœnici ait in nido tabeſcenti* a) *ab ſe ipſo propempticos hymnos cani* b). *Hoc ipſum & cygni facere perhibentur ab iis, qvi illos audire accuratiùs ſtudent.*

a) Alemannus Rinuccinus interpres editioni Aldinæ conjunctus f. 24. vertit, *liqveſcenti.* Qvod hoc ſolo nomine non diſpliceat, qvia ſic alludi meliùs poteſt ad inundationes, qvarum ſymbolum eſſe Phœnicem, docebitur §. 253.

b) Hic non fero Rinuccinum transferentem: *lugubres hymnos decantari oportere.* Nec enim προπεμπτήριος ὕμνος eſt hymnus *lugubris* ſed *propempticus*, qvem Geſnerus etiam III. de avibus f. 692. licet reliqva Rinuccini retinens, hic exhibet. Neqve cantum hujusmodi Philoſtratus vult ab aliis exſpectare Phœnicem, ſed ab ſe ipſo depromere: ſeqvitur enim collatio ejus cum Cygno, qvam ipſiſſimis Rinuccini verbis, ut hactenus pleraqve, proferimus.

§. 32. In modulamine cantûs Phœnicem olori comparat, ac præfert etiam PſeudoLactantii Elegia v. 49. De cantu Phœnicis plura Turnebus XII. Adverſ. 16. (non 2. ut eſt apud Aldrovand. f. 407. & Gryphiand. K. 4.) qvi tamen perperam Plinium è X. 2. teſtem citat,

 de

de cantu hoc planè mutum. Videndus & Gryphiander K. 3: ubi Morellum Philoſtrati interpretem caſtigat: qvanqvam neſcio qvid ſit, qvòd idem Gryphiander paulò antè K. 2. dixerat, de cantu phœnicis nihil, qvod ipſe ſciret, reperiri.

§. 33. Philoſtratum ex Apollonii vitâ nominatim laudans Jo. Tzetzes Chil. V. hiſt. 6. bonâ fide hoc retinet, qvòd una ſit avis; qvòd nidum ex aromatibus, (non, ut Latina Tzetzis verſio f. m. 345. ex arboribus aromatum,) compingat; qvòd in Ægyptum proficiſcatur: cætera verſibus ſuis politicis planè alio ſenſu exeqvitur. Non cum aqvilâ phœnicem, ſed cum pavone contendit, eiq; & formâ, & magnitudine, & aurei coloris nitore incomparabiliter antefert. Pro fontibus Nili, qvibus nidum hæc ales imponat, arbores affert; ætatem ſilentio præterit; pro eâ vermem narrat, è qvo Phœnix renaſcatur, in Æthiopiâ mortuus: qvâ de re οὐδὲ γρῦ apud Philoſtratum.

§. 34. Etiam Volaterranus de Philoſtrato nos fallit, ſecundùm ipſum annos phœnici tribuens *ſexcentos* lib. XXV. Philol. f. 605. cùm *qvingentos* debuiſſet. Eâ re factum, ut ipſi Philoſtrato numerum hunc 600. annorum tranſcribant Aldrovandus XII. Ornithol. f. 407. & Gryphiander E. 4.

§. 35. Poſſis tamen ſubvenire Volaterrano unius interpunctionis operâ, ſi textum ejus ita diſtingvas: *Phœnicem idem author* [Philoſtratus,] *libro eodem in Indiâ item ponit, ſolamq;, ac annos vivere D.* [hîc interpunge, & literam *C.* qvæ ſeqvitur, à *D.* divulſam, cum Plinio, cui prænomen *Cajus*, connecte,] *C. Plinius autem ſic ait: Phœnix in Arabiâ aqvilæ magnitudine* &c. Sic ergò Volaterranum excuſes de Philoſtrato.

§. 36. De Plinio non item, cùm in ſeqventibus qvaſi hujus verbis è Phœnicis *cinere* aliam naſci ait. *Ex oſſibus & medullis* debebat, ut eſt apud Plinium X. 2. qvi in re totâ Ægyptiorum ſententiam enarrat potiùs, qvàm Græcorum, Phœnicem incinerantium.

§. 37. Major oſcitantia eſt Aldrovandi, ſcriptoris copioſi, ſed parum cauti, qvi dum ſua mavult è Geſnero & clam & feſtinantiſſimè congerere, qvàm vel autores conſulere, vel ipſum ſaltem Geſnerum cum curâ intueri, cœlum terræ miſcet. Cùm protuliſſet Geſnerus f. 692. & Philoſtrati locum, & Tzetzis, & Volaterrani, Suidam qvoqve ſtatim his adjungit, credo, ut Tzetzis additionem illuſtraret, ſimilia de verme

verme prodentem. Hîc Aldrovandus f. 406: hoc ipſum de verme, qvod Suidæ reſcripſerat Geſnerus, ad Philoſtratum qvaſi ex Volaterrani fide rapit, cùm tamen apud neutrum ne qvidem ſit atomus vermiculi. Porrò, ut menſuram impleat ſupinitatis: *Hunc Philoſtratum,* inqvit, *Suidas, etſi authoritatem non adducat, mihi ſeqvutus videtur.* Nempe cùm ſcripſiſſet Geſnerus, Suidam hæc tradere *autore non nominato,* putavit Aldrovandus, autorem Philoſtratum deſignari, præſertim cujus unius nomen eousqve compareret in margine. Atqvi Geſnerus id modò ſignificatum ibat, neſcire ſe, qvem autorem ibi Suidas ibi deſcripſerit. Nos eum tenemus Artemidorum fuiſſe. Reſpice ad §. 14.

§. 38. De diſſidio circà *mortem* Phœnicis hactenus. Nunc alterum illud videamus circà *unitatem.* Qvam Græci qvidem hîc ſubtiliùs tuentur, qvàm Ægyptii. Ajunt enim ipſos combuſti cineres redire in priſtinam formam. Qvâ ratione nec eodem tempore plures uno vivunt phœnices, nec renaſcens alius eſt numero ab eo, qvi abierat in favillam. Qvanqvam an poſterius hoc Pſeudolactantius admiſerit, ambigas, ob extremum ejus diſtichon. Cùm enim dixiſſet:

Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres,
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi:

ſtatim addit:

Ipſa qvidem, ſed non eadem, qvia & ipſa, nec ipſa eſt,
Æternam vitam mortis adepta bono.

Ad qvæ verba Gryphiander Q. 1. *Phœnicem eundem ſpecie eſſe vult Poeta, non numero.*

§. 39. Sed Ægyptii certè vix eſt, ut numericam unitatem cuſtodire qveant in fabulâ ſuâ. Ajunt enim, ut eſt apud Herodotum II. 73. *juniorem phœnicem ex Arabiâ proficiſcentem in templum Solis* (Heliopolitanum) *geſtare patrem myrrhâ obvolutum, & in eo templo humare.* Etiam Tacitus VI. Annal. *primam adulto curam* tribuit *ſepeliendi patris.* Et apud Artemidorum IV. 49. (ex Ægyptiorum doctrinâ) *Phœnix avis patrem ſuum ſepelit.* Alius ergò filius à patre, alius à ſepeliendo is, qvi ſepelit.

§. 40. Qvamobrem cùm Plinius X. 2. *unum in toto orbe* vocat Phœnicem, qvem poſteà, ubi ex oſſibus mortui & medullis natus vermiculus in pullum abierit, *juſta funeri priori reddere* ſcribit, unitatem intel-

intelligi par erit, qvæ novorum ſucceſſione individuorum continuetur, qvomodo Papa Romanus vocari unus in toto poſſit orbe.

§. 41. Remoratur nos tamen Mela lib. III. cap. 8. de Phœnice ſic diſſerens, ut credas per ipſum unicam phœnicis animam per omnia ſubſeqventium pullorum corpora migrare: qvo pacto Pythagoras aliqvis diceret numericam qvoqve avis unitatem ſervari. Verba hæc ſunt: *De volucribus — phœnix ſemper unica — putreſcentium membrorum tabe concreſcens ipſa ſe concipit, atqve ex ſe rurſus enaſcitur. Cùm adoleverit, oſſa priſtini corporis — buſtis inferens ſeſe memorando funere conſecrat.*

§. 42. Qvicqvid Mela ſenſerit, Horus certè effugere non poteſt, qvin admittere cogatur uno plura Phœnicis individua, qvodqve majus eſt, eodem (licet non diuturno, neqve ſic duobus plura,) viventia tempore. Vult enim II. Hierogl. 57. patrem, ubi voluntarium vulnus acceperit, unà cum filio, è ſanie vulneris nato, Heliopolim proficiſci, illic demùm mori patrem, & ab Ægyptiis ſacerdotibus humari.

§. 43. Interim omnes priſci, ſive Græcorum, ſive Ægyptiorum ſententiam ad nos propagent, ſi ſolum excipias Horum, conſentiunt, eodem tempore non niſi unum numero vivere phœnicem. Qvod cùm ita ſit, & Horus prætereà illud ipſum temporis ſpacium, qvod vivos unà videat phœnices duos, admodùm brevibus terminis includat: non eſt, cur tantilla de unitate diffidia ſpecialibus utriusq; phœnicis ideis inferamus.

§. 44. Ita ſolus de mortis genere diſſenſus Græcum Phœnicem diſtingvet nobis ab Ægyptio. Illi enim conflagratio, huic mors naturalis (ita plerisqve viſum) vitam intercidit. Poſſumus ergò, ut Ægyptii Phœnicis ideam habeamus, retinere verſiculum ſuprà §. 8. propoſitum; ut Græci, unius voculæ mutatione efficere:

(1) *Unam* (2) *longævus* (3) flagrando (4) *reſuſcitat* (5) *orbis.*

§. 45. Græci Phœnicis idea vulgatior eſt hodiè non in oculis modò vulgi per picturas, qvæ vix alium exhibent, qvàm flammis inſidentem, (qvanqvam & absqve flammis Phœnicem, atqve ſic Ægyptiorum placitis conformem repræſentat nobis Hori editio Pariſienſis A. 1551. p. 53. & 154.) ſed in eruditorum qvoqve animis, communi velut plurium ſeculorum credulitate ad nos usqve derivata, ut vel è ſeqventi

qvæ-

qvæſtione planum fiet. Itaqve nos eam, ubi res feret, retinebimus, ſalvâ tamen ſemper ad ideam Ægyptii qvoqve phœnicis recurrendi poteſtate.

§. 46. Qværitur ſecundò: *An idea Phœnicis græci eadem ſit cum ideâ Indicæ avis, qvam* Semendam *vocant?* De ideâ qværimus adhuc primariò, non de re ipsâ. Optimè verò qvæſtio hæc explicabitur, ſi hiſtoriam *Salamandræ* præmiſerimus.

§. 47. Lacerti genus eſſe Salamandram certum eſt. *Lacerti figurâ animal* Plinius lib. X. c. 67. vocat, cui *tantus* ſit *rigor, ut ignem tactum extingvat non alio modo, qvàm glacies.* Nata hinc fabula, igne planè non uri Salamandram, qvin potiùs in eo, ut in proprio elemento vivere.

§. 48. Sed jam diu eſt, qvòd fabulæ contradixit Dioſcorides lib. II. c. 56. Ad qvem Matthiolus f. m. 360. facere Salamandram (copioſum in agro Tridentino animal) teſtatur, qvod Plinius dixerat, prunis ſuperimpoſitam, non ſecùs ac cæteras animalium carnes, qvæ prunis aſſandæ traduntur. *Veruntamen,* inqvit, *in medium magni ignis, ubi flamma valentiùs agit, vel in fornacem projecta, ſtatim comburitur.*

§. 49. Intereà fabulam Arabes exceperunt, auxeruntq; in majus. Qvin & ex lacertâ fecerunt (inſcitiæ non levi argumento) alii murem, alii minorem aliqvantò vulpe qvadrupedem, pleriqve avem. Atqve his *Semendal,* (h. e. Salamandra, qvam & *Sendal, Semend, Semendar* ſcribunt,) *avis* eſt *qvædam Indica, qvæ in igne non comburitur.* De eâdem Damir hæc habet: *E mirabilibus naturæ Semendal eſt, qvòd in igne deliciatur, & in igne habitat. --- Et alii dicunt, Semendal avem eſſe in Indiæ regione, qvæ ova ponit & pullos excludit in igne, nec ignis ei qvicqvam nocet, propter proprietatem, qvam Deus illi indidit.* Debemus hæc Bocharto, qvi primus f. 822. ſeq. Hierozoici odoratus eſt, *Semendam,* qvam navigationes qvorundam Indicæ produnt, eandem eſſe cum Arabum *Semendal,* & hanc cum Latinorum Græcorumq; veterum *Salamandrâ.*

§. 50. Et verò qvis è dictis non intelligat, ex Arabum ſcholis illam deniqve, creſcente figmento, *Semendam* prodiiſſe, qvam ex Nicolai Contii, (ſic Bochartus vocat, Schottus p. 1038. cum aliis Nicolaum de Comitibus,) navigatione à Poggio deſcriptâ referunt, *avem eſſe ulterioris Indiæ triſido ſeu potiùs triſiſtulari roſtro, qvo muſicum ſonum, ad*

cujus imitationem paſtores haud inſvave inſtrumentum compoſuerint, edat. Hanc ajunt præſentire mortem ſuam, eaqve propinqvante ligna deferre in nidum, cantillare, & alarum percuſſione ligna incendere atqve comburi, inde vermiculum gigni ex cineribus, qvi poſteà in avem ejusdem ſpeciei excreſcat.

§. 51. Nimirum ſemel fingendi patefactâ licentiâ perventum eò eſt, ut qvia Salamandram Arabes dixiſſent pullos in igne excludere, invenirentur tandem, qvi eam transformarent in avem Phœnici proximam: uti ſolent paſſim ſimilium utcunqve rerum prædicata communione qvadam ſubjectorum confundi. Nam phœnicem qvoqve *modulamina fundere*,

qvæ nec olor moriens imitari poſſe putetur,

proditum eſt à Pſeudolactantio v. 45. 49. &, *ubi ligna ſicciſſima congregaverit, alis ea percutere & ſic ignem accendere*, à Pſeudauguſtino Serm. 18. ad fratres in Eremo (Tom. X. Oper f. 1308.)

§. 52. Fecit hæc ſimilitudo citrà dubium, ut Semendam primò *Cardanus* lib. X. de ſubtil. f. m. 337. poſt eum & *Scaliger* Exerc. 133. p. 692. poſt utrumqve *Majolus* Colloq. 6. dier. Canic. p. m. 203. & *Cordova* c. 7. Didaſc. multipl. p. 91 cum Phœnice compararent.

§. 53. Et *Cardanus* qvidem Semendæ pariter ac Phœnicis narrationem pro incredibili habet. (Conf. infrà §. 294.) *Scaliger* & *Majolus* propiores illis ſunt, qvi ex hiſtoriâ Semendæ tanqvam verâ fidem cupiant & Phœnici, aliqvâ ſaltem ex parte adſtruere: qvanqvam Scaliger alibi (in lib. I. Ariſtot. de plant. p. 270.) falsò de phœnice circumferri mirabilem ejus ortum judicat. *Cordova*, ut ex collatione cum p. 96. apparet, id agit maximè, ut ex eo, qvia Semendam nec unicam, nec tanto, ut Phœnicem, tempore viventem prodant ſcriptores, eandem unitatem ac vivacitatem Phœnici qvoqve, poſito eum dari, abroget.

§. 54. Verùm qvia nobis hîc ideæ potiùs, qvàm ipſius rei curam fore diximus §. 46. ut ad propoſitam qvæſtionem liqvidè reſpondeatur, *ſimiles* qvidem inter ſe Phœnicis & Semendæ ideas pronunciamus, ſed *non easdem* penitùs.

§. 55. *Similitudinem* ea, qvæ jam dicta ſunt, luculenter produnt. *Diſſimilitudinem* non tàm in trifido Semendæ roſtro qvæſiverim, qvàm in negatâ illi, ut apparet, unitate ſpeciei monadicæ.

§. 56.

§.56. Qvod enim ad roſtrum attinet, de qvo plura mox dicemus §. 60.61. 64. qvanqvam trifidum Phœnici nemo, qvod ſciam, tribuit, qvale ſi qvis crediſſet, rem miram non obtexiſſet ſilentio: tamen ſecundarium eſſe tantùm hoc prædicatum dixerim, qvod omitti cum veniâ poſſit in ideis harum avium.

§.57. Inter primaria verò eſt illa unitas monadicæ ſpeciei: qvam communis opinio Phœnici, Semendæ nemo tribuit, Salamandræ veræ, qvæ tandem in fabuloſam converſa eſt Semendam, ipſa fides oculorum adeò derogat, ut ne qvidem illi, qvi eodem tempore plus qvàm unum Phœnicem vivere tradiderunt, cum Salamandrâ, cujus tot individua ſimul videt ager Tridentinus, comparare poſſint Phœnicem ſuum, qvippe cujus familiam ejusdem ævi univerſam non ultrà patrem & filium extendunt, per dicta §. 39. & 42.

§.58. Ut hâc occaſione de Semendâ dicere pergamus, qvam è Salamandrâ natam eſſe dictum eſt, adeò veritatem corrupit fabula, nihil qvicqvam ſani ut remanſerit: nam & avem trifidi roſtri fecit ex lacertâ, & è ſuis favillis renaſci commenta eſt.

§.59. Perſvaſit tamen viris doctis *Scaligero* & *Majolo* Nicolaus de Comitibus, obſcurus licet ſcriptor, cumq; Mandevillo, de qvo infrà §. 91. meritò comparandus, ut, ſi maximè non omnia crederent, illam tamen Indicam avem aliqvid eſſe paterentur. Sed in hoc ipſo conſenſu nonnihil diſſidii aliqvis notet, alio aliam narrationis partem vellicante.

§.60. Nam *Scaliger* qvidem trifiſtulare roſtrum illud adeò proculcat, ut mendacium vocet, qvod fidem hiſtoriæ levet. Qvod ex *Aldrovando*, de qvo mox §. 64. hauſiſſe dicerem, niſi ſuſpicarer, poſteriorem ſua ſcripſiſſe Aldrovandum.

§.61. Scaligerum Cordova ſeqvitur p. 91. abit in phraſi tantùm, & *plura mendacia* vocat, qvod Scaliger ſingulari numero *mendacium*. Nempe qvia unum illud de roſtro ſecari poteſt in tres partes, ob totidem roſtri prædicata, cùm & trifiſtulare celebretur, & muſicum edere ſonum, & ad ejus imitationem paſtores inſtrumentum compoſuiſſe haud inſvave, ſuprà §. 50.

§.62. *Majolus* illud incendii voluntarii τὸ ῥητὸν ſollicitat potiùs, inq; allegoriam, (ſatis violentam eam qvidem,) transformat, qvàm trifido roſtro movet controverſiam. Sed qvia ſcriptor hic in

toto Phœnicis cum Semendâ comparandi negotio admodùm perplexè loqvitur, præſtat ipſum audire, judiciumq; relinqvere Lectori.

§. 63. Ergò cùm dixiſſet p. 203., Phœnicis hiſtoriam à recentioribus, qvi orbem peragraverint, probari, Nicolaiq; de Comitibus narrationem de Semendâ protuliſſet, ſtatim addit: *Hic non de Phœnice meminit, neqve unicam avem eſſe, neqve tanto viventem tempore. Non ergò creditu difficile eſt, ſibi mortem conſcire, & ſponte ardere, & rurſum ſuccreſcere. Nam & hoc omnibus animantibus ferè commune eſt generantibus. Ardent enim omnia animantia concubitu ac propè moriuntur: diſſolvuntur enim ſenſuum vires omnes, & à qvodam qvaſi vermiculo ſuccreſcit animal. Ideoqve tametſi à lignis ignem accendi non pateat, ignis tamen urens eſt omnis concubitus. Phœnicis igitur hiſtoria non erit ut falſa rejicienda.*

§. 64. Verùm qvomodocunqve Scaligero & Majolo ſe approbaverit Semenda, præſtat avi perſonatæ larvam omni ex parte detrahere cum Bocharto. Ante qvem jam *Ulyſſes Aldrovandus* commenti fidem haud leviter labefactavit, cùm cranium, qvod Semendæ perhibebatur, Damaſco allatum, Magnoq; Hetruriæ Duci venditum, nec Semendæ eſſe Neotericorum, nec Phœnicis veterum, argumento partìm roſtri non trifidi, partim magnitudinis aqvilinum caput qvadruplo excedentis docuit, Ornithol. f. 402: (ubi & pictura cranii) 403. 410: *Parem ergò fidem*, (verba ſunt Schotti, p. 1042.) *tota narratio meretur; qvæ non alium in finem conficta eſſe videtur, qvàm ut Phœnicis fabula patrocinaretur.*

§. 65. Qværitur tertiò: *An Phœnicis idea eadem ſit cum ideis Manucodiatæ, Cinnamulgi, Rhyntaces, qvæ & ipſa ſunt avium haud vulgarium nomina?* Similis qvæſtio hæc eſt præcedenti: qværendi autem cauſam Bellonius dedit. Nos, ut ab eâ nos breviter expediamus, fundamentum reſpondendi mutuabimur ab Aldrovando.

§. 66. Sic autem ille XII. Ornithol. 21. qvod eſt de Manucodiatâ f. 399. *Bellonius* (lib. VI. de avibus c. 35.) *Plutarchi Rhyntacen, & fabuloſum Antiqvorum Phœnicem, nec non & Cinnamomum ſeu Cinnamulgon, cum Manucodiatâ eaſdem aves arbitratus, pro quatuor diverſis unam, eamq; fabuloſam, nempe Phœnicem nobis obtrudere conatus eſt.* Eadem Aldrovandus inſinuat cap. 27. 28. 29. f. 403. & 411. de Rhyntace, Phœnice, & Cinnamomo agens.

§. 67.

§. 67. Ergò ſi Phœnicem cum tribus aliis avibus in unam conflavit maſſam Bellonius, neceſſe eſt, ideam univerſarum ab ideâ ſolius Phœnicis diſcrepare, partibus videlicet ſpecialibus novis, qvales unaqvævis habet, adjunctis.

§. 68. Dices, fieri poſſe, ut reliqvæ tres aves habeant prædicata ſingula, qvæ in Phœnice ſint univerſa: hæc ſeclusis ad propoſitum ineptis excerpſiſſe Bellonium, & ita nihil huic ideæ miſcuiſſe, qvod jam antè non poſſideret Phœnix. Judicet hoc, qvi Bellonium ipſum inſpexerit. Nos conſideratis illis, qvæ de Rhyntace, Manucodiatâ, Cinnamulgo tanqvam ſpecialia memorantur, audemus pronunciare, ne ſic qvidem prodire Bellonio potuiſſe eam ipſam exactè ideam, qvam prædicatis qvinqve circumſcriptam dedimus §. 8.

§. 69. Qværitur qvartò: *An eadem ſit idea Phœnicis noſtri cum ideâ Sinenſis alitis, qvam incolæ Fung-Roang vocant?* de qvâ Chriſtoph. Arnoldus c. 11. **der Zugaben ad Rogers offne Thür zum Heidenthum** p. 702. & Eraſm. Franciſci Part. II. **des Oſt- und Weſt-Indiſchen Luſtgartens** f. 1077. & latiùs Parte III. f. 1604. Qvorum uterqve aliàs vocat **den Sommer-Vogel** / poſterior etiam **den Königs-Vogel**. Etiam hæc qvæſtio ejusdem eſt cum præcedentibus commatis, & ad qvam faciliìmè reſpondeas pariter negando.

§. 70. Licet enim Martinus Martinii hanc avem, partim aqvilæ partim pavoni qvadantenus ſimilem, pro phœnice habeat, qvòd raro ſubeat viſum: tamen à Phœnice diſtingvit eum tùm uterqve ſexus, qvem ex Mich. Boymo tribuit illi Eraſmus, tùm, qvòd inde ſeqvitur, nec unam eſſe hanc avem, nec ſui concrematione redire in vitam, ut alia nunc mittamus.

§. 71. Qværitur qvintò: *An ideæ Phœnicis ipſa reſpondeat res extrà mentem, nec ne?* ſeu, *Phœnix veráne ſit avis, an fabuloſa?* Pleriqve veterum & Gentilium & Chriſtianorum planè nihil hîc reſpondent. Nec enim, qvi tantùm relata refert, cenſendus eſt ilicò vel approbare vel improbare. Non pauci dubitare ſe phraſi ſatis apertâ indicant. Qvos tametſi veroſimile eſt inclinâſſe magis in partem improbantem, negantibus tamen aggregare, qvoniam nihil definiunt, ſuperſedebimus.

§. 72. Veram avem Phœnicem eſſe crediderunt è Gentilibus *Cornelius Tacitus* lib. VI. Annal. p. m. 109. è S. Patribus *Clemens Romanus*

nus Epiſt. ad Corinth. p. m. 34. 35. *Cyrillus Hieroſolymitanus* ac *Tertullianus* infrà §. 177. 178. citandi, cum paucis fortaſſe aliis; è recentioribus *Joannes de Montevillâ*, qvem dabimus §. 93. ſeqq. *Marcellus Donatus* diluc. in Tacit. p. 164. *Majolus* Colloq. 6. dier. canic. p. 201. ſeqq. *Gryphiander* in Phœnice c. 3. & ſeq. è qvo §. 206. non pauca excerpemus, *Caſp. Dornavius* in Dulcamaro D. 3. *Jac. Zader*. Sommerſpieg. p. 187. noviſſimeq; *Patric. Junius* notis ad Clementem.

§. 73. Ac ſolet qvidem in hanc ſententiam ingens qvoqve aliorum veterum citari multitudo, qvomodo Junius non modò ad Clementem, Tertullianum, Cyrillum provocat, qvos illi non eripimus, ſed ad *Origenem* qvoqve, *Euſebium, Nazianzenum, Epiphanium, Syneſium, Hieronymum, Ambroſium, Lactantium, Plinium, Senecam, Melam, Solinum, Philoſtratum, Libanium*, alios. Sed vereor, ut hi cæteri pleriqve, ſi curatè examines, alio poſſint haberi numero, qvàm eorum, qvi popularem fabulam recitant potiùs, qvàm de ſuo aſſerunt. De *Origene* certè conſtabit ex §. 80. 81.

§. 74. Pro fabulâ Phœnicem habent à Gentilibus *Herodotus* Euterp. f. 117. è veteribus Chriſtianis *Maximus Martyr* libro ad Petrum Illuſtrem contrà Severi dogmata, & *Photius* Biblioth. cod. 126. f. 306. ed. And. Schotti, (f. 163. ed. Hœſchel. qvi in notis f. 940. Maximi locum græcè profert è cod. mſc. Auguſtano, latinè poſteà redditum à Schotto:) opinor & alii qvidam. Veteribus his magno ſe numero adjungunt ævi citerioris viri docti, *Philelphus* lib. IV. Epiſtolarum, ad Franciſcum Piccolpaſſum ſcribens, (qvam epiſtolam & Centuriæ Philologicarum inſeruit Goldaſtus p. 41.) *Aldrovandus* XII. Ornithol. 28. f. 404. *Libavius* lib. VI. de Univerſ. p. 538. *Rollenhag*. glaubw. züg. c. 19. p. 218. *Franzius* hiſtor. anim. Part. II. c. 3. p. 353. *Voſſius Pater* lib. III. de orig. Idol. c. 99. f. 629. *Voſſius Fil.* ad Epiſt. Barnabæ p. m. 45. & ad Melam p. 196. *Calixtus* lib. de immortal. animar. & reſurr. carn. c. 8. n. 14. p. 90. *Laurembergius* Acerr. Philol. Cent. II. n. 37. p. 303. *Hülſemann*. Gewiſſens-Wurm c. 7. p. 942. *Bæclerus* programm. Academ. 60. p. 62. *Urſinus* III. Anal. ſacr. 3. p. 164. *Schotanus* heptaem. diatrib. 13 p. 134. *Gallæus* ad Lactant. p. 904. *Kirchmajer* Diſp. III. Zoolog. c. 2. *Bochartus* part. poſter. Hieroz. lib. VI. c. 5. f. 817. *Caſp. Schottus* IX. Phyſ. curioſ. 61. p. 1042. *Boppo Johann. Oſius* ſeltzam Phœn. p. 22.

§. 75.

§. 75. Putes & mediam eſſe qvandam ſententiam Conimbricenſium & Rubii: qvos ſecutus *Forerus* Viridar. Philoſ. diſp. de animal. n. 28. p. 94. ſtatuit, dari aliqvam avem, qvæ Phœnix vocitetur: non admittit tamen, eſſe unicam tantùm, è cineribus autem ſuis repullulaſcere pernegat omninò. Si hos ergò audimus, partim vera erit volucris, partim fabuloſa, phœnix.

§. 76. At enimverò ſi obſerves, veritatis normam hîc eſſe convenientiam rei extrà intellectû, cum ideâ totâ phœnicis in intellectu, qvam Q. I. collocabâmus inter alia in avis unitate & reviviſcentiâ: facilè ſimul intelliges, qvi phœnicem hâc ideâ carentem extrà intellectum pollicentur nobis, eos de re qvâvis loqvi potiùs, qvàm de phœnice noſtro, utut nomen ejus adhibeant.

§. 77. Simul hinc æſtimabis, qvo loco ſit habenda *Cordovæ* opinio, qvatenus & ipſe, poſito Phœnicem dari, (non enim hoc aſſerit categoricè, ſed inter contrarias opiniones qvaſi fluctuat,) unitatem ejus tamen inficiatur. Meretur autem hujus viri ſententia ob ſingularitatem adſcribi tota.

§. 78. Is ergò Didaſc. multipl. prope fin. capitis 7. cujus initio profeſſus erat, ſe diu flagrâſſe deſiderio ſciendi, veráne eſſent, qvæ de phœnice ab ipſis penè incunabulis audierat, ſic tandē pronunciat p. 96. *Ego certè ſuperioribus adductus rationibus non dari in rerum naturâ phœnicem, vel ſi datur, non unicum eſſe ſed plures, & breviori viventes tempore ſemper credam* c): *degere tamen eos in aliqvibus inacceſſis locis, unde rariſſimè ad nos illorum aliqvis perveniat: indeq; initium fabulæ ſingularitatis harum avium: qvemadmodùm noſtris temporibus patefactum eſt immane qvoddam mendacium circà naturam aliarum avium Berneſtæ ſeu Bernechæ dictarum, qvæ in Hebridibus inſulis, Orcadibus, & in Hiberniâ deprehenduntur, qvarum fœtura cùm nullibi eſſet reperta, creditum vulgo eſt, illas ex fructibus aut foliis qvarundam arborum in mare decidentibus generari, usqve ad annum 1596. in qvo Hollandenſes qvidam circà novam Zemblam in aviculas has ova ſua foventes inciderunt, ut ipſi ſcripto teſtati ſunt. Cautè itaqve credenda hæc, qvæ à communi naturæ uſu longè abhorrent.*

c) Confer opinionem *Stengelii*, qvi & rationes qvasdam à Cordovâ mutuatus videtur, apud Schottum Phyſ. curioſ. p. 1041.

§. 79.

§.79. Nos cum illis facimus, qvi phœnicem inter fabulas rejiciunt. Movemur autem non tam cumulo vel autoritate ſic opinantium, qvàm rationibus, & iis qvidem, ut in hoc argumento, gravibus ac robuſtis. Nec enim placent frigidæ, & Sophiſtarum Scholam olentes ratiunculæ, qvalium apud Cordovam haud rara ſeges eſt; nec argumentum à defectu exempli ſimilis in reliqvis animantium generibus petitum; qvæ enim ſine exemplo eſſe perhibentur, hoc teli genere confodere velle, eſt principium petere. Minimè omnium ii ſe probant nobis, qvi ſic diſputant, ut *ne poſſe* qvidem dari phœnicem contendant: hoc enim foret omnipotentiam divinam carceribus ingenii cerebroſi circumſcribere.

§.80. Poſſibilitatem Phœnicis etiam Origenes conceſſit, ipſe factum interim relinqvens in medio lib. IV. contrà Celſ. p. 229. ed. Spencer. *καὶ τοῦτο ἱστόρηται μὲν, δύναται δὲ, ἐάν περ ᾖ ἀληθὲς, καὶ αὐτὸ φυσικὸν τυγχάνειν, ἐπιδαψιλευσαμένης τῆς θείας προνοίας, καὶ ἐν ταῖς διαφοραῖς τῶν ζώων παραστῆσαι τοῖς ἀνθρώποις τὸ ποικίλον τῆς ἐν τῷ κόσμῳ κατασκευῆς, φθάνον καὶ ἐπὶ τὰ ὄρνεα· καὶ ζῶόν τι μονογενὲς ὑπέστησεν, ἵνα καὶ τοῦτο ποιήσῃ θαυμασθῆναι οὐ τὸ ζῶον, ἀλλὰ τὸν πεποιηκότα αὐτό.* Qvæ ſic vertimus: *Atqve hoc* (de Phœnice) *narratur eqvidem, poteſt verò etiam, modò verum ſit, ipſum naturaliter contingere, id nimirum ſtudio cujusdam liberalitatis agente providentiâ divinâ, ut in animalium differentiis ſiſtatur hominibus ad aves etiam usqve progreſſa varietas mundani apparatûs: animale ſcilicet introducto, qvod in genere ſuo ſit unicum, admirationemq́; excitet non ſui, ſed conditoris.*

§.81. Brutis rationem, conſeqventer & virtutes morales dederat Celſus, inter alia Phœnicis etiam adducto exemplo, qvi patrem ſuum ſepeliendum inferat Ægypto. Reſpondet Origenes, ſi maximè vera ſint, de Phœnice qvæ differuntur, (neqve enim penitus impoſſibilia videri,) ad animantis tamen naturam referri & ipſa oportere, perinde, ut qvæ de ciconiis feruntur, (de qvibus dictum erat in præcedentibus,) non ad rationem illi ingenitam, atqve adeò non tàm avem, qvàm creatorem avis miraculo nobis eſſe debere. Hic ſenſus eſt verborum Origenis.

§.82. Concedamus igitur & nos, poſſibilem eſſe phœnicem, dariq́; pro hâc alite in formis abſolutè poſſibilibus locum aliqvem vacuum. Verùm hoc in qvæſtione non eſt: illud eſt potiùs, an vacuum

iſthoc

iſthoc replere Deus voluerit, atqve adeò repleverit opere ipſo? Qvod qvi aſſerunt, uti nihil efficiunt eo argumento, qvod à fugâ vacui in formis arceſſitur, (qvas enim chimæras, qvod monſtri genus hâc ratione non probaveris?) ita qvi negant, ſi verum potiùs qvàm veriſimile qværitur, concinniorem rationem vix habent, qvàm qvæ petitur à defectu vel infirmitate argumentorum affirmantium. Si enim ullibi, certè in qvæſtionibus facti, locum habet illud, affirmanti probationem incumbere.

§. 83. Nimirum ignoratione hujus methodi peccatum à multis eſt, qvorum, cùm nobiſcum ſentiant, rationes tamen qvaſdam diſplicere nobis teſtabamur. Qvaſi noſtrum eſſet probare negativam exiſtentiæ, circumſpexerunt argumenta varia, ſed (exceptis paucis, qvæ ſi non rem certam, ſaltem probabilem reddunt,) inepta pleraqve, nonnulla etiam parum religioſa, cùm putarent tantò ſe certiùs victoriâ potituros, ſi ne poſſibilem qvidem eſſe phœnicem demonſtraſſent.

§. 84. Nos ergò ſic procedamus: Qvæſtio præſens eſt facti. Factum qvi adſtruit, probare tenetur. Probandi firmiſſima ratio à teſtibus, qvi vel certâ oculorum fide uſurpaverint factum, (nam auritis ad juſtum pondus plurimum deeſt,) vel autoritate polleant infallibili. Qvorum illud ad humana teſtimonia, hoc ad divina refertur. Et verò Patroni Phœnicis utrumqve teſtimonii genus afferunt. Noſtrum jam eſt, aperire mentis oculos.

§. 85. Incipiamus à teſtimoniis humanis. Toto qvidem ſacco hæc effunduntur, poteruntq; inprimis ea conſtipata legi apud Geſnerum, Cordovam, Schottum. Sed nemo è priſcis, nemo præter Mandevillum (qvem examinabimus §. 91. ſeqq.) è junioribus, teſtem ſe gerit oculatum.

§. 86. Teſtium omnium, qvos habemus, Herodotus vel primus eſt, (qvalis habetur à Calixto p. 90. de immort. animæ,) vel poſt Heſiodum certè, qvi de ſolâ phœnicis ætate nugatur, antiqviſſimus. At is ingenuè fatetur, phœnicem à ſe nunqvam niſi in picturâ viſum, Euterp. f. 117. idemq; apertè negat, veriſimilia ſibi, qvæ de obitu ejus audierit, videri. Negant & alii qvidam veterum, aut ſaltem non habent, qvò provocent præter famam. Adhæc apud eos plena omnia dubitationum, aut etiam, ſi teſtis teſti committatur, contradictionum, qvod ipſorum fidem meritò labefactat.

§. 87. Jam ex iis ſcriptoribus, qvi fidem adhibent, Tacitus qvidem VI. Annal. p. 107. ait: *aſpici aliqvando in Ægypto eam volucrem non ambigitur*. Verùm neqve hoc eſt oculatum teſtem agere, ſed miſcere ſe turbæ credentium auritorum. Omitto fateri Tacitum, *incerta* eſſe cætera, & *fabuloſis aucta*.

§. 88. At Romæ, inqvies, viſus qvondam eſt Phœnix, qvem Plinius X. 2. allatum in urbem refert, (& qvidem mortuum, qvod addit Gryphiander G. 1. de Phœn. qvanqvam tacet hoc Plinius,) Claudii Principis cenſurâ, anno urbis 800. & in comitio propoſitum, qvod actis teſtatum ſit. Ita eſt, prodit hoc Plinius, *ſed qvem falſum eſſe* (etiam hæc verba ſunt Plinii,) *nemo dubitaret*.

§. 89. Idem ferendum judicium eſſe de altero, qvem cum præcedente confundunt qvidam, phœnice, qvi in Ægypto viſus eſt, (ſi modò qvicqvam phœnici ſimile viſum, nec tota narratio puris è mendaciis conſuta fuit,) Paulo Fabio, L. Vitellio Conſulibus; de Phœnice, qvem Heliogabalus convivis promiſit; de plumâ phœnicis, qvam Clemens VIII. anno 1599. Hibernis in Elizabetham Reginam rebellibus miſit, docebit Bochartus f. 822. etiam illum Dreſdenſis armarii phœnicem additurus, ſi æqvè notum habuiſſet atqve Gryphiander, qvi G. 3. & P. 2. mentionem ejus injicit.

§. 90. Tentemus hâc occaſione de natalibus plumæ illius Clementinæ hariolari. Exſtat epiſtola fictitia, portentoſis fabulis referta, qvam Preſti Joannes (Æthiopum Regem intellige) anonymus ad anonymum Pontificem Romanum ſcripſerit: qvâ inter alia narrat, ſuâ in terrâ eſſe Phœnicem, (reſpice ad §. 27.) Excerpta epiſtolæ hujus ex libello qvodam Conſtantinopoli impreſſo leguntur in calce Coſmographiæ Münſteri ed. latin. 1552. & 1559. (nam in Germanicis, qvas vidi, editionibus deſiderantur,) qvi nugas vocat Judæorum (eſt enim hebraicè exarata,) atqve has ait facetiarum loco ſe adſcripſiſſe. An igitur, ut credi voluerunt Pontifices, ab Æthiopum Rege Davide ad Clementem VII. Anno 1524. ſcriptas fuiſſe duas illas ſerviliſſimè ſcriptas epiſtolas, qvæ habentur in fine Æthiopicorum Alvareſii: ſic fortè Clemens VIII. perſvadere orbi voluit, ex eadem Æthiopiâ delatum ad ſe fuiſſe, qvod Hibernis donaret?

§. 91. Tranſeamus ab uno fabulatore ad alterum, â fabro epiſtolæ Preſti Johanneæ ad *Joannem Mandevillum*, ſeu, ut alii vocant, *de*

Monte-

Montevilla: qvorum uterqve dum lectoribus ſuis gryphes, hippocentauros, ſimiliaq; ſomniatorum ludibria pro veris hiſtoriis obtrudit, fidem ſibi omnem de phœnice pariter abrogat. Qvod ni eſſet, cauſæ noſtræ maximè poteramus metuere à Mandevillo, ut qvi teſtimonium oculatum nobis polliceatur.

§. 92. Fuit autem vir ille, qvod è Pitſei ſcriptoribus Angliæ p. 511. 512. docemur, Anglus natione, ordinis eqveſtris, perq; annos triginta tres toto qvaſi orbe luſtrato tandem Leodii anno 1372. obiit, relictis itinerum ſuorum commentariis anglicè, gallicè, & latinè ſcriptis. Sed hi ad noſtras qvidem manûs pervenêre non niſi germanicè verſi, inſertiq; dem Reiſe-Buch des H. Landes Francof. 1584. ubi fol. 410. illam de Phœnice fabulam reperimus. Qvam integram, inſertis obſervationibus noſtris ideò placet adſcribere, ut intelligatur, ſi maximè vanitatis abeſſent alia indicia, ſuſpectam à ſe ipsâ reddi.

§. 93. Sic igitur Mandevillus: In Egypten liegt eine Stadt/ die heiſſet Eliople/oder Derſola / auff Teutſch der Sonnen Stedt. In derſelbigen iſt ein Tempel gebauet nach dem Tempel zu Jeruſalem / er iſt ihm aber gantz ungleich *d*).

d) Jam ſuo ævo Heliopolin Strabo lib. XVII. f. m. 543. omninò urbem deſertam vocat, templum verò Ægyptio more ſtructum fuiſſe tradit. Nec Urbem hodiè, nec templum extare aſſerunt Cordova c. 7. didaſc. multipl. p. 92. & apud Schottum Phyſ. curioſ. p. 1041. Stengelius. Ex Arabum Geographo Abulfedâ deſolatam, in qvâ nullæ ſint habitationes, refert Kircher. Tom. III. Oedipi Synt. 8. c. 1. f. 331. Conf. Conring. de Hermet. Medicin. p. 87.

§. 94. Die Pfaffen im ſelbigen Tempel haben geſchrieben von der Stunde des einigen Vogels in der Welt / der Phenix genant iſt / alſo/ wenn er ſterben und wieder werden ſol. Wenn die Zeit komt / ſo bereiten die Pfaffen einen Altar im Tempel/und ſo er fünffhundert Jahr gelebet hat/komt er geflogen auff den Altar / ſich ſelber zu verbrennen / und wieder zu erneuern. Das ſagten mir die Heydniſchen *e*) Pfaffen / und hieſſen mich ihre Geſchrifft ſehen und leſen/die ſie davon haben.

e) Qvo ſeculo vixit Mandevillus, certum eſt, jam diu expugnato Gentiliſmo Chriſtianis permixtos Mahometanos Ægyptum oppleviſſe. Ac meminit ipſe proximè ante hanc fabulam Chriſtianorum in Ægypto, Eremitarum inprimis, qvi loca deſerta freqventes incolant. Qvod ipſum tamen potiùs ad antiqviſſima tempora perſecutionum ſub Imperatoribus Ethnicis referre debuiſſet. Sed viam ita parare cupiebat novæ fabulæ de viſo à ſe capite Satyri cornuti, qvi Eremitæ cuidam olim apparens (Antonium nominat Hierony-

mus in vitâ Pauli Eremitæ p. m. 67.) ut pro ſe precaretur, Deum rogaverat. Hoc ergò Ægypti ſtatu qvomodo potuit à Sacerdotibus *paganis* erudiri de Phœnice Mandevillus? Verius eſt, hæc talia, aut his ſimilia è mortuis doctoribus, qvorum nomina qvædam pòſt lit. ſeq. adſpergemus, haurire potuiſſe. Sanè vero qvingentos annos Phœnici paſſim tribuunt ſcriptores. Heliopolin fatalem ipſi civitatem præter alios memorat Ælianus VI. Hiſtor. animal. 58. Sed qvid eſt, qvòd Heliopolitani Sacerdotes Mandevillo ſuis è libris non idipſum retulerunt, qvod olim Herodoto? apud qvem de vivicomburio Phœnicis, qvod Græcorum eſſe inventum, non Ægyptiorum, docuimus §. 30. altum eſt ſilentium. Qvid eſt, qvòd in aliis qvoqve circumſtantiis variant hi juniores Ægyptii à majoribus ſuis? niſi qvòd Mandevillus ita prodit, ſe mentiendi artem non exactiſſimè didiciſſe.

§. 95. Alſo wenn die Zeit kom̃t/daß er ſich verbrennen ſol/ſo legen die Pfaffen Dorn und lebendigen Schwefel/ und andere Kräuter auff den Altar. Und auff die Stunde/ſo er fünffhundert Jahr gelebet hat/ kom̃t er auff den Altar geflogen/und von dem geſchwinden Wind/ den er mit ihm bringt/ſo zünden ſich die Dorn und der Schwefel an/ und verbrennet denn darin zu Aſche/ und ſo man das Feuer erleſchet/ ſo findet man ein kleines lebendiges Würmlein in der Aſchen liegen: des andern Tages wird das Würmlein zu einem Vogel: des dritten Tages wird es vollkommen/ und fleugt hinweg *f*).

f) Paria his proferunt è libro de naturis rerum Vincent. Bellovacenſ. lib. XVI. Spec. nat. c. 74. f. 1201. ex Alano (de inſulis, hic enim Trithemio teſte p. 99. ſcripſit de naturis animalium,) Barthol. Anglicus lib. X. I. de rer. propriet. c. 14. p. 534. ubi & illud legas, Oniam ſummum Pontificem in Heliopoli templum ad ſimilitudinem templi Hieroſolymorum (qvâ de re ſuprà §. 93.) ædificaſſe. Confer & locos Epiphanii, auctoris item Epiſtolæ ad Præſidium (tribui hæc ſolet Hieronymo, legiturq; Tom. II. f. 68. ſeq.) apud Cordovam Didaſc. multipl. p. 79. 80. & Barth. ad Claudian. p. 994.

§. 96. Und darumb vergleicht man den Vogel Gott dem HErrn/ der am dritten Tag erſtund vom Tod *g*).

g) An hoc etiam ἐπιμύθιον ſubjeciſſe dicemus Ethnicos Heliopolitanorum Sacerdotes? Non qvidem putem hoc velle Mandevillum. Chriſtianos Phœnici comparaſſe Chriſtum haud inficior, & pluribus infrà §. 200. ſeqq. docebo.

§. 97. Man ſihet ihn auch dick fliegen *h*)/ denn er iſt den mehrern Theil daſelbſt/oder in Arabia/ und iſt ein wenig gröſſer/ denn ein Adler/ und hat ein Kron auff dem Haupt/gröſſer denn ein Pfau hat/ und iſt ihm der Hals ſcheinbar/ der Schwantz rothſtreiffelet allenthalben. Ich

habe

habe ihn wiſſentlich zweymahl ſehen ſitzen/aber dick fliegen. Sein Flügel ſind Purpurfarb / und iſt gar luſtig zu ſehen/ſo die Sonne ſcheinet / und denn ſo glänzet er/und erzeiget alle ſeine Farben *i*).

h) Und den Autorem dick lügen.

i) Prorſus hic redivivum agnoſcas Cteſiam. Nam & hic ſimillima fabularũ portenta cùm in Indicis tradidiſſet, vult tamen veriſſima ſcripſiſſe videri, vel ipſummet ſuis ſpectaſſe oculis, qvæ ſcribit vel ab oculatis certè teſtibus accepiſſe, ut eſt apud Photium cod. 72. f. 158.

§. 98. Qvòd ſi qvis non planè contemnendam putet Mandevilli autoritatem: hunc rogabo, qvomodo fiat, ut eorum, qvi poſt Mandevillum Ægyptum orbisq; remoti partes reliqvas perluſtrarunt, nemo tamen viſum à ſe phœnicem renunciaverit? Mirum ſit profectò, ſi hoc tam oculato ſeculo, qvod & Berneſtarum veros natales detexit (ſuprà §. 78.) etiam à Mandevillo f. 426. ut fabula de agno arboreo, (qvem Boramez alii vocant,) probabilitatem conciliaret, fructibus certarum arborum imputatos, nullus ex tot peregrinatoribus in toties conſpectum Mandevillo phœnicem ipſe qvoqve aliqvando inciderit.

§. 99. Qvo pacto ſimul diluitur exceptio, ſi qvis cum Cordovâ (verba ejus qvære iterum §. 78.) dicat, in *locis inacceſſis* degere phœnicem. Nam & Berneſtarum patriam tot ignotam ſeculis repertam tandem ipſe agnoſcit Cordova.

§. 100. Eſt, inqvies, terra qvædam in hunc usqve diem incognita. Sit per nos qvoqve. Sed ſi nemo inde ad nos reverſus eſt, unde ſcimus in eâ degere Phœnicem?

§. 101. Nimirum inde dices, qvia certis utiqve ævi ſatis magni periodis ipſe ſui teſtis, mundiq; converſionum nuncius huic ſe orbi noſtro infert rogo fatali reparandum. Satis ingenioſè qvidem: ſic enim ſimul ratio reddetur, cur ætatis noſtræ homines non interfuerint ſpectaculo tam raro: nondum enim elapſa eſt juſta periodus. Verùm & hîc idoneos reqviro atqve oculatos teſtes.

§. 102. Audio qvidem à Tacito VI. Annal. p. 108. Reges memorari, qvorum temporibus ſucceſſivè apparuerit Phœnix, Seſoſtridem, Amaſidem, Ptolemæum III. Tiberium: tabulas publicas aut fidem dilucidam citari non audio. Tacitus ipſe *obſcurum antiqvitatem* fatetur, & ex annorum intervallo, qvod inter Ptolemæum ac Tiberium

 fuit,

fuit, *falſi ſuſpectum* habitum fuiſſe ſui ævi Phœnicem docet. Omitto ſcriptorum diſcordias de loco, ubi emoriatur phœnix, obſervatas & Barthio p. 387. ad Claudianum, aliis Ægyptum, aliis Syriam, aliis ipſam Phœnicis patriam, (qvam Utopiam credere fas nobis,) memorantibus.

§. 103. De humanis teſtimoniis hactenus. Veniamus ad divina, qvibus fidem phœnici adſtruere conantur qvidam: cùm certum nos potiùs habeamus, hâc de ave altiſſimum in ſacris eſſe literis ſilentium.

§. 104. Tacendum planè de loco Malach. 4. v. 2. *Exorietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus.* Qvanqvam enim Cornelius à Lapide citatus B. Urſino III. Anal. ſacr. 3. p. 165. viſus in eo ſibi eſt repериſſe phœnicem, ad qvem tanqvam Solis apud Ægyptios hieroglyphicum alludi vult à Prophetâ: tamen ne alluſio qvidem hæc abſqve fidiculis procedit.

§. 105. Planior in ſpeciem locus eſt Davidis Pſal. 92. v. 13. ſi græcam verſionem intuearis: δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει. Qvam & reſpiciens haud dubiè Tertullianus, ut illum orientis alitem probaret, è ſcripturis Dei hoc protulit lib. de reſurr. carn. f. m. 53. *Et florebis velut Phœnix.* Sed decepit eum ambiguitas vocabuli græci, qvod alibi *phœnicem*, hîc certè palmam notat, cùm in hebræis fontibus ſit תָּמָר.

§. 106. Supereſt locus tertius Jobi c. 29. v. 18. à Tigurinis ita expreſſus: *Cogitabam, me in nido meo expiraturum eſſe, ac more phœnicis multos dies victurum.* Sanè fatendum, plauſibilem hîc reddi phœnicis cauſam. Nam & nidi præcedens mentio nos invitat, ut qvod ſeqvitur vocabulum חול, de ave interpretemur; & ipſiſſimum Phœnicem eâ voce in fontibus ſignari Hebræorum non pauci defendunt. Porrò qvæ de phœnicis nido proferuntur, qvis ignorat? Factum hinc, ut non modò Gryphiander Phœnicis patronus textum Jobi præ Davidico urgeat E. 1. ſed & B. Urſinus III. Analect. ſacr. 3. licet fabuloſum putet phœnicem p. 164. tamen apud Jobum Arabiæ regem Arabicæ avis conſignatam non dubitet memoriam p. 166.

§. 107. Reſpondet autem Theologus idem celeberrimus, ad adſtruendam phœnicis veritatem nihil facere, qvòd ſacra pagina ejus aliqvando videatur meminiſſe. *Multa enim*, inqvit p. 164. *in eâ obvia*

via ſunt ſacra ſymbola, multa ex ſapientum veterum doctrinis & vulgi uſu trita adagia. Qvin & ad Phœnicum, Syrorum, Ægyptiorum fabulas ac parabolas nonnuſpiam manifeſta alluſio, qvatenus iſtiusmodi veritatem aliqvam externo figmenti cortice obvelant, ſimiles Silenis Alcibiadeis.

§. 108. Eqvidem ſi fatendum ſit, Hebræâ voce phœnicem ibi ſignari, malim hoc ipſum cum B. Urſino reſpondere, qvàm cum Aldrovando Ornithol. f. 410. *fieri potuiſſe, D. Job. etiam ſuo tempore à communi opinione deceptum fuiſſe:* præſertim cùm ipſe ſtatim Aldrovandus, qvaſi pœnitentiâ ductus veriſimiliorem, ut putat, illi reſponſionem ſubſtituat, *de palmâ, non de Phœnice* loqvi Jobum aſſerens. Sed ne qvidem hæc ratio ſe probat nobis.

§. 109. Eqvidem ita eſt, *palmam* eo loci habet vulgatus Bibliorum Latinorum liber, qvem ex Catholicæ Eccleſiæ præceptis ac decreto ſeqvi ſe debere profitens Cordova p. 92. in eo acqvieſcit, ſatisq; ſic ad locum Jobi reſponſum putat. Sed illud Concilii Tridentini decretum jam dudum ſuo merito exibilarunt Eccleſiæ noſtræ. Videndum igitur, qvâ fide vulgatus interpres palmam hîc reddiderit.

§. 110. Dubitari vix poteſt, qvin à ſeptuagintavirali verſione hoc traxerit. Sanè vocem hebræam חול apud nullum interpretem pro *palmâ* capi norunt eruditi. Nihilominus Græci ſic reddiderunt: ὥσπερ στέλεχος φοίνικος πολὺν χρόνον βιώσω: qvos qvidem ambiguitatis in voce Φοῖνιξ, qvæ & arborem & avem notat, memo es, de induſtriâ feciſſe apparet, ut non ſimpliter φοίνικα dixerint, unam vocem unâ reddentes, ſed στέλεχος φοίνικος, ne qvis fortè Pœnicem avem intelligeret: στέλεχος enim, h. e. ſtipes, truncus, ramus, non avis eſt, ſed arboris. Qvanqvam ne ſic qvidem effecerunt, ut ab omnibus de arbore loqvi crederentur. *Qvidam* enim *recentiorum*, ut è Schotani Heptaem. p. 143. diſco, *truncum Phœnicis ipſius corpus vult dici.* Conf. Joh. de Pined. in Job. 19, 25. n. 17. Tom. II. f. 60.

§. 111. Verùm neqve Græcus Codex avthenticus eſt nobis: nec apparet cauſa, cur Septuaginta ſenes palmam hîc intellexerint, cùm vox hebræa notionem hanc, ceu diximus, non admittat: niſi fortè ſeqventia verba: *radix mea aperta eſt ſecus aqvas*, tantum potuére, ut & qvæ præcederent, ad arborem aliqvam trahi crederent oportere.

§. 112. Qvare Bocharti maximè nobis probatur ſententia, Part. II.

Hieroz.

Hieroz. f. 819. ex fontibus hebræis Jobi verba reddi debere ſtatuentis: *tanqvam arenam multiplicabo dies.* Qvod ante ipſum præter alios Luthero qvoqve & Tremellio germanicè latineq; vertentibus placuerat. Planeq; hanc phraſin loco gemino Gen. 22,17. ſimiliter interpretantur ipſi qvoqve Hebræi: *multiplicabo ſemen tuum velut arenam, qvæ eſt in littore maris.*

§. 113. Sed Jobi locus, in qvo nulla maritimi littoris, aliqva verò nidi mentio, fuit opportunior ad illud de phœnice commentum inſerendum. Cui firmando & hoc addiderunt, ut non חול per cholem, ſed חול per ſchurek legerent. Nam ut *Chol* arenam notare indubium eſt, ſic nomen *Chul* phœnici proprium eſſe credi volunt à nobis.

§. 114. At enimverò, niſi nos fallit conjectura, nihili vox eſt *Chul*, qvatenus phœnicem ſignare intelligitur, haud alium in finem excogitata ab Hebræis, qvàm ut Jobi textum depravarent, conſenſumq; ejus cum illo altero Geneſeos tollerent. Nam ipſi aliàs Thalmudiſtæ, cùm de ſuo loqvuntur, Phœnicem non חול nominant, ſed אורשינא, (locum eorum dabimus paulò pòſt §. 117.) Pro qvâ voce ſi legendum eſt, ut Bochartus f. 819. ſuſpicatur אורנישא, *orniſa*, voce deflexâ à græcâ ὄρνις, qvâ (per ſynecdochen generis pro ſpecie) phœnicem appellant Nonnus & Johannes Gazæus: argumento ſit hoc nobis, non habuiſſe Hebræos in lingvâ ſuâ vocabulum ſingulare, qvo phœnicem nuncuparent.

§. 115. Ita nimirum eſt: ut fabulis delectata eſt gens Hebræorum, ita Gentilium quoqve non paucas, & in his illam de phœnice admiſit. Poſteà circumſpexit, num qva ſe rima in codice ſacro aperiret, cui hoc inferciretur commentum. Ita vis deniqve facta eſt verbis Jobi, cùm viderentur hujus fore injuriæ patientiſſima.

§. 116. Acceptum à Gentilibus fabulam novis etiam figmentis interpolaverunt: omnia animalia mulieri de fructu vetito comedenti paruiſſe, ſolo excepto phœnice; itaqve præmium hoc illi datum, ut poſt mille annos renovetur in adoleſcentiam ſuam. Hoc unum eſt, de qvo Schotanum Heptaem. p. 143. & Bochartum f. 818. vide.

§. 117. Alterum in Thalmudico tractatu Jachedrin in Gemarâ cap. II. ſect. 67. legitur, citante Bocharto d. l. ubi Phœnicem *orſina* vocant.

cant. Nos locum adſcribemus, qvalem Germanicè vertit Chriſtianus Gerſon im Thalmudiſchen Jüden-Schatz p. 276. Den Phönix fand mein Vater (Noah/) daß er auff der Schwellen des Kaſtens lag / und ſprach zu ihm: Foderſtu keine Speiſe *k*)? Er ſprach zu ihm / ich ſahe / daß du viel zu thun hatteſt / und dachte / ich wolte dich nicht bemühen. Er ſprach zu ihm: Es ſey (Gottes) Will / daß du nicht ſterbeſt / wie geſagt iſt (Job. 29. v. 18.) und ich ſprach / ich werde in meinem Neſt vergehn / und wie Phönix werde ich viel Tage haben.

k) Nec cibo nec potu Phœnicem uti, creditum eſt à qvibusdam. Vide Barth. ad Claudian. p. 978. Hinc nata videtur fabulandi Judæis occaſio.

§. 118. De neutro vel apex legitur in ſacro codice. Poſterius etiam refellitur cap. 6. Geneſ. v. 19. & c. 7. v. 3. Nam ſi de cunctis animalibus univerſæ carnis utriusqve ſexûs individua, ac de volucribus qvidem paria ſeptena in arcam aſſumpſit Noachus: qvomodo in his potuit eſſe Phœnix? qvem neutro ſexu avem unicam eſſe conſentiunt fabulatores.

§. 119. Atqve hinc Maximus martyr contrà Phœnicem ipſum in genere argumentum vibravit apud Hœſchel. not. ad Phot. f. 940. Qvod poſt eum repetierunt Franz. hiſtor. animal. p. 353. Gallæ. ad Lactant. p. 904. Kirchmajer. c. 2. §. 1. Bochart. f. 825.

§. 120. Qvod ſi Noachi arcam non ingreſſus eſt Phœnix, neceſſe eſt, ſi maximè demus, aliqvem fuiſſe, aqvis diluvii perierit, perinde ut volucres univerſæ, qvas arca Patriarchæ non exceperat. Tria Gryphiander hîc reponit, Patronus Phœnicis D. 1. Inſpiciamus ſingula.

§. 121. Primò negat antecedens. *Cur non*, inqvit, *in Phœnice ceſſare potuit mandatum de ſeptenis cujuslibet ſexûs in arcam Noe ingredientis, qvod ad illa ſaltem animantia ſe extendit, qvorum totidem paria in rerum naturâ erant?* Aut ergò doceat hanc exceptionem clariùs è Moſe: aut hoc tacente taceat ipſe. Qvis enim credat, avis tàm miraculoſæ, ſi qva fuiſſet, privilegium prætereundum fuiſſe ab hiſtorico ſacro?

§. 122. Secundò etiam conſeqventiam impugnat. *Qvid ſi fortè Phœnix unà cum Paradiſo eas in aeris regiones ſubtractus, ubi tutus ab omni inundatione eſſet, uti Lactantius ſentit?* Reſpicit ad initiales verſûs carminis de phœnice Pſeudolactantiani:

Eſt locus in primo felix Oriente remotus,
Quâ patet æterni janua celſa poli.

Poſteà: *Cùm Phaethontæis flagraſſet ab ignibus axis,*
Ille locus flammis inviolatus erat.
Et cùm diluvium merſiſſet fluctibus orbem,
Deucalioneas exuperavit aqvas.

Vel hæc verba produnt, autorem ethnicum potiùs, qvàm Chriſtianum. Sed Gryphiander germanum hunc eſſe Lactantii Chriſtiani fœtum perſvaſus, *locum* illum *Orientis* de paradiſo, *diluvium Deucalioneum* de Noachico interpretatus eſt, & hæc juxta Patrum illorum, (Auguſtini cumprimis, qvem ex neſcio qvo ad Oroſium ſcripto H. 1. citat,) ſententiam exaudivit, qvi Paradiſum in altiſſimo loco, pertingente usqve ad lunarem circulum conſtituerent, & hinc ad eum aqvas diluvii perveniſſe negarent.

§. 123. Hic omitto in hanc de Paradiſo ſententiam inqvirere. Sufficit hoc jam mihi, clarè teſtari Moſen Gen. 7, 18. ſeqq. aqvas diluvii omnia repleviſſe in ſuperficie terræ, adeò ut altiſſimos montes qvindecim cubitis ſuperaverint. Unde ſeqvitur & paradiſum cataclyſmo fuiſſe merſum. Conf. Auguſtin. XV. C. D. 27.

§. 124. Qvod ſi parcere Paradiſo tàm altè, ut volunt, ſuſpenſo, ſtatuerat Deus: videbatur eò & avium reliqva genera ſaltem qvædam, ſi non omnia, non minùs qvàm Phœnicem amandaturus fuiſſe, ut Noacho tot ventres paſcendi labor minueretur. Dignum profectò Phœnice conſortium, qvando & redivivum illum omni alituum genere ſtipari volunt fabulatores: habuiſſetq; orbis hoc pacto peculiarem avium paradiſum, & ab eo diſtinctum, de qvo eſt in legendâ Brandani. Sed abeant ſomnia!

§. 125. Tertiò Phœnicem Gryphiander, etiam conceſſo nobis argumento, adhuc defendit. *Qvid* enim, inqvit, *ſi poſt diluvium extraordinario qvodam modo creatus Phœnix?* Neſcias primam phœnicis creationem hanc fuiſſe velit vir doctus, an ſecundam. Putes de primâ locutum. Mox enim aſſertioni huic fidem adſtruere conatur è ſtellâ Magorum, (omitto qvàm bene, cùm ea non ſpecies nova fuerit, ſed novum tantùm individuum, imò ſecundùm qvosdam ne novum qvidem,) qvæ & ipſa non in principio mundi cœlo inſerta, ſed miraculoſa & extraordinaria fuerit. Atqvi ab hâc primâ creatione ſpecierum

cierum ſeptimâ ſtatim die, atqve adeò diutiſſimè ante diluvium reqvieviſſe Deum clarè legimus Gen. 2. v. 2.

§. 126. Sive autem primam creationem intellexerit, ſive ſecundam, (qvæ qvidem recreatio fuerit veriùs, h. e. reparatio è reliqviis extincti diluvio Phœnicis,) neutra ſatis aptari poteſt iis, qvæ ipſe poſteà E. 3. F. 1. 3. G. 2. de Phœnice diſſerit in hunc ſenſum, (poſteà §. 206. copioſiùs ex eo deſcribendum,) ut intelligatur, tres phœnicis ætates totidem ætatibus mundi, (unâ ad diluvium, alterâ ad Chriſtum, tertiâ ad exuſtionem univerſi,) æqvari; qvarum ſingulæ annis circiter bis mille abſolvantur juxta vaticinium Eliæ Rabini; novum ergò phœnicem primò ſub Seſoſtride non multò poſt diluvium, ſecundò ſub Tiberio tempore Chriſti conſpectum fuiſſe, tertiò fortè, (nam hoc trepidè aſſerit,) ſub finem mundi, ut ultimam ſeculi revolutionem indicet.

§. 127. Ergò, ſi diluvio periit phœnix, prima ejus periodus non regno Seſoſtridis, ſed diluvio terminatur. Si poſt diluvium vel creatus demum, vel à morte divinitùs in vitam reductus fuit, qværam à Gryphiandro, qvomodo à diluvio ad Seſoſtridem, ſub qvo ſe poſt latebras primum publicè monſtraverit, illam qvaſi bis mille annorum periodum impleviſſe intelligi qveat? cùm ipſe fateatur illum Regem temporibus Iſaaci & Jacobi non multò poſt diluvium vixiſſe.

§. 128. Dicet fortaſſe, tempus vel primæ vel Secundæ creationis ipſum articulum Regni Seſoſtridis referri oportere. Verùm hoc pacto, ſi ſub Seſoſtride natus primùm fuit Phœnix, duas tantùm ejus, non tres periodos habebimus; ſin renatus, cadaver aqvis ſuffocati per annos amplius qvadringentos, anteqvam reviviſceret, jacuerit neceſſe eſt; qvod num ſtatuere velit Gryphiander, ipſe deliberet ſecum.

§. 129. Sed cur circà ſingulos ejus ictûs laboramus? Poſſumus univerſos elidere validiſſimâ ratione. Qvicqvid enim ille hîc de Phœnice ab aqvis cataclyſmi invicto diſputat, in eo præſupponenda eſt exiſtentia Phœnicis, tanqvam ſatis jam demonſtrata. Verùm hanc nec teſtimoniis idoneis humanis, nec divinis ullis firmari potuiſſe, ſatis opinor hactenus eſt oſtenſum.

§. 130. Imò, inqvies, adhuc ſupereſt teſtimonium pluſqvam humanum, Clementis videlicet Romani, à S. Paulo Philipp. 4, 3. commenda-

mendati, qvi in epiſtolâ ad Corinthios, qvò reſurrectionem exemplo Phœnicis demonſtret, ita loqvitur de hâc ave, p. m. 34. 35. ut manifeſtum ſit omninò fidem ejus hiſtoriæ adhibuiſſe. Sanè Scriptorem hunc tanti fecit primus epiſtolæ hujus editor Patricius Junius, ut in notis ad eum locum malle ſe diceret *cum Clemente viro Apoſtolico* (hoc nimirum pondus Junium, licet alios qvoqve ſcriptores ſociantem, præcipuè traxit,) *errare, qvàm Maximum & ejus ſeqvacium opinionem ſeqvi.*

§. 131. Nobis hâc in re magis probatur judicium Photii, qvi cod. 126. f. 306. adeò ſe obſtringi hâc autoritate non patitur, ut Clementem ex hoc ipſo phœnicis argumento reprehenſioni opportunum objiciat lectori. Imò fuiſſe, qvi epiſtolam illam planè ψευδεπίγραφον cenſerent, diſces è B. Hülſemanno Gewiſſensw. p. 944.

§. 132. Sed qvicqvid de vero ſit autore, fuerit ille vir Apoſtolicus, *Apoſtolus tamen non fuit, nec cùm illa loqveretur, Spiritûs S. inſtinctu locutus eſt*; qvod bene monuit Schotanus Heptaem. p. 137. Qvi paulò antè illud etiam obſervat, ne ipſum qvidem Junium accedere videri univerſæ narrationi Clementis, poſtq; non multa præclarè ſubdit: *Qvis credat, ſi Deus exſtare voluerit in naturâ tam illuſtre reſurrectionis ſpecimen, eundem & voluiſſe avi illi ingenitum eſſe, ut illuſtri divinæ approbationis documento templum Solis* (in urbe Helipolitanâ, nam hoc clarè legitur apud iſtum Clementem,) *& aram idololatriæ execrabilis cohoneſtaret?*

§. 133. Non eſt ergò cur Clementis illius, qvisqvis eſt, teſtimonium attolli patiamur ultrà humanum. Qvod cùm oculatum non ſit, impedire nos non debet, qvo minùs abſoluto ſic tandem teſtium, qvi citabantur, ſcrutinio, concludamus, phœnicem eſſe rem omninò commentitiam, nec injuriam illi à Voſſio factam, cùm III. de orig. idol. 99. inter fabuloſas aves principe loco poſuit.

§. 134. Qværitur ſextò: *Fabulam Phœnicis qvinam primi excogitaverint?* Certum eſt, Gentiles hoc feciſſe. Nam & Chriſtiani, & Hebræi Thalmudiſtæ, qvi fabulæ fidem accommodaverunt, vincuntur ætate à ſcriptoribus gentilium, qvos hîc habemus vetuſtiſſimos, Heſiodo & Herodoto.

§. 135. Sed qvæ natio Gentilium hos ludos fecit nobis? *Graculos*

hîc

hîc nominat Voſſius III. de Orig Idol. 99. f. 629. Ante qvem Palingenius lib. V. Zodiaci v. 332.

Hic Phœnix ille eſt, qvem fingere Graculus audet.
Graculus inſani capitis. - -

Et poſt pauca:

Sed modò mira canat, nil curat dicere verum,
Gens hæc & tota eſt monſtris ac dedita nugis,
Qvâ duce noſtri etiam deliravere Latini.

§. 136. Rectiùs culpam inventionis *Ægyptiis* imputabimus cum Gryphiandro C. 3. Intellexit hoc & Libavius, cùm ſcriberet, *Ægyptios ſacerdotes ſua mendacia per Græcos in mundum diſſeminaviſſe*, p. 579. de univerſ. Neqve non Cordova, cujus hæc verba ſunt p. 95. Didaſc. multipl. *Mendacia hæc Latinos à Græcis, Græcos ab Ægyptiis accepiſſe, liqvidò conſtat.*

§. 137. Sanè ad Ægyptios & inprimis Heliopolitas tùm alii paſſim, tùm Herodotus hîc provocat Euterp. f. 117. Nec fruſtra eſt, qvòd Phœnicem toties reperimus in Hieroglyphicis Horapollinis, qvibus Ægyptiorum myſteria panduntur.

§. 138. Jam neqve deſunt exempla ſimilium de animantibus fabularum, qvas ab Ægyptiis, ut rei certæ ſymbolum eſſent, excogitatas, reliqvæ nationes cupidè arripuerunt. Qvalis illa de Leænâ non niſi ſemel pariente; altera item de viperâ, caput maſculi coëuntis præcidente. Utramqve memorat Herodotus Thaliâ c. 108. 109. Utramqve Ægyptiis deberi, qvi Oro teſte Leænam mulieris ſemel tantùm enixæ, viperam fœminæ viri vitæ inſidiantis, ſymbolum ſtatuebant, Voſſius docet III. de Orig. Idol. 53. f. 507. & IV. 52. f. 100.

§. 139. Sit ergò fixum, *Ægyptios*, & horum inprimis Hierophantas ac Sacerdotes Phœnicem primos confinxiſſe, ut arcani alicujus eſſet hieroglyphica nota. Concedamus hoc interim, acceptam ab Ægyptiis fabulam interpolaviſſe *Græcos* addito Phœnicis vivicomburio, de qvo ſuprà §. 11. ſeqq.

§. 140. Qværitur ſeptimò: *Caſui an conſilio fabula hæc veniat imputanda?* Non difficilis reſponſio è dictis. Nam qvæ Sacerdotes Ægyptiorum, ut eſſent hieroglyphica, invenére, in iis profectò conſilium intervenerit neceſſe eſt. Bochartus tamen ſi rogetur ſententiam, ad caſum inclinare videtur magis.

§. 141. Exiſtimat ille Part. II. Hierozoici f. 821. fabulam de Phœnice ex eo natam, qvòd *palma* (cui videlicet commune cum phœnice nomen eſt apud Græcos,) *qvandam ſpeciem*, (de qvâ Plinii verba profert è lib. XIII. c. 4.) *ferunt mortuam ex ſe renaſci*. Qvod ne de palmâ verum eſt qvidem, ſed ut hujusmodi qvid crederetur, in cauſâ fuiſſe ait fertilitatem loci, (is in orbe meridiano eſſe ſcribitur,) qvâ factum aliqvando, ut ex cadente ſurculo vel palmulâ altera palma in propè deficientis locum pullulaverit. *Inde*, inqvit, *ad cognominem avem translata tandem eſt fabula, ut ſæpè ex leviſſimâ occaſione naſcuntur portenta narrationum*.

§. 142. Etiam Calixtus, dum in eo eſt, ut veritatem phœnici deroget, Plinii locum adſcribit: non facturus opinor, niſi mentem Plinii ſic accepiſſet, qvaſi narraret ille, fabulam Phœnicis ortam ex errore circà vocabulum græcum.

§. 143. Ante Calixtum pariter & Bochartum Libavius qvoqve p. 538. de univerſ. originem fabulæ attingi à Plinio ſcribit; palmæ verò renaſcentis commentum neſciò qvo ex autore poſteà his verbis commemorat: *Palma græcis* Φοῖνιξ *ſpeciem qvandam habet, qvam* Muſi *l*) *vocant barbari. Ea reſtibilis eſt ſingulis annis. Itaqve cùm fruſtum ad maturitatem perduxit, Coloni totum ſtemma abſcindunt, & igni aggeſto etiam qvicqvid prominet, exurunt. Anno ſeqvente veluti ex cineribus, verè autem ex vivâ radice* m) *repullulat feliciùs. Habet folia inſtar alarum magnarum. Hinc figmentum eſt avis phœnicis*.

l) De *Muſâ* palmæ ſpecie aliàs vide Matthiol. ad Dioſcor. I. 125 f. 219.

m) ad originem fabulæ hoc pertinet, qvam obiter nota exponi à Libavio aliter, qvàm à Bocharto.

§. 144. Duo hîc agenda nobis: primùm, ut videamus, an Plinius natales fabulæ de Phœnice pandere nobis, dum alteram de palmâ refert, voluerit? hoc enim ſi non Bochartum, certè Calixtum & Libavium innuere dicas: qvâ occaſione ſimul ipſe Plinii locus excutietur. Alterum, cujuscunqve ſit iſta de his natalibus ſententia, num calculum ea noſtrum mereatur?

§. 145. De primo ſic ſentimus, non id agere Plinium, ut fabulam Phœnicis, ſed ut nomen ejus ad primas origenes revocet. Hoc enim vult, qvia palmæ qvædam ſpecies renaſcatur ex ſe ipsâ, factum inde eſſe, ut avi qvoqve de ſe renaſcenti nomen idem ſit à Græcis inditum.

ditum. Nam his Φοῖνιξ & arboris nomen eſt, & avis. Nec plura licet ex ejus verbis exſculpere, qvæ ſunt ſatis clara lib. XIII. c. 4. *Mirum de eâ* (palmâ) *accepimus, cum phœnice ave, qva putatur ex hujus palmæ argumento* nomen *accepiſſe, emori & renaſci ex ſe ipſâ.*

§. 146. Ergò ſi Plinium audimus, appellationem Phœnix ab arbore, non ipſum fabulæ commentum accepit. Nec aliter Plinii mentem exaudiverunt Etymologi, Fungerus p. 872. & Voſſius, voce *Phœniceus* f. 389. item Pierius XX. hieroglyph. 1. p. 238. Stengelius II. Hortenſ. 30. p. 351. 365. Gryphiander L. 4.

§. 147. Atqve ſic inter Plinii Bochartiq; ſententiam haud parum intereſt. Voluit Plinius, nomen avi famoſæ ab illâ palmâ inditum; Bochartus, ipſam fabulam ab arbore proceſſiſſe ad avem cognominem. Plinius ſive fabulam Phœnicis, ſive Phœnicem ipſum antiqviorem habuit nomine; Bocharto contrà nomen Phœnicis vetuſtius eſt fabulâ. Qvod hîc factum ſit, Plinius conſilio imputat, Bochartus errori potiùs vel caſui. Ut adeò, ſi curatè examines, Plinius Bochartusq; non diverſa dicant modò, ſed & adverſa.

§. 148. De palmæ reditu in vitam fabuloſa eſſe, qvæ Plinius accepit, anteà monitum §. 141. Hîc illud addo, falli Gryphiandrum, qvando L. 4: ſuper hâc palmæ ſe ipſam reſeminantis hiſtoriâ citat Plinium non modò lib. XIII. c. 4. (in qvo qvidem ipſum non reprehendo,) ſed & lib. XXI. c. 8. Qvâ fide Dioſcoridem hîc & Theophraſtum advocet præterea, non excutio.

§. 149. Pliniani loci poſterioris qvæ verba ipſum deceperint, ex E. 1. ubi partem earum deſcribit, & ad palmam diſertè refert, facilè intelliget, qvi Plinium ipſum inſpexerit. Sic ille: *Alexandrino* (amaranto) *palma, qvi decerptus aſſervatur. Mirumq;, poſtqvam defecêre cuncti flores, madefactus aqvâ reviviſcit, & hibernas coronas facit.* Non de *palmâ* loqvitur ibi Plinius, ſed de *amaranto:* cùm autem varia ſint amaranti genera, *palmam,* h. e. præcipuam nobilitatem, tribuit Alexandrino. *Palmæ* vox ambigua fundus fuit erroris.

§. 150. De cætero ipſe qvoqve Plinius fallitur in eo, qvòd avi Phœnici putat ab arbore nomen eſſe factum. Sed anteqvam hunc ejus errorem demonſtremus, aliorum qvoqve opiniones audire placet: licebit enim, ſpero, unâ liturâ plures delere fruſtrationes.

§. 151.

Digitized by Google

§.151. Qvod Plinio placuerat, planè invertunt Iſidorus XVII. Orig. 7. & hunc ſecuti Vincent. Bellovac. XIII. Spec. nat. 31. f. 967. ac Barthol. Anglicus XVII. de propr. rer. 116. p. 895. Scribunt enim, palmam Græcis Φοίνικα dici, *qvòd diu duret, ex nomine avis illius Arabiæ, qvæ multis annis vivere perhibetur.*

§.152. Præivit Iſidoro ſententiam hanc Pſeudolactantius, qvi ab ave & arborem & regionem Phœniciæ denominatam perhibet in his Carminis de Phœnice verſiculis:

65. *Dirigit in Syriam celeres longæva volatûs*
Phœnicis nomen cui dedit ipſa vetus. Et mox:
Tùm legit aerio ſublimem vertice palmam,
Qvæ gratum Phœnix ex ave nomen habet.

§.153. Fruſtrà omnes. Nec arbor avi, qvod Plinio placebat; nec avis arbori, qvod Iſidoro; ſed utriqve, contrà atqve Pſeudolactantius cenſebat, Syriæ regio Phœnice nomen dedit: nam & palmis hæc abundat, & nidos avis noſtræ Aſſyrios vocat Martialis V. Epigr. 7. Regio autem ipſa vel à Deliciis (chaldaicè פנק eſt delicatum eſſe,) vel à Canaan patre Sidonis, qvi primus cognominatus eſt פִּינְחָס, ex qvo Phœnicem fecerunt poſteà, appellationem invenit. Martinium vide f. 2663. Lexici, & Reineſ. c. 2. Punic. n. 3. 4. 5. Rectè Goropius XII. Hierogl. f. 193. *Phœnicia regio à Græcis nomen non accepit, ſed ab eâ gente, qvæ prima eam habitavit, cujus lingvâ à deliciis nuncupatur.*

§. 154. Atqve hinc illud interpretabimur Ovidii XV. Metamorph. v. 392.

Una eſt, qvæ reparet, ſeq; ipſa reſeminet ales,
Aſſyrii Phœnica vocant.

Vult enim Phœnici vocabulum hoc, ſi ultimam ſcruteris originem, non Græcos, licet hi maximè freqventent, ſed Aſſyrios impoſuiſſe.

§. 155. Laborant aliqvi tamen, ut græcum etymon aliis coloribus pingant, Iſidorus & arabicum comminiſcitur. Vide præter Lexicographos Gryphiandrum G. 4. Sed eos non ultrà moramur.

§.156. Intelligis interim, Phœnicem & arboris & avis nomen eſſe. Qvæ ambiguitas multis erroribus anſam dedit, cùm viri docti, qvæ de palmâ dicta forent à græcis, ea de ave exaudirent. Sic Tertullianus illud Pſalm. 92,13. δίκαιος ὡς Φοῖνιξ ἀνθήσει, de ave intellexit, ſuprà §. 105.

§. 157.

§. 157. Sic Eraſmus & Xylander ἐγκέφαλον φοίνικος apud Plutarchum *cerebrum phœnicis* verterunt, cùm *palmæ* debuiſſent, obſervante Mureto XIII. Var. Lect. 12. Sic idem Eraſmus adag. 1001. f. m. 277. cùm Horus I. Hierogl. 3. annum dixiſſet ab Ægyptiis *palmæ* imagine repræſentari, *phœnicem* ſubſtituit, notatus eam ob cauſam ab Hadr. Jun. cit. Myl. hort. philoſ. p. 167. Qvi qvidem lapſus tantò fœdior eſt, qvia ſtatim addit Horus, ideò id factum, qvòd *arbor hæc* (τὸ δένδρον τοῦτο) ſola ex omnibus ad ſingulos Lunæ ortûs ſingulos etiam ramos procreet, ita ut duodecim ramorum procreatione annus expleatur. Aliud exemplum de Judæorum Tragœdo Ezekiele ſuppeditat Bochart. Part. II. Hieroz. f. 820.

§. 158. Sed an etiam cum eodem Bocharto f. ſeq. dicemus, contrario errore ad *palmam* retuliſſe interpretes, qvæ de *Phœnice* dixerat Clemens lib. VI. Strom. (f. m. 456.) *Horoſcopus, qvi in manu habet horologium & palmam* (φοίνικα) *ſymbola aſtrologiæ.* Ubi φοίνικα *phœnicem* eſſe, non *palmam*, contendit vir doctiſſimus. Dubito. Qvanqvam enim facit pro Bocharto, qvòd Phœnicis vitâ fieri credatur magni anni converſio, qvodq; Phœnix in hieroglyphicis Hori ſymbolum eſt Solis, (infrà §. 241. 276.) tamen interpres Clementis, (is eſt Gentianus Hervetus,) pro ſe viciſſim alleget, qvòd idem Horus, ut modò videbamus, etiam palmam facit anni picturam.

§. 159. Interim his exemplis inductus, opinor, Bochartus credidit, ſimili deceptione factum, ut qvæ de redivivâ *palmâ* tradita forent literis, ad avem *phœnicem* ea traducerentur. Statim enim, ubi probaviſſet, vocis homonymiam multis erroribus feciſſe locum, addere ſe ſcribit, qvod rei ſit caput, fabulam de *phœnice* ex eo natam eſſe, qvod *palmæ* qvandam ſpeciem ferant mortuam ex ſe renaſci.

§. 160. Hoc illi ſi aſſentimur, non conſilium ſed caſus, non ingenium ſed error figmentum phœnicis pepererit nobis. Verùm hîc viro celeberrimo, ut ad alteram qvæſtionis præſentis, eamq; præcipuam partem veniamus, calculum ſubtrahere non una nos præter illam, qvam dabamus initio qvæſtionis §. 140. jubet cauſa.

§. 161. Primò τὸ φοίνικος pro palmâ vocabulum uſu certè non Ægyptium, ſed græcum eſt. Ergò ſi ambiguitas vocabuli mater fabulæ præſentis eſt, primi patres ejus Græci fuerint oportet. Atqvi Ægyptios fuiſſe oſtenſum eſt ſuprà §. 136. ſeqq.

P §. 162.

§.162. Deinde illa reviviſcentiæ perſvaſio longè & pervagatior, &, qvod conjecturâ liceat conſeqvi, antiqvior de ave eſt, qvàm de arbore. Ergò ſi dicendum ſit alterum, citiùs cenſeas ab alite ad palmam, qvàm à palmâ ad alitem id commenti migraviſſe.

§.163. Porrò phœnix qvantuscunqve eſt, mera fabula eſt, neqve in totâ ejus fabulâ qvicqvam illâ in vitam reditione vulgatius, ut ſimul & nominari hæc avis, & credi ejus ἀναβίωσις cœperit. At ſi error ex palmâ celebritatem hanc illi conciliavit, ſaltem ante hunc errorem fuerit ipſe in hominum oculis ac memoriâ.

§.164. Deniqve fabulares animantium hiſtoriæ conſilio ferè natales debent ſuos potiùs qvàm errori, h. e. caſui. Sunt enim inventæ, ut ſymbolicis ſenſibus inſervirent pro involucro: qvod Leænæ ac viperæ docebunt ſuprà §.138. poſita exempla. Tale igitur involucrum Phœnicem qvoqve eſſe voluiſſe, qvi primi eum ſunt enixi, perqvam ſimile vero eſt.

§.165. Atqve hoc voluit Mich. Majerus lib. XII. aur. menſ. p. 598. ita ſcribens: *Hoc qvi pro fabulâ omninò habent, pueri & iniqvi rerum æſtimatores videntur; qvi pro hiſtoriâ ut verba ſonant factâ, & illi falluntur ſuo judicio. Hieroglyphica enim ſunt hæc, & menti potiùs dictantur, qvàm auribus.*

§.166. Qværitur itaqve octavò: *Cujusnam rei præcipuè ſymbolum ſeu typum eſſe phœnicem voluerint primi inventores?* vel: *Qvidnam hoc hieroglyphico deſignare primariâ intentione propoſitum fuerit Ægyptiis?* Qvæſtio hæc præſupponit, illas Ægypti veteris hieroglyphicas literas, qvas alioqvin *ignombiles Latinis* vocat Ammianus lib. XXII. p. 250. non ſic omnem indagationem eruditorum fruſtrari, ut nullius planè juſta qveat afferri expoſitio, inprimis autem circà præſentem typum non penitùs inanem laborem fuiſſe tot ab ingeniis hucusq; inſumptum.

§.167. Jam cùm non omnium, qvi Phœnicem rebus accommodant, eadem ſit hypotheſis, unde conſeqvitur, ut eum alii *typum* certæ rei *tantùm*, alii *etiam exemplum* faciant; rerum verò ipſarum oppidò ſit genus multiplex: elaborandum ante omnia nobis, ut & opinantium *hypotheſes* diſtingvamus, & *exempli* à *typo* diſcrimen declaremus, & ipſarum *rerum*, qvibus ſive exemplum ſive typus phœnicis accommodatur, ſeu, qvod perinde, *accommodationum* ipſarum ſumma delibemus genera.

§.168.

§. 168. Ac *hypotheſes* qvidem opinantium facile eſt repetere ex Q. 5. §. 72. 74. Duæ ſunt enim, una eorum, qvi phœnicem pro verâ, altera, qvi pro fabulari ave habent.

§. 169. Priores illum nominare potuerunt pro certæ rei v. g. reſurrectionis à morte non *typo* tantùm ſeu ſymbolo, ſed etiam *exemplo;* poſteriores verò non niſi pro *typo.*

§. 170. Inter typum enim & exemplum id intereſt nobis, (qvi ſenſa tantùm noſtra hîc exponimus, loqvendi legem nemini figimus,) qvòd pro rei veræ *typo* qvidem adhiberi poteſt etiam figmentum, pro *exemplo* autem non niſi ens verum. Conſonat illud, qvod dicimus, ſimilia (inter qvæ & typi ſunt referendi,) non tàm probare, qvàm illuſtrare; verum autem non niſi ex veris ſolidè probari.

§. 171. Nec officit nobis, qvod vulgò ajunt, *exemplorum* non reqviri veritatem. Id enim eo in caſu valet, ubi diſcenti ſenſus tantùm alicujus ſive termini ſive propoſitionis imprimendus eſt. At verò ubi non jam ſenſum rei obſcuræ, ſed aſſenſum dubiæ provocare cupimus, omninò ſi exemplis res agitur, vera ea ſint oportet. Breviter, non qvidem ad exemplum *ſignificans*, bene tamen ad exemplum *probans* reqviritur ut ſit verum.

§. 172. Imò, inqviet aliqvis, ne ad *probans* qvidem. Perſvadebitur enim diſcenti aliqva veritas etiam per exemplum falſum, modò id ipſe habeat pro vero. Ita eſt: perſvadebitur *κατ' ἄνθρωπον*, gignetq; illi adeò veri non ſcientiam, ſed opinionem, qvâ ſæpè, qvi docet, contentus eſt. Qvod ergò dicebamus, ad exemplum *probans* omninò veritatem reqviri, nunc ampliùs profitemur intelligi debere de probandi genere ſolo *analytico.*

§. 173. Ipſum, qvod hîc tractamus, phœnicis argumentum, hanc doctrinam illuſtrat egregiè. Multi ſcriptores Chriſtiani veteres, qvorum nomina dabuntur §. 199. phœnicis exemplo conati ſunt reſurrectionis probare poſſibilitatem adversùs gentiles. Neceſſe eſt ergò, ſi ipſi commentitiam avem eam eſſe perviderunt, argumentum hoc tantùm *κατ' ἄνθρωπον* valuerit: aut, ſi crediderunt *κατ' ἀλήθειαν* ſe diſputare, habuerint phœnicem pro animante vero.

§. 174. Utiqve Georgius Piſidas, cùm hexaem. v. 1091. ſeqq. phœnicem depinxiſſet, non niſi ad hominem uti ſe hoc exemplo voluiſſe,

luiſſe, his demonſtrat, qvod & Bocharto f. 825. obſervatum, verſiculis:

> Ἑλληνικοῖς ἕλληνες εἴξαντες λόγοις
> Πείθητε λοιπὸν τὴν ἀνάστασιν σέβειν.
> *Græci ergò græcis fabulis ſi ceditis,*
> *Ne jam negetis ſuſcitari mortuos.*

§. 175. Idem de plerisqve ſanctorum Patrum dixerim, qvod ſcilicet dum gentilibus reſurrectionem negantibus fabulam phœnicis ab ipſis creditam, certè diſſeminatam in vulgus, proq; verá, ſaltem non penitùs impoſſibili propoſitam oggerunt, **κατ' ἄνθρωπον** argumentari voluerint.

§. 176. Qvòd autem Cordova p. 94. Didaſc. multipl. (cui confer Forer. viridar. philoſ. p. 95. & Conimbr. ad III. de Cœl. q. 6. art. 4. p. 230.) *generaliter dicendum* putat, *ad omnes ſanctorum Patrum phœnicis hiſtoriam referentium autoritates, omnes illos ſanctos Patres, non qvòd hæc de phœnice ave crederent, ſcriptis mandâſſe, neqve curæ illis fuiſſe examinare, veráne eſſent nec ne, ſed ſolùm eis viſum uti argumento ad hominem,* in eo nos illi non aſſentimur.

§. 177. Cyrillus certè Hieroſolymitanus, cujus locum ipſe Cordova p. 78. latinè protulerat, niſi **κατ' ἀλήθειαν** ſibi diſputare fuiſſet viſus, non ſcripſiſſet, providentiâ qvâdam Dei conditum in id phœnicem, ut incredulitati reſurrectionem negantium occurreretur. Græca hæc ſunt Catech. 18. *Φωλ. ζ. f. 213.* ᾔδει θεὸς τῶν ἀνθρώπων τὴν ἀπιστίαν καὶ ὄρνεον εἰς τοῦτο κατηργάσατο, Φοίνικα οὕτω καλούμενον.

§. 178. Simia legas apud Glycam I. Annal. p. 62. Nec alia mens fuit Clementis (ſuprà §. 130.) ad qvem provocat Cyrillus. Tertulliano qvoqve lib. de reſurrectione carnis f. 53. Spei, qvam de reſurrectione habemus *firmiſſimum ſpecimen* eſt phœnix, qvoq; nihil ſit *expreſſius atqve ſignatius in hanc cauſam.*

§. 179. Verùm in hoc ipſo decepti ſunt pii viri, qvòd fabulæ fidem adhibuerunt. Itaqve nec exemplum iſthoc rem probat **κατ' ἀλήθειαν**, qvia falſo nititur: neqve ſi maximè verus eſſet phœnix, perſvaderet qvicqvam iis hodiè, qvi alio cenſu ipſum non habent, niſi in qvem fabuloſæ referantur animantes.

§. 180. Atqve hunc in ſenſum interpretor verba Calixti p. 90. de immortal. animæ. *Inter typos* (qvod exemplum nos, ille typum vocat,)

vocat.) *qvos res naturales ſuppeditant, emineret phœnix, — modò ſe res haberet, uti narratur.*

§. 181. Paulò importunior cenſura eſt Gallæi p.904. ad Lactantium: *Moſes etiam huic fabulæ contradicit Gen. 7. v. 9. — Qvod ſi ſancti Patres perpendiſſent, non abuſi fuiſſent hâc fabulâ ad mortuorum reſurrectionem ſtabiliendam. Aliqvo modò valeret illa ſimilitudo ad redarguendum paganos, reſurrectionem carnis ridentes, nullo autem apud Chriſtianos, qvos non futilibus hiſce figmentis, ſed ſacro Dei verbo docendos hoc reſurrectionis myſterium affirmo.*

§. 182. Civilior hîc eſt Bochartus f. 824. *Cum Patribus clementiùs agendum eſt, qvi ſi qvid hâc in parte peccarunt, — non factum id fallendi animo* (addo, vel argumenta ficulnea proferendi,) *ſed nimiâ credulitate.*

§. 183. Eâdem æqvitate in eos utendum nobis, qvi noſtro ævo Myſterium τῆς ἀναβιώσεως exemplo phœnicis ita demonſtratum eunt, ut ipſi tanqvam vero adjungant fidem. Faciunt hoc præter diligentiſſimum Phœnicis aſſertorem Gryphiandrum Caſp. Dornavius Dulcamar. D. 3. in heptade ſimulacrorum reſurrectionis ex libro naturæ, & Jacob Zader Sommerſpieg. c. 12. n. 11. p 187. 189.

§. 184. Etiam illis, qvi non credunt, inſervire tamen phœnix poteſt pro *typo* ſeu emblemate, qvod nos adſpectu ſuo reſurrectionis admoneat: qvale ſiſtit Harsdörffer Part. II. der geiſtlichen Lehr-Gedicht n. 7. *Exemplar* vocat Mich. Majerus p. 600. aureæ menſæ, voce qvidem, qvam nos refugimus, qvi exemplum opponebamus typo, ſed ſenſu gemino, cùm ipſe phœnicem pro hieroglyphico per §. 165. h. e. hiſtoriâ fabulari habuerit.

§. 185. Commodior inſtituto noſtro vox eſt *imaginis*, qvam adhibet B. Urſinus Volum. I. Anal. ſacr. p. 167. ubi præmittit, in Chriſtianorum monumentis hanc avem crebro viſi, moxq; deſcribit hoc epitaphium extans Ravennæ:

Securus moritur, qvi ſcit ſe morte renaſci:
Mors ea non dici, ſed nova vita poteſt.

In templo Sebaſtiani id legi cum Phœnicis epigraphe docebit Nath. Chytræus delic. itin. p. 196. Diſtichum à multis commendatum vocat Anonymus lib. VI. hieroglyph. Pierio additorum p. 240.

§. 186. De typi exempliq; diſcrimine ſatis. *Rerum* ipſarum, qvæ vel pro typi noſtri antitypo, vel exempli correlato ſimili proferuntur, adeoqve & *accommodationum* eſt objecto æſtimatarum exhiberi poteſt multiplex differentia. Sed inſtituto noſtro qvatuor diſtinctiones ſufficient.

§. 187. *Primò*, accommodatio vel Chriſtiana eſt, vel Gentilis, vel nobis cum Gentilitate communis. *Chriſtianam* voco, qvæ fit ad dogma ſolis Chriſtianis; *Gentilem*, qvæ ad dogma ſolis Gentilibus proprium; *Communem*, qvæ ad dogma utrisqve commune.

§. 188. *Secundò* accommodatio vel hiſtorica eſt, vel philoſophica. Qvæ qvidem diſtinctio maximè ſpectat ad fabulas, qvæ ſuis involucris modò *hiſtoriam* aliqvam recondunt, modò ſenſum *philoſophicum* rei ſive moralis, ſive naturalis, aut cœleſtis, aut etiam divinæ. Imò ſæpè figmentum idem in ſenſûs hos univerſos aptari ſolet: qvod de Perſei fabulâ oſtendere conatur Leo Hebræus Dial. II. de amore (f. m. 396. Tom. I. Cabaliſt. Piſtor.) Conf. Voſſ. II. de Orig. Idolol. 56. f. 310. Reineſ. Punic. c. 2. n. 18.

§. 189. *Tertiò* accommodatio vel apta eſt, vel inepta. *Apta*, qvæ absqve tormentis & violentiâ, non absqve gratiâ & decore typum antitypo, exemplum rei applicat. *Inepta*, qvæ contrario ſe habet modo.

§. 190. *Qvartò* accommodatio vel eſt adæqvata vel inadæqvata. *Adæqvatam* intellige, qvæ phœnicis ideam juxtà omnes ejus partes exhaurit. Qvæ vel unicam omittit, *inadæqvatam*. Partes autem ideæ, ſeu prædicata primaria qvinqve fecimus §. 8. & 44.

(1.) *Unum* (2.) *longævus* (3.) *moriendo* (flagrando) (4.) *reſuſcitat* (5.) *orbis*.

§. 191. Primam ſecundamq; diſtinctionem planè poteramus omittere, cùm certi ſimus, accommodationes illas omnes, qvæ diſtinctionum hoc veluti cribro erunt ſemovendæ, vel *inadæqvatas* eſſe, vel ſi cogantur eſſe adæqvatæ, *ineptas* fore. Qvinimò poteramus tertiam qvoq; diſtinctionem conglutinare qvartæ, laudem adæqvatæ accommodationis non niſi talibus tribuendo, qvæ & omnia ideæ prædicata, & aptè exhauriant. Sed numero diſtinctionum qvadruplicato, concluſiones qvas parturimus, ordinatiùs atqve expeditiùs prodituræ videbantur.

§. 192.

Digitized by Google

§. 192. Sit ergò his præmiſſis *concluſio prima:* Ægyptiorum Sacerdotes, (nam hi ſunt inventores primi,) habuerunt phœnicem pro ave fabulari. Probatur hoc è deciſione Qvæſtionis præcedentis, ubi §. 160. & ſeqq. oſtendimus, non caſu, ſed conſilio natam eſſe fabulam. Fuerunt ergò Ægyptii ſibi excogitatæ hujus avis probè conſcii.

§. 193. *Concluſio ſecunda:* Iidem Ægyptii voluerunt phœnicem eſſe rei vel doctrinæ certæ non exemplum, ſed typum. Seqvitur hoc è priore, cùm exempli dignitatem ſuſtinere non niſi ens verum qveat per §. 170.

§. 194. *Concluſio tertia:* Iidem noluerunt eum eſſe typum dogmatis Chriſtiani, vel etiam, ne potuerunt qvidem, qvippe gentiles,& Chriſtianorum dogmatum aut penitus ignari, aut inimici.

§. 195. Seqvitur hinc, ſeponendas eſſe nobis accommodationes omnes à Chriſtianis qvà talibus propoſitas, pias qvidem illas ac devotas, ſed non niſi intrà ſanctæ civitatis pomœria natas,

§. 196. Tales ſunt, una qvæ *Chriſto* Salvatori, altera, qvæ beatis *Martyribus*, tertia qvæ *reſurrectioni mortuorum*, qvarta qvæ *Chriſtianis* univerſis, qvinta qvæ *Magis ex Oriente* Chriſtum ſalutantibus phœnicem applicat. Harum ultimam ſuggeret Herrenſchmidius Poſtillâ Neo-Symbolicâ feriâ Epiphan. p. 147. reliqvas Franzius Hiſtor. animal. p. 349. 350. & Aldrovandus Ornithol. lib. XII. f. 109. Secundam obiter tangit & Szegedinus Spec. Pontif. p. penult. Qvartam paulò copioſiùs tractat Joannes à S. Geminiano lib. IV. Summ. de exempl. c. 64. p. 228.

§. 197. Eminent verò ex his maximè, peculiaresq; à nobis lineas merentur prima de *Chriſto*, & tertia de *Reſurrectione*.

§. 198. Incipiamus è poſteriore. Nam & de eâ jam in præcedentibus §. 173. ſeqq. tàm multa occupavimus dicere, ut nihil niſi catalogum aliqvem veterum, qvi hoc argumentum tractaverint, reliqvum fecerimus nobis: & apud hos ipſos veteres ſcriptores, qvibus merito ſuo primas hîc damus, rara comparet phœnicis ad Chriſtum, haud paulò freqventior ad *reſurrectionem* corporis applicatio.

§. 199. Præter *Clementem* ergò, de qvo ſuprà §. 130. inſpice, reſtaurationi corporum noſtrorum fidem ex phœnice conciliare ſatagunt *Cyrillus* Hieroſolymitanus Catech. 18. Φωῖζ. f. 213. qvi Clementem diſertè citat, *Tertullianus* de reſurr. carn. f. 53. *Ambroſius* de fide reſurr-

reſurr. Tom. III. Oper. f. 31. & V. Hexaem. 23. Tom. IV. f. 69. *Auguſtinus* lib. IV. de animâ & ejus orig. c. 20. Tom. VII. f. 1203. *Epiphanius* in Ancorat. f. 573. *Æneas Gazæus* Theophr. p. 68. *Glycas* I. Annal. p. 64. *Georgius Piſidas* Hexaem. v. 1091. ſeqq. & alii Barthio ad Claudian. p. 98). citati. Atqve horum alii qvidem κατ' ἀλήθειαν ſibi diſputare ſunt viſi, alios verò dixeris haud ignoraſſe, non niſi κατ' ἄνθρωπον hoc argumentum valere.

§. 200. Qvi verò phœnicem ad *Chriſtum* accommodaverint, eos neſcio an de Patribus Eccleſiaſticis plures tribus dare poſſimus, qvorum unus Chriſti naſcentis, duo reſurgentis hiſtoriam exemplo noſtræ avis illuſtrant.

§. 201. De naſcente Chriſto *Cyprianus* expoſit. in Symbol. Apoſt. (aut potiùs Ruffinus Aqvilejenſis, huic enim ſcriptum illud eruditi adjudicant,) f. m. 254. *Qvid mirum videtur, ſi virgo conceperit, cum Orientis avem, qvam* Phœnicem *vocant, in tantum ſine conjuge naſci vel renaſci conſtet, ut ſemper & una ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo vel renaſcendo ſuccedat?* Epigramma huic velut emblemati addit Maſius Spec. imag. lib. V. c. 9. p. 513.

§. 202. De reſurgente Chriſto *Auguſtinus* Serm. Paſchal. (cit. Gryphiand. E. 2.) *Ecce reſurrexit ab antro ſepulchri rediviva caro phœnicis, qvam cinnamomum decoxerat pietatis.* *Epiphanius* etiam in Phyſiologo (apud Cauſſin. p. 71. de Symb. Ægypt. ſap.) locum Pſalm. 92. ad ipſum Chriſtum vult pertinere, qvaſi de illo David ſcripſerit: *Juſtus ut phœnix florebit,* qvia futurum erat, ut phœnicis inſtar tertiâ die ſe ſuſcitaret.

§. 203. His tribus qvartum adderem Ambroſium à Marcello Donato Dilucid. in Tacit. p. m. 165. inter Patres, qvi Phœnicem referre typum Chriſti tradiderint, relatum, niſi ſuſpecta eſſet referentis fides. Citat Marcellus lib. 5. (ſic ſcribendum pro 3.) Hexaem. c. 23. Sed ibi reſurrectionis typum Ambroſius Phœnicem facit, non Chriſti. Ac licet Chriſti mentionem progreſſu ſermonis injiciat, tamen eum non ipſi Phœnici confert, ſed thecæ Phœnicis.

§. 204. Recentiorum, qvi Phœnicem ad Chriſtum accommodent, benignior, copia nobis Atqve in his modò allegatus eſt *Marcellus Donatus*, qvi breviter multa exeqvitur. *Mandevillum* audivimus ſuprà §. 96. His adde *Petrum Glaſerum*, & *Johannem Heidfeldium* infrà §. 208.

§. 208. audiendos, *Matthiam* item *Bergium* carmine peculiari, qvod exſtat ſub finem carminum ejus Evangelicorum. Etiam vigiliâ Paſchatos anni 1668. Orationem de hoc argumento in Academia noſtrâ meminimus habitam à docto ac præſtanti Juvene *Cornelio Vogelio*.

§. 205. Sed nemo majore cum induſtriâ negotium hoc aggreſſus eſt *Johanne Gryphiandro*. Qvi cùm in animum induxiſſet credere, hanc avem utiqve dari, non modò Poetarum, Ovidii, Lactantii, Claudiani, Baptiſtæ Mantuani carmina de Phœnice congeſſit, Bergianum, ſi notum habuiſſet, non omiſſurus, ſed & Lactantiano poemati, qvod genuinum eſſe putavit, præter metricam ad Chriſtum applicationem, (de qvâ ipſe G. 3.) Commentariolum fruge bonâ refertiſſimum adjecit, illud agens præter cætera enixè, (vide G. 2.) Lectori ſuo ut perſvaderet, ſingulari Dei conſilio creatum phœnicem, qvi & ſeculi revolutiones præcipuas adventu ſuo deſignaret, & inprimis Chriſti Salvatoris figuram orbi exhiberet. Id qvod ita ingenioſè fuit executus, ut ſummam inventionis, aliis qvi poſt eum de Phœnice ſcripſerunt, qvos qvidem viderimus, omiſſæ, licet alioqvin abſentiamus, omninò dignam, qvæ hîc legeretur, habuerimus. Prodiit autem opuſculum ejus Jenæ A. 1618.

§. 206. Cùm igitur *Phœnicem fabuloſum non eſſe concluſiſſet, eo *D. 1.
fine creatū addit videri *, *ut mirabili hujus aviculæ ortu ac regeneratione* *D. 1.
*mirabilis Meſſiæ generatio & reſurrectio in figurâ qvadā oculis hominum objiceretur: ea enim, qvæ de Phœnice prodiderint Gentiles, ad Meſſiæ mortem ac reſurrectionem tàm manifeſtè alludere, ut non poſſimus non illud myſteriū naturæ mirari. Fas igitur eſſe typum Chriſti in eo qværere, qvod & * in aliis a-* *D. 4
*nimalibus faciat Scriptura, ipſa * phœnicis qvoq; conſcia, capite certè Jobi* *E. 1.
*29. qvod * an non totum allegoricè de Chriſto agat, Theologis ſe relinqvere;* *E. 1.
*certè * apud Patres Phœnici Chriſtum comparari. Hoc ergò myſterium* *E. 2.
*latens in Phœnice materiam dediſſe doctiſſimis Ægyptiorum & Græcorum, multa ſuper eo miraculo diſſerendi, ſed * in qvibus exitum reperire Chriſti* *E. 2.
*doctrinâ deſtituti non potuerint; eoq; minùs turbari nos debere, ſicubi de naturâ ac fine phœnicis contraria tradiderint, neqve in circumſtantiis convenire potuerint. Eqvidem * in eo conſenſum eſſe, qvòd Phœnicis adventus* *E. 3.
*ſeculi revolutionem apportet, de ſpacio verò * circumvolutionis hujus, ut* *E. 3.
& vitâ phœnicis ferè tot ſententias eſſe, qvot capita. Diverſitatem hanc
** inde ortam videri, qvòd inter annum magnum & maximum, inter majo-* *E. 4.

m & minora ſecula diſtingvere voluerint auctores. Enimverò maximum annum eſſe totius univerſi periodum, plura minora ſecula in ſe continen-
*F.1. *tem. Eam verò * ex Eliæ Rabini vaticinio ſex millia complecti annorum, è qvibus duo millia inane, duo millia Lex, duo millia Meſſias occupet. Ex hoc vaticinio tres mundi ætates veteribus natas, unam Naturæ, alteram Legis, tertiam Gratiæ. Conſentire Varronem, qvi primum ſeculum inane (ἄδηλον) dixerit, ſecundum mythicum, tertium hiſtoricum, ſimiliterq; triplicem Theologiam* n) *conſtituerit. Porrò in eo qvoqve nobiſcum ſentire Philoſophos Ethnicos, Stoicos præſertim, qvòd prima ſeculi* ἀποκατάστασις *ſeu redintegratio facta ſit per* κατακλυσμὸν, *ultima per* ἐκπύρωσιν *ſub finem mundi fieri debeat. His autem duabus inſerendam eſſe mediam revolutionem, Ethnicis aut ignoratam, aut non admiſſam, qvæ per* ἐνσάρκωσιν τοῦ Μεσσίου *facta cum maximo qvidem bono, nullâ autem clade generis humani conjuncta fuerit. Hoc admiſſo, ſi anno mundano* o) *h.e. totius univerſi curriculo ſex millia annorum tribuantur; anno autem magno* p) *ætates qvatuor, qvarum ſingulæ 500. annis* q) *abſolvantur, prodire cauſam erroris ex confuſione ſeculorum orti, qvæ diſtingvi debebant* r). *Ceterùm qvatuor ætates vocari qvatuor illa ſecula Poetarum carminibus celebratiſſima, auream, argenteam, æream, ferream; qvibus elapſis annus in circulum redire, novaq; revolutio ſeculi fieri fingatur.*
*F.1. *Eadem & * à Daniele prophetâ inſinuari c. 2. & confirmari experientiâ. Primos enim homines, licet jam lapſos, innocentiorem tamen vitam vixiſſe qvousqve ſenſim malitia hominum in tantum excreſceret, ut generali*
*F.2. *aliqvâ purgatione indigeret, Gen. 6. Sic ergò * per diluvium primam ſeculi revolutionem ac inſignem mundi mutationem factam eſſe; rurſusq; aurea ſecula rediiſſe illis, qvi relicti erant, ex memoriâ heſternæ pœnæ pietati ac juſtitiæ maximè ſtudentibus, qvousqve eos qvoqve poſteri à parentum moribus degeneres exciperent. Ab hoc aureo ſeculo incipere Poetas, fingentes, illud ſub Saturno floruiſſe, qvia de priori ævo parum aut nihil exploratum habuerint. Omnes enim antiqvitates hiſtoricas, qvæ ve in Ægyptio-*

n) Phyſiccam puta, Mythicam, Politicam.
o) ſeu maximo.
p) duobus annorum millibus conſtante.
q) hâc periodo imperiorum qvoqve mutationes volvi, paſſim obvium.
r) Hoc vult Gryphiander, qvòd pleriqve Phœnicis vitam circumſcribant annis 500. cùm debuiſſent 2000, inde factum eſſe, qvia qvartam partem anni magni pro anno toto perperam computaverint.

*Ægyptiorum, vel Græcorum annalibus continentur, in Jano Deorum antiqviſſimo, (qvi nobis ſit Noe,) deſinere, nec ulteriùs procedere, niſi qvid fortè ex ſacris Scripturis Hebræorum acceperint. Noæ filium Chamum à Poetis vocari Saturnum, in eo * peccantibus, qvòd felicitatem aurei ſeculi no-* *F. 2.
vi malè Saturno acceptam ferunt, qvæ Jano id eſt Noæ adſcribenda fuerit. Qvamvis autem diluvio terram inundante nondum ſecundus millenarius elapſus eſſet s), *unde Chronologi à circumciſione Abrahami, alii etiam à promulgatione Legis ſecundum ævum inchoent: tamen id intervallum in tantâ mundi converſione *, qvæ non in uno anno fieri poterat, ſed ſecula* *F. 3.
hominum aliqvot reqvirebat, levius eſſe; atqve idem accidiſſe in ſecundi ævi converſione per Chriſtum t). *Jam ex his colligi poſſe, qvando primùm apparuerit Phœnix, & qvoto annorum ſpacio periodus illius abſolvatur. Etenim Tacito teſte ſub Seſoſtride primo (non ſub altero illo, qvi in Sacris Sêſac dicatur,) Phœnicem primò conſpectum fuiſſe: Seſoſtridem verò hunc temporibus Iſaaci & Jacobi non multò poſt diluvium vixiſſe: coincidere ergò hanc Phœnicis apparitionem cum ſecundo mundi millenario completo, à qvo legem inchoemus. Porrò * tenendum eſſe, an-* *F. 3.
te Chriſti tempora ampliùs qvàm ſemel Phœnicem è ſuis latebris non prodiiſſe, qvia una ſaltem converſio ſeculi facta fuerit. Jam ſub Tiberio Cæſare eam avem denuò conſpectam, & qvidem illo ipſo tempore, qvo qvartum mundi millenarium completum eſſe velint præſtantiores Chronologi Bucholcerus u), *Dreſſerus* x), *Reuſnerus* y), *& Romani novam ſeculi converſionem ex libris Sibyllinis aliorumq; vatum præſagiis cupidè expectârint. Nimirum hoc illud fuiſſe miraculum nati Dei-hominis, cujus figuram referat Phœnix. Abinde* z) *erectos fuiſſe non Judæorum ſaltem animos in futurum adventum Meſſiæ, ſed etiam Græcorum & Romanorum oculos in imminentem ſeculi converſionem: qvæ tùm ſenſim appropinqvare cœperit, cùm Romani ad Remp. Judaicam fatali bello manûs exten-*

Q 2 *derent,*

s) Diluvio Bucholcerus p. 2. Dreſſerus part. I. Iſag. p. 48. & Reuſnerus p. 23. ad qvos provocat Gryphiander, aſſignant annum mundi 1657.

t) ut ſcil. qvartus millenârius nondum eſſet integer elapſus. Bucholcero p. 120. Dreſſero p. 304. Reuſnero p. 54. & 58. Chriſti natalis incidit in annum mundi 3970. Calviſio p. 405. in 3947.

u) p. 130. x) Parte II. Iſag. p. 1.

y) p. 60. Hi omnes eodem uſi calculo ad annum mundi 4000. referunt baptiſmum Chriſti.

z) à tempore ſcil. nati, vel non multò pòſt naſcituri Chriſti.

Digitized by Google

derent, initio facto per Pompejum Hieroſolyma occupantem. Confirmatam * *hanc opinionem fuiſſe, cùm Herodes Rex Judææ à Senatu Romano conſtitueretur ſub Coſſ. Cajo Domitio Calvino, & C. Aſinio Pollione (teſte Joſepho lib. XIV. Antiq. c. 23.) h. e. 37. anno circiter ante natum Chriſtum* a)*: qvo ipſo anno & Virgilius Eclogam qvartam prorſus fatidicam ad Pollionis Conſulis filium compoſuerit, ſed qvæ allegoricè Chriſtum deſignet. Eandem* * *ob cauſam Auguſtum poſteà* b) *Ludos ſeculares celebraviſſe, aliqvantò qvidem citiùs, qvàm id factum oportuerat, ſed tamen majori cum ſolennitate, qvàm vel unqvam anteà, vel poſteà factum. Sub Tiberiò demùm adveniſſe Phœnicem, unde certiſſimè concluſerint Romani, revolutionem illam adeſſe, in qvam hactenus fuiſſent erecti. Itaqve Manilium Mathematicum cum hujus alitis vitâ magni anni converſionem fieri prædidiſſe apud Plinium lib. X. c. 2. Qvod verò* * *idem Manilius aſſerat, ejus converſionis initium fieri circà Meridiem, qvo die Sol Arietis ſignum intráſſet, id ex alterius qvæſtionis deciſione pendere, qvo tempore anni mundus creatus, veréne an autumno, fuerit. Nam eodem anni momento ex opinione veterum etiam Mundum reparari debuiſſe per Chriſtum. Jam Tacitum* c) *Paullo Fabio & L. Vitellio Coſſ. anno U. C. 786. adventum Phœnicis adſcripſiſſe; hunc autem Conſulatum cum anno Paſſionis & reſurrectionis Dominicæ coincidere, id qvod certis rationibus ex faſtis Romanis demonſtrari qveat* d)*. Ergò converſionis ſeculi laudem omnem Meſſiæ noſtro aſſignandam eſſe, per hunc* * *enim aurea ſecula reſtituta, qvæ in primâ mundi origine, &, ut veriùs dicatur, in ſtatu innocentiæ floruerint. Hanc ſummam eſſe myſterii in phœnice præfigurati. Hodiè an adhuc in rerum naturâ ſit vivus phœnix, an ſub finem mundi ſuum ad ſepulchrum devolaturus ſit, iterum ut ultimam ſeculi revolutionem indicet, nihil habere ſe, qvod affirmet, ſuas cuiq; eâ de re abditâ & futurâ ſpeculationes relinqventem.*

*F. 4. *F. 4. *G. 2. *G. 2.

§. 207.

a) Conf. Bucholc. p. 108. Dreſſ. p. 302. Reuſn. p. 51.

b) anno mundi 3955. ante Chriſtum natum 16. ſi Bucholcerum ſeqvimur p. 115.

c) VI. Annal. p. 108.

d) Dubito. Sanè conſulatum illum Calviſius p. 425. & Cuſpinianus de Conſulibus Rom. f. 173. rejiciunt in annum à Chriſto paſſo primum vel ſecundum. Calviſio enim p. 423. (cum qvo & Bucholcerus facit p. 434.) paſſus eſt Chriſtus anno U. C. 785. Cuſpiniano f. 473. anno 784.

§. 207. Hæc à Gryphiandro per paginas aliqvas multas disjecta reſectis laciniis conſtipare, ſubq; breviorem conſpectum collecta ipſiſſimis, qvoad fieri commodè poſſet, autoris verbis dare Lectori, alicubi & augere notatiunculis, placuit, ne inventi tàm jucundi ſpectaculo, non ſolidi ejus qvidem, (nam ſi hoc Autori eripias, dari Phœnicem, tota moles, alioqvi partibus qvibusdam vacillans, ictu oculi corruet,) ſed profectò, præcipuè qvod ad anni magni partitiones attinet, ſpecioſi eum fraudaremus. Continentur autem ea procemio notarum in carmen Lactantii. In ipsâ verſuum enarratione (memor promiſſi G. 2.) ſuis locis indicat, qvomodo ſingula, de phœnice qvæ memorantur, ad Chriſtum applicari qveant. Ea verò, ut chartæ parceretur, congerere neglexims.

§. 208. Hoc addo, qvòd Phœnicem ſub Tiberio conſpectum ſpeciali ratione ad Salvatoris mortem ac reſurrectionem accommodat Gryphiander, id aliis qvoqve in calamum veniſſe. Sic enim Petrus Glaſer in der 42. Urſach/warumb die Chriſten gern ſterben ſollen n. 19. p. 282. Dion ſchreibt/ dan für dem letzten Jahr des Käyſerthums Tiberii ein Phönix ſey geſehen worden/damit angezeigt worden / dieweil dieſer Vogel ein Bildnis iſt der Aufferſtehung und Wiederlebendigwerdunge / daß der HErr Chriſtus umb dieſelbe Zeit von den Todten aufferſtehen würde/und die Lehre von der Aufferſtehung außgebreitet werden ſolte/daß alle / welche an Chriſtum gläuben / am jüngſten Tag von den Todten aufferſtehen ſollen zum ewigen Leben. Sic Joh. Heidfeldius c. 6. Sphing. p. m. 174. *Conſentaneum eſt, phœnicem, conſpectum ante poſtremum annum Neronis, ſignificâſſe reſurrectionem Chriſti & omnium credentium ex morte, recepta divinitùs vitâ.*

§. 209. Hæc ergò de Chriſto, de Reſurrectione ac ſimilibus mentem Chriſtianorum, Phœnicem ſive ut verum, ſive ut fictum intuentium, ſubire potuerunt. Ethnicos verò, cùm fabulam comminiſcerentur, ad hæc talia reſpexiſſe, nemo ſanus dixerit. Nam & ſine Chriſto erant gentiles, Eph. 2, 12. & Ægyptios Gryphiander ipſe, ſi ab his confictа hæc ſint, reſurrectionem humani corporis deſignare voluiſſe, clarè negat N. 3: *In nullâ re tàm vehementer, tàm pertinaciter, tàm obnixè & contentioſè contradicitur fidei Chriſtianæ, ſicut de carnis reſurrectione,* ait Auguſtinus in Pſal. 88. Tom. VIII. Oper. f. 985. Aliud ergò ἐπιμύθιον circumſpiciendum, cujus ſuſpicio cadere poſſit in Ethnicos.

§.210. Concluſio *quarta:* Ægyptii noluerunt phœnicem ſuum eſſe ſymbolum alicujus hiſtoriæ, ſeu talem typum aut hieroglyphicam notam, cujus accommodatio eſſet hiſtorica. Eqvidem in iis, qvæ de Oſiride, Iſide, Horo, Typhone produntur apud Ægyptios, facilè perſvadebimur, hiſtoricum aliqvem latere ſenſum, qvem & unà cum ſenſu phyſico, medico, tropologico, anagogico, allegorico & politico expoſuiſſe ſe ſignificat Kircherus Tom. II. Oedipi Part. 2. Claſſ. 10. c. 3. ab init. f. 394. Verum alia fabulæ de Phœnice ratio eſt. Oſiris, Iſis, Horus, Typhon hominum vocabula ſunt, Phœnix alitis appellatio eſt, non hominis.

§.211. Imò, inqvies, & alitis & hominis. Nam & Phœnicem inter propria virorum reperimus, neqve unus hoc nomen adeptus legitur, ſed multi, qvos præter Onomaſtica memorat Aldrovandus XII. Ornithol. 28. f. 404. Qvibus addas Phœnicem patrem Cilicis, qvem Jove antiqviorem de primis terræ alumnis habitum ſcribit Solinus c. 51. modò Phœnix hic diverſus eſt à Phœnice Agenoris filio Cilicis fratre, qvem Ciliciæ nomen, ut Phœnicem illum Phœniciæ, dediſſe volunt. Nec enim inſolens, ut qvem alii fratrem τὸν δεῖνα faciunt, alii patrem appellent. Fortaſſis igitur Phœnicis alicujus hiſtoriam latere qvis auguretur in illo de ave commento.

§.212. Habet hæc ſuſpicio ſpeciem qvalemcunqve veri. Sed ut ei credatur, docendum non modò fuerit, cauſam fuiſſe Ægyptiis, cur, ut de Oſiridis ſui, ſic etiam de Phœnicis v. g. Agenoridæ alteriusve hiſtoriâ fabulis involvendâ cogitarent; ſed etiam proferenda Phœnicis viri cum phœnice ave ſimilitudo, eaq; juſta ſuisq; numeris abſoluta. Qvod nemo tentavit hactenus. Ne repertus qvidem, qvi, ut Halcyonem in avem, & Atlantem in montem ſui nominis converſos referunt fabulæ, ſic tale qvid etiam de Phœnice proderet literis.

§.213. Hoc tantùm è Varino f. 1839. Lexici diſcimus, Phœnicem illum, qvi Amyntoris filius fuit, à patre, cùm pellici ejus ſe miſcuiſſet, exoculatum, Pelei precibus à Chirone viſui reſtitutum fingi, ut ſignificaretur, diris paternis improlem effectum, (ſolemus enim filios vocare oculos noſtros,) cùm ad Peleum fugiſſet, ab hoc Achillem filium, qvem hactenus Chiron educaverat, in diſciplinam accepiſſe, ad inſtar proprii filii educandum. Sed qvid hoc ad fabulam de Phœnice ave?

§. 214.

§. 214. Concluſio *qvinta:* Ægyptii noluerunt phœnicem eſſe tale hieroglyphicon, cujus accommodatio eſſet inepta. Non enim hoc permittit in aliis hieroglyphicis ipſorum perſpecta ſolertia.

§. 215. Relinqvatur ergò autori ſuo, qvisqvis ille eſt, frigidiſſima hominis invidi cum Phœnice collatio, qvæ legitur ſerm. 18. ad fratres in Eremo, (inter opera Auguſtini Tom. X. f. 1308.) *Attendite, qvòd ille invidus eſt, qvi alienum bonum ſuum facit, & ſi facere non poteſt, clamat per vicos & plateas, & velut canis latrat & ardet: ſed primò ſe ipſum more phœnicis occidit. Qvid enim agit phœnix, niſi dum ſeneſcit ad partes calidiſſimas volati, ligna ſicciſſima congregat, & lignis congregatis alis ligna* e) *percutit, & ſic ignem accendit, & in eodem ſe comburi permittit? Ex qvibus cineribus vermiculus naſcitur, & poſtmodùm phœnix alia efficitur. Sic & hypocrita facit, ſic & invidus agit cunctis diebus vitæ ſuæ, intus & extra ſe ipſum comburens, ſe ipſum primò infeſtans, primò ſe ipſum vulnerans & vexans.*

e) Barthius p. 990. ad Clandian. ſcribere jubet, ilia. Qvem hìc non ſeqvor. Nam vulgata lectio nec tàm inepta eſt, ut putat vir doctiſſimus, cùm & in culinis ligna ſoleant flabello velut percuti, ut flammam citiùs concipiant; nec, ſi eſſet inepta, illo ſcriptore indigna cenſeri mereretur.

§. 216. Nihil poterat ineptius ſcribi, aut à fabulâ phœnicis alienius, qvi ſe vel vulnerat, vel comburit, ut novam vitam ordiatur, hoc enim ab illâ morte ſeparari non debet, cauteq; in applicationibus non ineptis obſervatur, in invidum autem nullo modo qvadrat.

§. 217. Vel hic ergò ſolus locus, in qvo nihil reperias Auguſtini acumine dignum, ſuppoſititium fœtum prodat, reclamantibus fruſtrà Majolo Colloq. 6. p. 203. &, qvanqvam trepidè, Cordovâ c. 7. p. 81. dum locum hunc de Phœnice deſcribunt. Qvorum profectò ficulnea ratio eſt, ut Auguſtino illud opus conſervent, hoc urgentium, qvia citetur ibi Concilium Aqvisgranenſe A. 830. ſub Ludovico Pio habitum.

§. 218. Concluſio *ſexta:* Ægyptiorum primaria intentio non fuit, ut Phœnix eſſet hieroglyphicum tale, cujus accommodatio foret inadæqvata. Qvoniam enim totam avem, qvanta qvanta eſt, ſunt commenti, conſentaneum eſt, in ejus ideâ nihil ipſos poſuiſſe, qvod foret ſupervacaneum. Unde ſeqvitur, qvod primariâ intentione ſignifica-

gnificari vellent, ab eo partes ideæ omnes exhauriri. Atqve hoc notam fecimus accommodationis adæqvatæ §. 190.

§. 219. Non fruſtrà dixi, *primariâ* intentione. De hâc enim formabatur qvæſtio §. 166. Voco autem intentionem primariam, qvæ inventum fabulæ anteceſſit, ſicuti ſecundariam, qvæ ſecuta eſt fabulam jam excogitatam, aut conſilium ſaltem excogitandæ præcipuum.

§. 220. Secundariam intentionem hoc ipſo, qvia ſecundaria eſt, ad inadæqvatos typos porrigi nihil vetat, ſed iidem nobis de primariâ tantùm intentione ſolicitis excludendi nunc veniunt. Nam ut maximè nobis offerantur tales, qvi nec Ethnicorum ingenia ſuperent, nec laborent ineptiâ, tamen, nî ſint ſimul adæqvati, ſecundariam intentionem egredi non judicabuntur. Videamus eos ſuo ordine.

§. 221. *Primò* paſſim obvia eſt phœnicis tanqvam ſymboli ad rem unicam aut oppidò raram atqve miram accommodatio. Notum illud Græcorum proverbium: Φοίνικος σπανιώτερος, de qvo Eraſmus Chil. II. Cent. 7. n. 10. f. 428. & Andr. Schottus prov. metr. n. 409. p. 602. Senecæ epiſt. 42. vir bonus primæ notæ, *tanqvam phœnix ſemel anno qvingenteſimo naſcitur.* Syneſius Dione f. m. 26. *Rarius eſt talium animarum genus,* (loqvitur de iis, qvi intrà ſe beati ſunt,) *qvàm phœnicis, qvo temporum circuitûs metiuntur Ægyptii.* Notum inuſitatæ viros eruditionis *Phœnicis* cognomine honeſtari *f*), qvod Johanni Pico Mirandulano *g*), Thomæ Linacro *h*), Philippo Melanchthoni *i*), Joanni Critonio *k*), Joanni Caſelio *l*), aliis *m*) contigit. Nec alio qvàm raræ virtutis reſpectu Petrarcha Laurum ſuam ſæpè phœnicem appellat *n*).

f) Pier. XX. Hierogl. 1. p. 239. & Anonymus illi additus lib. VI. p. 241.

g) à Politiano præf. miſcell. & lib. VI. epiſt. 8. p. 228. 229. apud Jovium item in ejus Elogio, & Conſt. Landum p. 16. numiſm.

h) Hic Pitſéo p. 699. de ſcriptorib. Angliæ vocatur *Medicorum planè phœnix.* Et p. ſeq. *Londini diem ſuum obiit die 20. Octobris anno poſt C. N. 1524. & in æde Cathedrali D. Paulo ſacrâ ad Septentrionalem portam ſepulturam accepit, qva usq; hodiè viſitur multis voluminibus & Phœnicis avis imagine decorata.* Pòſt: *Aliqvantò altiùs tumba cum Phœnice & inſcriptione:* Vivit poſt funera virtus.

i) Hic in iconibus Boiſſardi à Lonicero continuatis cum vitis part. III. p. 44. audit *Phœnix Germaniæ.* Adde Franz. Hiſt. anim. 3. p. 348.

k) apud Joann. Imperial. Muſe. p. 141. 143.

l) Hic

l) Hic *Saxoniæ adeoq; Germaniæ noſtræ Phœnix* vocatur in epitaphio, qvod leges in vitâ Caſelii operibus ejus ab Hornejo editis præmiſsâ.

m) *Bezam* qvoqve phœnicem appellatum perhibet Magir. eponymol. p. 41. & *Salmaſium* Dauderſtadius Diſp. de Phœnice A. 3.

n) apud Aldrovandum XII. Ornithol. 28. f. 409.

§. 222. Palingenius qvoqve lib. V. Zodiaci ſui ſolidè felicem hominem, qvia vel nullus ſit, vel perqvam rarus, cum Phœnice contendit ita canens:

v. 328. *Credo eqvidem nullum talem reperies usqvam,*
Aut perqvam rarum, cui nil optabile deſit,
Cui nil triſte unqvam toto contingat in ævo,
Qvi felix vivat, felici morte recedat.
Hic Phœnix *ille eſt, qvem fingere Græculus audet.*

Et v. 339. *Eſt igitur* felix *ut* Phœnix *rarus.*

Ubi vides commendari hoc ſymbolum etiam utriusqve vocabuli paronomaſiâ.

§. 223. Deniqve Petrus Thomaſius Ravennas ſuum *de memoriâ libellum* Phœnicem *inſcripſit, ut ſicut unica ea avis in mundo reperiri dicitur, ſic ſe memoriâ unicum fuiſſe ſignificaret*, referente Panzirol. II. de clar. leg. interp. 138. p. 313. Et profectò prodigioſa planè ac ſine exemplo ſunt, qvæ ipſe in eo ſcripto ſpecimina profitetur memoriæ ſuæ: ut meritò naturæ miraculum, qvod Panzirol. p. 312. teſtatur, exiſtimatus, vulgoq; Petrus à memoriâ ſit appellatus. Libelli verò Coloniæ A. 1508. inter aurea ejus, ut titulus habet, opuſcula impreſſi verba initialia hæc ſunt: *Et cùm una ſit Fenix, & unus ſit iſte libellus, libello, ſi placet, Fenicis nomen imponatis.*

§. 224. Eqvidem Phœnicis ad rem raram atqve unicam applicatio minimè videtur inepta, cùm ſingularitas hæc atqve unitas in ideâ hujus avis per nos qvoqve primum locum occupet §. 8. ſiq; credimus Iſidoro XII. Orig. 7. etiam nomen Phœnici ex arabicâ lingvâ fecerit: ſed qvia ex qvinqve partibus ideæ non niſi primam uſurpat, vehementer inadæqvata, eamq; ob cauſam ad Ægyptiorum intentionem primariam minimè trahenda.

§. 225. Idem eſto judicium *ſecundò* de accommodatione Phœnicis ad chymicorum tincturam auream. Nec enim aſſentior Mich. Majero, cui lib. I. ſymbolorum aureæ menſæ p. 30. *tàm certum, qvàm*

qvod certiſſimum eſt, Ægyptios per avem phœnicem intellexiſſe tincturam auream, ſi hoc ad primariam Ægyptiorum intentionem, ut apparet, retulit.

§. 226. Nam de ſecundariâ non magnoperè pugnabimus, cùm conſentiant eruditi, artis Chymicæ haud imperitos fuiſſe veteres Ægyptios. Qvanqvam præſtat fortaſſe hâc de re deliberare ulterius, ſi vera ſunt, qvæ ſcribit Kircherus Tom. II. Oedip. Part. II. Claſſ. X. c. 7. calluiſſe qvidem Ægyptios artem auriferam f. 425. ſed non intendiſſe lapidem philoſophorum conficere, f. 426.

§. 227. A Majeri opinione non alienus videtur Jo. Petrus Lotichius lib. II. Comment in Petron. c. 13. ubi non modò p. 278. memorat, à fabulà Phœnicis Chymicos cauſæ ſuæ patrocinium accerſere, ſed & p. ſeq. Majeri ſymbola aureæ menſæ eruditiſſimùm vocat de fabulis ad Chymiam pertinentibus tractatum.

§. 228. Etiam autor occulti nominis L R. H. perbrevi libello ſuo Hamburgi A. 1638. in 12o. impreſſo, titulum fecit: Philoſophiſcher Phœnix, das iſt/ Sonnenklare Entdeckung des alleredelſten Steins der Weiſen. Idemq; alias qvasdam Gentilium Poetarum fabulas chymico ſenſu, qvod Majerus ante ipſum fecerat, exponit.

§. 229. An huc etiam faciat, qvod apud Aldrovandum lego XII. Ornithol. 28. f. 404. *Alchymiſtis phœnix elixirem ſignificat. Nam Phœnix, Baſiliſcus, Glaura, Mandragora, Chamæleon, Homunculus & ſimilia barbara vocabula ſunt ſynonyma, ut Leo Svavius* (Scholiis in Paracelſum) *annotat*: dicant Chymiæ periti. Nos ad Majerum revertamur.

§. 230. Nititur ille falsâ hypotheſi, qvam d. l. his prodit verbis: *pleraqve antiqvorum fabuloſa de Diis, Deabus, Heroibus, animalibus, feſtis, ludis & inſtitutis ſcripta & cantata Chymiæ occultiſſimæ eſſe velamenta.* Qvâ de re p. ſeq. 31. videri jubet Hieroglyphica ſua Ægyptio-Græca, (in qvibus tamen phœnicem avem fruſtrà ſumus ancupati,) eâ intentione & fine ſcripta, ut artis Chymicæ veritas in allegoriis latens apertiſſimè demonſtretur.

§. 231. Volverunt hoc idem ſaxum præter Majerum etiam Caſtelnovidarienſis Faber, & Keslerus, ut è Barrichio p. 91. de ortu & progreſſ. Chem. intelligo. Kircheri qvoqve ſententia eſt, auriferam artem, (qvàm è §. 226. interpretare Chemiam Philoſophici lapidis neſciam,)

am,) à Triſmegiſto ſymbolis hieroglyphicis exhibitam fuiſſe. Ipſum adi Tom. II. Oedipi Part. alt. Claſſ. 7. c. 2. & ſeqq. f. 393.

§. 232. Nobis ita videtur: Si maximè concedamus, non penitus nihil arcanorum chymicorum fuiſſe fabulis veterum qvibusdam obtectum: tamen hæc myſteria velle tantùm non in omnibus figmentis, & qvidem veluti primo comminiſcentium conſilio illuc repoſita, venari, ejusdem audaciæ eſt, atqve ſi qvis cum Joanne Georgio Hervvarto contendat, qvod ipſe in libro de admirandis Ethnicæ Theologiæ myſteriis fecit, artem, qvâ navigationes magneticæ per univerſum orbem inſtituerentur, à veteribus ſacerdotibus Ægyptiis ſub Deorum Dearumq; & aliarum fabularum cortice ſummo ſtudio fuiſſe occultatam: in qvo eum haud immeritò reprehendit Kircherus Tom. III. Oed. c. 4. f. 255.

§. 233. Qvemadmodùm ergò Voſſio c. 9. de Philoſophiâ §. 8. p. 70. minimè ſatisfacit commentum illud, qvo Suidas, Phavorinus, atqve è recentioribus Picus Mirandula, & Lilius Gyraldus fabulam de vellere aureo ad χρυσοποιΐαν referunt, cùm alia longè figmento ſubſit cauſa, (conf. Conring. c. 3. de Hermet. Medic. p 24. 25.) ita nobis illud qvoqve Phœnicis interpretamentum Chymicum liceat abdicare.

§. 234. Sed ne inauditus condemnetur Majerus, jubeamus ipſum priùs cauſam ſuam dicere. Eqvidem Phœnicem ille ſecreti Chymici hieroglyphicum facit non modò lib. I. ſymb. aureæ menſæ p. 30. ſed & lib. IV. p. 151. lib. V. p. 197. lib. XII. p. 562. & 598. nullibi tamen, qvod videre nobis contigerit, argumenta ſpecioſiora congerit, qvàm in Septimanâ philoſophicâ die 5. p. 174.

§. 235. Sic autem ibi legimus: *Phœnicem antiqvi Philoſophi finxerunt avem Arabiæ vel Ægypti, eâdem intentione, qvâ vellus aureum, poma Heſperidum, & ejusmodi alia, nil niſi tincturam philoſophicam denotantia, introduxerunt, qvod patet ex rei cujusqve circumſtantiis, nempe ipſius tincturæ ac Phœnicis. Tinctura eſt Phœnicei ſeu Tyrii coloris, ſitq; ex ſubjecto combuſto & in cineres redacto; qvi cineres Soli ſunt ſacri tam cœleſti, qvàm terreſtri, propter latentem in iis fœtum Solarem, & vitam recipiunt, imò & multiplicationem in modum propagationis, atqve ita nunqvam extingvuntur, ſed ut ignis per fomites ſuos in immenſum augentur. Ægypto hæc peculiaris fuit Hermete inventore, & à Sacerdotibus*

& Regibus conſciis ſilentio perpetuo involuta, & non niſi per fabulas de Diis, Deabus, Heroibus, & literas hieroglyphicas, animalium figuras, inter qvas & avis phœnix ſeſe comburens viſa fuit, depicta & deſcripta. Cumq; has non niſi ſapientiſſimi indagandas ſibi ſumpſerint, hinc tinctura omninò aliis ignota manſit. Phœnicis hæ ſunt notæ o) *: Unum in toto orbe habet Arabia, Aqvilæ magnitudine, auri fulgore circà collum, cætera purpureum, caudâ cærulea, roſeis pennis diſtinctâ, facie criſtis ornatâ. Sacer eſt Soli. Vivit annos 660. Seneſcens caſiâ thurisq; ſurculis conſtruit nidum, qvem odoribus replet, & ſuper emoritur. Ex oſſibus deinde & medullis naſcitur vermiculus: inde fit pullus, qvi priori funeri juſta reddens totum nidum defert in urbem qvandam Panchaiæ, Soli ſacram, ibiq; in arâ deponit. Hæc eſſe allegorica, & tincturæ jam dictæ parallela ſatis apparet.*

o) Plinianis ferè verbis è lib. X. c. 2. deſcriptæ ſunt hæ notæ.

§. 236. Si ſuperfluis omiſſis excerpimus ea tantùm, qvæ ad rem faciunt, apparebit Majerum phœnici lapidem philoſophorum qvadrifariam comparaviſſe. Nam (1.) uterqve purpurei coloris eſt; (2.) uterqve Soli ſacer; (3.) utriqve combuſtio qvædam intervenit: (4.) uterqve è cineribus reviviſcit: qvanqvam Phœnicem ubi depingit, nulla combuſtionis, ſola mortis in genere mentio: nimirum, ut lit. o. monebamus, Plinii verba ſeqvitur, apud qvem ea legi, qvæ accommodatiora ſint Ægyptiorum doctrinæ, qvàm Græcorum, intelligere potuiſti è §. 29. ſuprà. Alibi tamen (p. 598. ſymb. aur. menſ.) defectum hunc ſupplet Majerus, Pliniana verba ſic interpolans: *caſiâ thurisq; ſurculis conſtruit nidum, qvem odoribus replet, conqvaſſatisq; ad Solis radios alis flammam excitat, qvâ comburitur in cinerem.*

§. 237. Qvi parum æqvi ſunt Chymicis, qvintum fortaſſe comparationis membrum deſiderabunt, neqve minùs aureæ tincturæ, qvàm phœnici locum inter entia rationis deberi ajent. Sed tranſeant joci. Nos hoc Majero, ne qvidem ſi ſeria res agatur, non opponemus. Neqve verò de re, ſed de gentis Ægyptiæ opinione lis eſt. Itaqve per hos vera & phœnici congrua ſint omnia, qvæ voluit vir doctus.

§. 238. Verùm qvò minùs credamus ad auream tincturam Sacerdotes Ægyptios reſpexiſſe, cùm Phœnicem comminiſcerentur, ea

nos

nos primùm ratio movet, qvòd Phœnix ille, qvi è cineribus corporis ſui combuſti naſcitur, non Ægyptius eſt, ſed Græcus, per §. 11. & ſeqq.

§. 239. Deinde ſi qvis pro combuſtione, ut cauſam Majeri adjuvet, mortem in genere ſubſtituat: vel hæc ſola nobis ratio, ut ipſum nos deſeramus, ſufficiet, qvòd ejus accommodatio eſt inadæqvata. Qvinqve partibus primariis ideam phœnicis conſtare ſæpiùs dictum eſt. Ex his duæ tantùm comparent: (ſecundariæ nullo nobis numero ſunt,) mors & renovatio. Ubi tres reliqvæ? ubi unitas individui? ubi anni longævi? ubi juges circuli?

§. 240. *Tertio* loco nunc prodeant illa phœnicis ſymbola, qvæ demonſtrantur nobis in hieroglyphicis *Hori*, qvem ſcriptorem & absqve aſpiratione *Orum* appellari videas, interdum & *Horapollinem*. Agit autem de Phœnice non qvidem cap. 3. libri I. (uti perperam putavit Eraſmus, ſuprà §. 157.) ſed aliis capitibus tribus, qvæ qvia brevia ſunt, & notas hîc noſtras merentur, adſcribemus integra, prout à Joanne Mercero latinè ſunt tranſlata.

§. 241. Lib. I. c. 34. *Animam, qvæ diutiſſimè in hâc vitâ moram traxerit, aut etiam inundationem commonſtrare volentes, Phœnicem avem pingunt.* Animam *qvidem* p), *qvòd omnium, qvæ toto orbe ſunt, animantium, hoc maximè diuturnæ vitæ eſt.* Inundationem *verò, qvòd velut* q) *ſignum* r) Solis *ſit Phœnix, qvo nihil in orbe majus, cùm omnia ſubeat, omnes ſcrutetur & diſqvirat: atqve adeò* πολὺς *h. e. multus* s) *vocitari ſolet.*

p) ſubaudi vivacem.

q) abeſt hæc vox à græco.

r) σύμβολον.

s) Seqvitur hîc in græco lacunula, unde ſuſpicatur Hœſchelius iu nobis p. 186. legendum fortè, πολυόφθαλμος.

§. 242. Cap. 35. *Qvin & eum innuentes, qvi* longo tempore peregrinatus *tandem in ſolum natale remeet, rurſum phœnicem avem pingunt. Hæc enim in Ægyptum, cùm tempus mortis inſtat, qvingenteſimo demùm anno regreditur: ubi ſi naturæ debitum perſolverit, magna ſolennitate ac ritu funeratur. Qvæcunqve enim in cæteris ſacris animantibus religioſè obſervant Ægyptii, ea & Phœnici tribui debent. Fertur ſiqvidem Sole magis apud Ægyptios* t) *gaudere, qvàm apud cæteras gentes;*

ideoq; Nilum *ipſis ex hujus Dei calore* inundare, *cujus rei paulò antè* u) *à nobis ratio reddita eſt.*

t) λέγεται --- ὑπ' Αἰγυπτίων. Mercerus hîc in notis p. 153. 154. mavult ἐπ' Αἰγυπτίων. Hœſchelius p. 186. τοὺς Αἰγυπτίους, vel (qvod & Cauſsino placet p. 24. de ſymb. Ægypt. ſap.) λέγουσι --- οἱ Αἰγύπτιοι. Qvam lectionem ſeqvuntur & Pierius atqve Aldrovandus infrà §. 258. & 278. citandi.

u) Putet aliqvis ad caput præcedens hîc reſpici: ſed verius remitti nos ab Horo ad c. 21. Vide qvæ §. 253. & 263. monebimus.

§. 243. Lib. II. c. 57. Inſtaurationem *autem* diuturnam, *& qvæ poſt multa fit ſecula* x) *volentes indicare phœnicem avem pingunt. Hic enim dum naſcitur, rerum viciſſitudo fit, & innovatio* y). *Gignitur autem hunc in modum: Jamjam* z) *moriturus phœnix in terram ſeſe ſummo impetu projicit, unde & vulnus accipit. Ex ſanie verò* a) *defluente alius gignitur, qvi ſimul ac pennæ ei natæ ſunt, cum patre Heliopolim, qvæ in Ægypto eſt, proficiſcitur: qvò cum pervenerit, pater illuc, ſimul ac Sol ortus eſt, moritur, poſt cujus mortem pullus in propriam redit patriam. At phœnicem hunc defunctum Ægyptii Sacerdotes ſepulturæ mandant.*

x) ἀποκατάστασιν πολυχρόνιον.

y) ἀποκατάστασις πραγμάτων.

z) rectiùs hæc vox omittetur, qvæ nec in græco eſt, ὅταν μέλλῃ τελευτᾶν, nec ſeqventibus ſatis congruit.

a) Vulneris.

§. 244. Qvinqve rerum igitur hieroglyphicon phœnicem facit Horus: (1.) animæ hoc in corpore vivacis; (2.) inundationis; (3.) Solis, lib. I. c. 34. (4.) hominis à diuturnâ peregrinatione in patriam reverſi, c. 35. (5.) renovationis poſt multa tempora factæ, lib. II. c. 57.

§. 245. Incipiamus ab eo, qvod & generale eſt, & planiſſimæ interpretationis, qvaſiq; clavem in reliqva pollicetur nobis. Id verò eſt, qvod ultimo proferebatur loco, ἀποκατάστασις πολυχρόνιος. Ἀποκαταστάσεως vocem per dicenda §. 279. inprimis accommodant Græci ad revolutiones planetarum, poſt juſtas annorum periodos in priſtinam ſedem redeuntium. Hic rei cujuslibet inſtauratio vocatur ἀποκατάστασις, eademq;, ſi poſt intermiſſionem diuturnam contingat, πολυχρόνιος.

§. 246.

§. 246. Ergò Pierius Valerianus XX. Hierogl.1. & Aldrovandus XII. Ornithol. 28. f. 409. ut exemplis rem declarent, Ægyptios ajunt, cùm longâ qvid annorum ſerie intermiſſum & antiqvatū eſſet, ut ludi, ſacra, ceremoniæ, ſupplicationes, mores ritúsve aliqvi, triumphorum ſplendores, vel qvid hujusmodi, eandemq; poſtmodùm inſtaurari contigiſſet, phœnicem in hujus rei ſignificatum ſculpere conſveviſſe.

§. 247. Cauſam ſatis apertè eloqvitur ipſe Horus. *Nam cùm phœnix naſcitur, rerum ſit ἀποκατάστασις.* Renaſci eum qvippe volunt poſt certas ſeculorum periodos, per qvas diu deſita redire creduntur in circulum. Qvamobrem ſymbolum eſſe phœnix poteſt non modò renovationis hujusmodi, ſed & ipſius ita renovatæ rei.

§. 248. Nunc ex unius hieroglyphici expoſitione interpretemur qvatuor cætera. Nullum enim eſt horum, qvod non accommodet phœnicem ad rem aliqvam poſt ſpacium temporis haud breve renaſcentem.

§. 249. Ita certè vir, qvod *qvartum* erat alioqvi, poſt *peregrinationem diuturnam reverſus in patriam,* renaſci videtur ſuis. Minùs accuratè hìc Pierius & Aldrovandus pro viro poſt abſentiam diuturnam redeunte ipſam diuturnam abſentiam antitypon faciunt phœnicis.

§. 250. Sed iidem non ineptè ex hoc hieroglyphico qvarto gradum moliuntur ad *primum*, qvo phœnix fit ſymbolum *animæ diu hàc in vitâ moram trahentis.* Similis enim talis anima iſti viro, cùm animæ in hoc mortali corpore commoratio ſpeciem habeat exilii à cœleſti patriâ, non ſecundum Chriſtianos modò, ſed gentiles qvoqve Philoſophos, qvanqvam hi veritatem hanc uno alteróve Diaboli mendacio corruperunt, qvod hìc declarare non eſt neceſſe.

§. 251. Videmur autem, ut hæc hieroglyphicorum textura prodeat concinnior, animam diu exulem, ſeu hoc in corpore vivacem ſic interpretari debere, ut ſenſus ſit, eam ſub effigie phœnicis repræſentari, qvatenus ab exilio diuturno remigrat in patriam atqve priſtinum ſtatum. Sic veteres Chriſtiani per §. 199. phœnicem faciebant typum reſurrectionis, qvæ veriſſima noſtra eſt ab exilio in veram patriam ingreſſio ac renovatio.

§. 252.

§. 252. Juxtà hæc *ſecundi* qvoqve hieroglyphici, qvod in textu §. 241. è capite Hori 34. connecti primo vides facillima nobis eſt expoſitio, in qvâ aliàs & perobſcurus eſt, nec ſibi conſtat ſatis Horus, (niſi has culpas interpres fortè græcus, vel librarius ſuſtineat magis,) certè ſudare non parum videtur, & nec in antitypum ſatis, nec in ſimilitudinis cauſam ſe penetraviſſe.

§. 253. Antitypus eſt *inundatio*. Interrogo qvæ? Nihil hîc loco dicto apertè definit Horus. Sed qvia cap. ſeq. (ſuprà §. 242.) *inundantis Nili* mentio eſt apud ipſum, putet aliqvis, ad explicationem capitis præſentis trahi hoc non ineptè poſſe: qvâ in ſententiâ fuiſſe Aldrovandum, & Pierium, mox patebit §. 256. & 263. Eqvidem inundationem Nili non nego in earum eſſe rerum numero, qvæ renovantur ſtatis temporibus, atqve ἀποκατάστασιν habent: ſed eam habet profectò minimè πολυχρόνιον, cùm conſtet, qvotannis Leonem tranſeunte Sole, Nilum exundare.

§. 254. Qvamobrem illa capitis 34. rectiùs, opinor, ad inundationem talem pertinere dicemus, qvâ certis aliqvot ſeculorum periodis, ſi non univerſus orbis, ejus tamen bona pars involvatur. Qvo pacto ſimul ratio nobis, eaq; planiſſima reddita eſt, cur imagine phœnicis diluvium ejusmodi pingatur: nimirum qvia & illud habet ἀποκατάστασιν πολυχρόνιον.

§. 255. Aliter hîc Horus, ſed neſcio qvàm benè. Cauſam, cur inundatio Phœnice deſignetur, hanc reddit, (iterum ſuprà §. 241.) *qvia ſymbolum Solis ſit phœnix, qvo nihil in orbe majus*, (mallem *copioſius, uberius, abundantius*, in græco eſt πλεῖον,) *cùm omnia ſubeat, omnes ſcrutetur & diſqvirat: atqve adeò* πολὺς, *h. e. multus vocitari ſolet*. Hoc videtur velle: Phœnix imago Solis eſt: Solem autem cùm radios undiqvaqve ſpargit, exundare dixeris: Ergò & exundationis imago Phœnix. Satis coacta interpretatio. Ac movit hoc Maſium fortaſſe, ut in Horapollinis breviario ſuo VI. imag. 6. p. m. 561. hieroglyphicon hoc planè omitteret.

§. 256. Non omittit Aldrovandus, neqve Solem hîc præterit, ſed cauſæ tamen texturam cæteram, è capite Hori ſeqvente 35. ubi exundationis Niliacæ mentio, mutuatur: non facturus uti reor, ſi placuiſſent ea, qvæ de multitudine ſeu exundantiâ Solis ſive Horus c. 34. ſive ex Horo alii diſſerunt. Sic autem loqvitur lib. XII. Ornithol. f. 409.

Cùm

Cùm Ægyptii ſapientes per phœnicem Solem intelligerent, & Sole maximè fervente Nilus exundaret, *identidem per Phœnicem* Nili inundationem *ſignificabant*. Vides ſimul, Aldrovandum hæc interpretari, non, uti nos, de diluvio πολυχρονίῳ, ſed de anniverſariâ Nili exundatione, qvanqvam in ſeqventibus *exundationis* vocabulum tàm latè extendit, ut qvicqvid eſt metaphoricarum etiam exundationum, (qvod qvidem nobis minùs etiam arridet,) comprehendatur.

§. 257. Sic enim pergit: *Sed non ſimplex erat apud illos* exundationis *vocabulum. Nam exundare* præſtare & excellere *etiam dicebant, ut ſi qvis in egregiâ qvadam vel animi vel corporis dote clarus eſſet, hunc* exundare *dicerent. Et nobis qvoqve uſitatum eſt, viros doctrinâ vel aliâ qvavis virtute raros Phœnices vocare.*

§. 258. Non dubito Aldrovandum hæc omnia è Pierio, qvi prior ſcripſit, hauſiſſe, præſertim qvi verbis utatur iisdem prope, qvanqvam præcedentia Pierii malè transfert in aliam qvæſtionem, uti videbimus §. 278. Sic autem Pierius XX. hierogl. 4. p. 239. *Ægyptii cùm Sole magis qvàm reliqvi homines gaudeant, ejusq; beneficio perfruantur,* (qvi) *qvo maximè fervet tempore, provinciis reliqvis qvantumlibet remotis & in ſeptentrionem declinantibus gravis, Ægyptiis Solis eſt commodus,* Nilo *tunc ſcilicet* exundante; *cùm verò per phœnicem Solem intelligerent, per eundem* exundationem *identidem ſignificabant.*

§. 259. Subdit ſtatim: *Neqve tamen ſimplex erat apud eos* exundationis *vocabulum, ſed id* præſtare *etiam &* excellere *indicabat, atqve uti cujusqvam eſſet in aliqvâ vel ingenii, vel corporis vel opum dote claritas, ita cum* exundare *dicebant. Nos qvoqve rariſſimos doctrinâ virtuteq; viros, qvi longè reliqvos antecedunt, phœnices appellare conſvevimus.*

§. 260. Putes hoc egiſſe Pierium, ut à Phœnice per Solem ad exundationem Niliacam, ab hâc ad cujusqve generis metaphoricam perveniremus hâc viâ: Phœnix imago eſt Solis: Sole maximè fervente exundat Nilus: Ergò & Niliacæ exundationis ſymbolum Phœnix: imò & metaphoricæ; qvia propriè dicta exundatio figurat metaphoricam. Atqve in his omnibus Pierium ſecutus eſt Aldrovandus.

§. 261. Non item in eo, qvòd Metaphoricam hanc inundationem Pierius cap. præcedente ipſi qvoqve Soli accommodat, radios undiqvaqve ſpargenti, atqve hinc lucem qværit illis, qvæ Horus c. 34.

S dixe-

Digitized by Google

dixerat de multitudine Solis, qvi πολὺς inde ſit appellatus. Sic enim ait: *Phœnix — ſimulacrum Solis ab Ægyptiis ferebatur, cui, qvod ſolus ſit, a raritate nomen: qvo qvidem nihil admirabile magis intuemur, dum lumen ille ſuum longè late per ima etiam penetralia exiguo qvovis aditu* veluti ſupremâ qvadam inundatione *diffundit, eâq; de causâ πολὺς cognominabatur, id enim eſt apud Philippum* [Hori ex Ægyptio ſermone interpretem Græcum,] *Ægyptii vocabuli ſignificatum voce græcanicâ inductum, à multarum ſcil. dotium opulentiâ, magnitudinéve, qvia* [legerim, qvâ] *omnia ſibi collata latiſſimè ſuperat & excellit.* Tale nihil eſt apud Aldrovandum.

§. 262. Tria ſunt, qvæ ex Pierio adduximus hucusqve. Putat enim ille, Phœnicem Ægyptiis fuiſſe ſymbolum exundationis (1.) Niliacæ, §. 258. ac præterea (2.) metaphoricæ §. 259. qvalis (3.) & in lumine Solari deprehenſa fecerit, ut Sol πολὺς cognominaretur §. 261. Examinemus ſingula.

§. 263. Ut *primò* ſtatueret, exundationem *Nili* huc afferendam, vix dubium, qvin motus eâ ratione fuerit, qvia credidit, caput Hori 35. ubi de Nilo, inſervire expoſitioni capitis præcedentis, ubi de exundatione. Atqvi Horus cùm cap. 34. phœnicem dicit eſſe ſignum exundationis, Nilum tacet: cùm c. ſeq. Nili exundantis mentionem injicit, hoc diluvium Phœnice ſignificari non prodit. Cæterùm qvòd de Nilo agens lectorem ad præcedentia remittit (verba ejus repete è §. 242. lit. u.) non de alio capite exaudiendum eſt, qvàm 21. ubi docuerat ideò Nili inundationem picturâ Leonis exprimi, *qvia cùm Sol Leonem ſubit, ampliorem Nili facit inundationem.*

§. 264. Tria Niliacæ exundationis ibi ſimulacra memorat, *Leonem, tres magnas hydrias, Cœlum ac terram aqvæ copiam ſcaturientes.* Si ſciviſſet, apud Ægyptios in his locum & Phœnici eſſe, non eum tacuiſſet. Sinamus ergò qvidem hanc avem eſſe ſymbolum diluvii, ſed rarioris & plusqvam Niliaci: niſi forte doceri qveat, Leonem illum, qvi eſt in Zodiaco, ab Aſtronomorum aliqvo fuiſſe transformatum in Phœnicem; aut Phœnicis nomine aliud neſcio ubi in cœlo aſtrum eſſe, qvod Sol ſubiens Nilum ad novas eruptiones ſtimulet.

§. 265. Qvòd ſi maximè placeat, qvæ de inundante Nilo c. 35. ſcribit Horus, accommodare ad qvæſtionem cap. 34. paulò aliter expedienda ratio fuerit, nempe hunc in ſenſum: Qvemadmodum Nili exun-

exundationem annuam Sol efficit, cùm in anniverſario itinere Leonem Zodiaci peragrat: ſic alterius qvoqve inundationis, qvam §. 254. certis ſeculorum intervallis magnæ orbis parti diximus impendere, cauſa in certam Solis periodum, (confer, qvæ Diſſert. V. §. 29. citavimus è Plinio,) referenda. Solis autem imago Phœnix: Ergò & inundationis illius plusqvam Niliacæ.

§. 266. Satis de primo. *Alterum* erat, qvòd *exundationem metaphoricam*, h. e. variorum ingenii, corporis, fortunæ bonorum *excellentiam* ſimul cum illâ *propriè dictâ*, qvæ fluminum eſt aut maris, Pierius putat ab Ægyptiis phœnicem pingentibus ſignificatam fuiſſe, ſuprà §. 259. Qvâ qvidem in re ſic verſatur, ut ambigas, an non in pretio majore habuerit metaphoricam vocabuli, qvàm propriam notionem. Certè capitis illius 4. inſcriptio non eſt, EXUNDATIO, ſed, qvod è metaphorâ gignitur, PRÆSTARE. Verùm hoc tranſeat. Ad ſenſum duplicem qvod attinet, viderit ipſe, num poſſit ex Horo proferri ſimile exemplum ullius hieroglyphici, qvod ſignificationi propriæ conjungat metaphoricam. Neqve ulla id ut hic faciamus, impellit neceſſitas.

§. 267. Tametſi verò expoſitioni huic nonnihil coloris allinitur ex eo, qvia viros *excellentes* ſolemus phœnicis honorare titulo: tamen novimus fieri hoc contemplatione non *abundantiæ* ſeu *multitudinis*, qvæ eſt in ipſorum dotibus, ſed *raritatis*, qvæ in ipſorum perſonis: (regredere ad §. 221.) Qvâ ratione longè clariora ſunt omnia & magis expedita, (Heros enim talis ideò Phœnix, qvia rarus ut Phœnix,) qvàm ſi per ambages & anfractûs in viâ Pierii ſic procedas: Phœnix eſt ſymbolum inundationis propriæ; propria metaphoricæ; metaphoricam habes in dotibus viri excellentis: hinc ergò phœnix viri qvoqve talis figura.

§. 268. De *tertio*, qvo Pierius (ſuprà §. 261.) è Solarium radiorum exundatione interpretatur ea, qvæ apud Horum c. 34. leguntur de Sole, qvo nihil ſit majus aut uberius, qviq; hanc ob cauſam πολὺς appellari meruerit, non illi magnoperè abſentiam. Vix enim alium ſenſum habere illa Hori, (aut cujus ea cunqve ſint,) verba commodè poſſunt, qvàm hunc: qvia Sole, ſuos undiqvaqve radios in omnem cœli terræq; angulum effundente, nihil eſt copioſius, meritò πολὺς, h.e. multus vocatur. Reſpice ad §. 255.

§. 269. Sed qvid eſt, qvòd cùm, qvæ apud Horum in hanc rem leguntur, ad phœnicem ita ſpectent, ut cauſam lectori polliceantur, cur avis illa, qvia ſymbolum Solis eſt, ſimul per Solem pictura ſit exundationis, Pierio tamen, qvem apparet interpretari Horum voluiſſe, exigua ſcopi hujus eſt cura, vel nulla potiùs? Qvanqvam enim capitis tertii, è qvo iſta depromſimus, verbis initialibus, (dabimus ea §. 277.) cauſam reddit, cur ſimulacrum Solis habitus ſit Phœnix: tamen horum comparatione præſentia vix alio cenſu haberi poſſunt, qvàm amplificationis, aut digreſſionis, qvâ ratio reddatur, non cur Phœnix aut Solem, aut exundationem (de hâc Pierius ſeqvente demùm capite inqvirit,) ſignificet, ſed cur Sol vocetur πολύς. Qvid ergò inqvam eſt, qvod ſcopum Hori præcipuum adeò neglexit Pierius? An animadvertit, ad eum ſcopum parùm feliciter ab eo perveniri? cùm coacta ſit, qvod §. 255. monebamus, iſta interpretatio. Cur ergò c. ſeq. ipſe non abſtinuit ab interpretatione æqvè, ſi non magis violentâ, ut è §. 267. intelligi poteſt, qvâ cauſam reddere voluit, cur rariſſimi doctrinâ virtuteq; viri phœnices appellentur.

§. 270. Agnovit hieroglyphici præſentis morbum & Cauſſinus: ſed fontem ejus qvæſivit in verſione latinâ. Hanc ergò mutandam cenſuit, qvodq; græcè eſt πλημμύρα, vertendum latinè non, *inundatio*, ſed *multitudo*. Πλημμύραν, inqvit p. 23. de ſymbolic. Ægypt. ſap. *Mercerus hic interpretatur* inundationem, *ex qva certè interpretatione ratio, qvæ affertur ab Oro, inepta limato ſaltem lectori videbitur & ridicula. Nota ex Heſychio πλημμύραν duo ſignificare, ῥῦσιν ὕδατος & πλῆθος. In hoc loco deſignat* multitudinem, *non* inundationem. *Unde manifeſta ratio eſt, cur phœnix πλῆθος ſignificet, qvia Solis hieroglyphicum eſt, qvi πολὺς nominatur. Poſſet qvidem* inundationem *ſignificare, ſed in alium ſenſum torqvenda eſſet hujus ſymboli ratio.*

§. 271. Fateor hoc pacto conſeqventiam in verbis Hori, qvæ plus ſatis, ſi latinam illam verſionem retinemus, vel obſcura vel violenta eſt, planam ac facilem reddi: nondum tamen perſvadeor, ut credam, alio ſenſu πλημμύραν hîc exaudiri oportere, qvàm cap. ſeq. (ſuprà §. 242.) τὸν Νεῖλον πλημμυρεῖν, qvod qvin ſit, Nilum *inundare*, dubitari à nemine poteſt. Altera ſignificatio admodùm eſt inuſitata. Mallem ergò, ſi cum Cauſſino ſit faciendum, ſollicitare textum græcum & πλῆθος reſcribere, qvàm verſionem Merceri latinam.

§. 272.

§. 272. Imò verò ſi omnia circumſpicio, valdè vereor, ne Horum hîc nobis non una vox falſa, qvæ tamen πλημμύρα non ſit, ſed integræ aliqvot lineolæ intruſæ fœdaverint. Cogitanti enim illud, intercedere aliqvam affinitatem vocibus græcis πλημμύρα & πολὺς, venit in mentem ſuſpicari, num fortè Græculus aliqvis vel obſcuro ſcriptoris Ægyptii loco, vel etiam lacunulæ mederi voluerit allito gloſſemate ſuo. Sapit utiqve talis expoſitio cerebrum alicujus Grammatici, ejusq́; ſatis inepti, neqve reputantis, Ægyptiorum ſymbola non eſſe ex apicibus Græcæ lingvæ interpretanda.

§. 273. Nondum ergò nos pœnitet ejus ſententiæ, qvam §. 254. enunciabamus, ideò exundationem (ſpaciis puta longis redeuntem,) phœnice deſignari, qvoniam & ipſa perinde ac phœnix, habeat ἀποκατάστασιν πολυχρόνιον. Ac fortaſſe aliqvid hunc in ſenſum præmiſit Horus, anteqvam de Sole diceret, qvod unà cum ſeqventibus ubi intercidiſſet, occaſionem dedit inepto Critico ſuas nugas inſerendi.

§. 274. Confirmat hanc nobis conjecturam, qvòd videmus alibi qvoqve Horum, cùm Solem, ut hîc, interveniſſe juſſiſſet expoſitioni alterius hieroglyphici, præmiſiſſe cauſam expeditiorem, qvalem hîc in ejus textu nullam habemus. Locus eſt lib. I. c. 6. *Deum cùm volunt ſignificare, — accipitrem pingunt, — tùm qvod fœcundum ſit ac diuturnæ vitæ hoc animal* (habes cauſam expeditiorem,) *tùm etiam qvòd* Solis *præter cæteras volucres ſimulacrum eſſe videatur, utpote peculiari qvadam atqve occultâ naturæ vi intenſiſſimus in ejus radios oculis reſpiciens.*

§. 275. Vides hîc ſimul rationem exponi, cur accipiter Solis ſit ſimulacrum. Putes ergò Horum, etiam ubi de Phœnice agitur, cauſam reddidiſſe, cur ille ſit ſymbolum Solis. Tale qvid nihil hodiè legimus, ſed ejus loco ineptias illas ſuſpectas nobis, qvæ perſvadere conantur, Soli, & per hunc Phœnici eſſe aliqvid cum exundatione commercii. Etiam hîc ergò noſtri Hori defectus qvomodo poſſit expleri, circumſpiciamus.

§. 276. Atqve hoc unum ſupereſt nobis è qvinqve phœnicis, qvæ §. 244. numerabamus, hieroglyphicis *tertium.* Certum enim, Phœnicem eſſe typum etiam *Solis.* Itaqve *Soli ſacrum hoc animal* Plinius lib. X. c. 2. *Solis avem* Claudianus II. de Laud. Stilic. v. 419. *Titanium alitem* idem carm. de Phœnice v. 7. *Phœbo memorandam ſatellitem*

tem Pſeudolactant. eleg. de Phœn. v. 33. vocavére. Nec fruſtrà in templum *Solis*, qvod eſt *Heliopoli*, qvingenteſimo qvoqve anno proficiſci eum tradit Herodotus Euterp. c. 73.

§. 277. Sed cur ſymbolum Solis eſt Phœnix? Tacet, uti dictum, Horus noſter c. 34. Nec alibi qvæſito huic reſpondet. Pierius lib. XX. c. 3. p. 239. ita rem eloqvitur: *Cùm Phœnix unicus omninò eſſe perhibeatur, & pulcritudine volatilium genus omne longo poſt ſe relinqvat intervallo, qvippe qvi ſit aureo circa colla fulgore rubicundus, cætero corpore purpureo, cæruleam caudam roſeis pennis diſtingventibus, criſtis faciem caputq; plumeo apice, ut Plinius diceret, honeſtatus, ſimulacrum Solis ab Ægyptiis ferebatur.* Seqvuntur ilicò ea, qvæ deſcripſi ſuprà §. 261.

§. 278. His ſimilia cùm dediſſet Aldrovandus XII. Ornithol. f. 409. hæc ſubdit: *Alii verò alias rationes adducunt, qvòd ſcil. Ægyptii Sole magis qvàm reliqvi homines & gaudeant, & beneficio ejus perfruantur. Illis enim qvando maximè fervet, qvo tempore reliqvis provinciis remotis & in ſeptentrionem declinantibus gravis eſt, plurimum emolumenti adfert, Nilo ſcil. tunc inundante.* Clarum, ab Aldrovando, qvanqvam neminem nominante, deſcripta hæc eſſe, ſi primum fontem qværas, è Pierio. Sed Pierius non de eo ſolicitus eſt, qvomodo Solis, ſed qvomodo Exundationis imaginem declaret phœnicem. Regredere ad §. 258. (qvi verba Pierii dabit,) & ſeqq. Et verò, ſi ad phœnicem, qvà Solis eſt ſimulacrum, trahere hoc velis, neſcio an fidiculæ qvantumvis exqviſitæ rem ſint perfecturæ.

§. 279. Sunt, qvi rationem, cur Solis ſignum fuerit phœnix, inde expediant, *qvia Sol, præſertim oriens, radios in eam figuram expandat, ut videatur eſſe avis expanſis alis, juxta illud Pſalmi 138. v. 9. Si adſumerem alas auroræ:* referente neſcio unde Dauderſtadio Diſp. de Phœnice c. 4. §. 3. Sed huic fini qvorſum opus erat avem fabuloſam adſciſcere? cum nulla ſit verarum, qvæ non expandat alas volando.

§. 280. Maximè congruum eſt iis, qvæ hucusqve diſputavimus, ideò Phœnicem Ægyptiis fuiſſe typum Solis, qvia Sol qvoqve ſuam habet ἀποκατάστασιν πολυχρόνιον. Eam verò interpretabimur non illam, *qvâ Sol in eandem partem ſigniferi per eosdem numeros redit, per qvos curſûs ſui principium cœperat,* qvæ Columellæ III. de re ruſt. 6. in fin. *dierum* eſt 1461. (hæc enim, qvippe non major qvadriennio, valdè ὀλιγοχρόνιος,) ſed alteram totidem (h. e. 1461.) *annorum*, de

qvâ

qvâ Nicetas I. theſaur. 9. qvamq; Cenſorinus c. 18. de die natali p. m. 93. annum ἡλιακὸν dici teſtatur. Eſtq; hic inprimis memoratu dignum, idem annorum 1461. ſpacium eſſe qvi phœnici qvoqve tribuant apud Tacitum VI. annal. p. 108.

§. 281. Juvat interpretationem noſtram Joannes Gazæus, ſic inter alia ſcribens de phœnice, (cit. Barth. ad Claudian. p. 976.)

Ἠελίου τόδε b) σῆμα, περίδρομον, ὅττι μογήσας
Ἣν χρόνος αὐτογένεθλος ἀποιχομένων λυκαβάντων.

b) ſic legendum putem pro τότε, qvod invenio apud hæc d. l. citantem Barthium, vel τὸ δὲ, qvod apud Bochartum II. Hieroz. f. 821.

Satis enim ſignificat manifeſtè, non aliâ re magis, qvàm annorum περιδρομῇ circulariq; renovatione mereri phœnicem, ut ſignum Solis habeatur.

§. 282. Summa eorum, qvæ dicta ſunt hactenus, eò vergit, ut intelligatur, qvicqvid eſt ſymbolorum phœnicis apud Horum, commodiſſimè fundari in ἀποκαταστάσει πολυχρονίῳ, ſeu renovatione poſt tempus bene longum: qvam ipſe cùm lib. II. c. 57. diſertis verbis cum phœnice conjunxiſſet, oſtendimus nos, ad reliqva etiam qvatuor exponenda ſymbola poſſe adhiberi. Nam &, qvi à *peregrinatione diuturnâ* redit ad ſuos, & *anima*, qvæ è corpore diu habitato evolat, & *diluvium*, & *Sol* habent ἀποκατάστασιν πολυχρόνιον.

§. 283. Jam ſi nihil aliud his hieroglyphicis ſubſit, nondum efficietur, ut pro *adæqvatis* ea veneremur. Tantùm enim *duas* ideæ partes inde excerpas, (1.) ex ἀποκαταστάσει *reſuſcitationem* phœnicis, eamq; (2.) qvia πολυχρόνιος illa eſt ἀποκατάστασις, poſt *tempus longævum*.

§. 284. Largiar & *tertium* reperiri in iis, qvæ conſtat, ſaltem ex gentilium ſententiâ, perpetuis *circulis* in orbem redire, ut in animâ, in diluvio, in Sole. Etiam *qvartum* dabo in Sole, *unitatem*. Sed ubi *qvintum, mors?* Non enim moritur Sol illâ, qvam ipſi §. 280. cum phœnice communem fecimus, annorum 1461. ἀποκαταστάσει.

§. 285. Fatendum ergò, qvicqvid apud Horum eſt hieroglyphicorum phœnicis, qvia *inadæqvata* ſunt omnia, tantùm ad *ſecundariam* Sacerdotum, qvi hanc avem è cerebro ſuo ſunt enixi, intentionem referri debere. Ut primariæ ſatisfiat, circumſpicienda res aliqva (1.) unica, cujus (2.) ἀποκατάστασις (3.) πολυχρόνιος, (4.) in juges circulos

culos redeat, & qvidem (5.) qvod deeſſe Soli videbamus, per interitum ſui.

§. 286. Id verò ne diutiùs moremur Lectorem, neqve novis ambagibus per juniorum, qvi ſymbola, hieroglyphica, imagines, emblemata, vel id genus alia ſcripſerunt, inventiones novas deducamus, eſt, ex gentilium qvidem opinione, id qvod ſufficit hîc nobis, Mundus.

§. 287. Sit ergò concluſio *ſeptima* & ultima: Primaria Ægyptiorum intentio fuit, ut Phœnix eſſet hieroglyphicon hujus univerſi ſeu *mundi*. In mundum enim qvinqve illa, qvæ §. 8. ex ideâ Phœnicis eruebamus, hactenus autem in cæteris expoſitionibus fruſtrà qvæſivimus univerſa, exactè competunt è ſententiâ gentilium, qvippe qvi mundum eſſe putent ejusmodi, ut

(1.) *unum* (2.) *longævus* (3.) *moriendo* (4.) *reſuſcitet* (5.) *orbis*.

§. 288. Dices, nullâ nos neceſſitate cogi, ut aliqvid indictum Horo in hanc ſcenam proferamus. Qvid enim *Soli* deeſt? Qvatuor ideæ phœnicis prædicata jam ipſi conceſſa ſunt §. 284. Qvod ad qvintum attinet, interitus mundi ne Soli qvidem parcet. Retinebimus ergò ex Horo Solem: id unum curabimus modò, ut revolutionem Solis circumſcribamus periodo annorum, non (ut ante §. 280.) 1461. ſed tantorum, qvanti reqviruntur ad ruinam univerſi. Nec eſt, cur qvempiam hoc moretur, qvòd illa maximi anni periodus non propria eſt Soli, ſed cum ſtellis omnibus ipſi communis (per §. 33. Diſſert. V.) Tantæ Sol unus inter univerſa ſidera excellentiæ eſt, ut ſolus ipſe pro omnibus nominari mereatur.

§. 289. Specioſè fateor, hæc dicuntur, præſertim ubi repures, phœnicis illam cum Sole comparationem cæteris, qvæ ab Horo prodebantur, eſſe haud paulò celebriorem, id qvod è §. 276. potuit intelligi. Sed qvia negari tamen haud poteſt, Solarem periodum accuratiùs exponi de illa annorum 1461. qvæ vitam ipſi non intercipit, qvo pacto comparatio phœnicis cum Sole qvintâ ſui parte claudicabit, qvàm de alterâ ſiderum univerſorum, nondum ab interpretatione de mundo abduci me patior.

§. 290. Interim qvia ex veterum conſenſu, qvem qvidem manifeſtum hactenus nullum deprehendi, multum polliceri nobis poſſumus præſidii; tentandum, an non ex Hori principiis à Sole ad mundum

dum ipſum ejusq; fatalem interitum prorogari phœnicis hieroglyphicum, aut aliâs ex eo veteribusq; nonnullis ſententia noſtra ſi non apertè demonſtrari, ſaltem conſeqventiis haud futilibus perſvaderi qveat.

§. 291. Sed ut ſciatur, non primis eam nobis in mentem veniſſe, libet prius recentiorum audire ſuffragia, præſertim cùm clariora ſint: licet mundi cum phœnice collationem non præcisè nobiſcum ex illis qvinqve membris, ad qvæ ideam hujus avis reſtrinximus, metiantur. Plurium ore loqvitur Rollenhagius, qvo tamen vetuſtiorem, qvi hanc in ſententiam iverit, neminem vidi. Placet igitur ipſius verba cognoſcere.

§. 292. Sic ille c. 19. glaubw. Lüg. p. 218 219. Es meynen die Gelehrten/ es ſey nie ein Vogel geweſen/ſey auch noch nicht/ des Namens/ der Geſtalt/oder Werck/ ſondern es ſey eine litera hieroglyphica, ein heiliger Buchſtab. — Alſo/daß dieſer Phœnix bedeute/ daß die Sternen-Kunſt erſt aus Phœnicia, da nachmahls die Jüden gewohnet/kommen ſey in die ander Länder/und die gantze Welt bedeute. Der gülden Kopf den Himmel mit ſeinen Sternen. Der bunte Leib den Erdboden. Die blaue Bruſt und Schwantz das Waſſer und Lufft/ das umb und durch den Erdboden herfleuſt. Dieſer Phœnix aber oder dieſe Welt beſtehe ſo lange/ biß der Himmel ſo offt herumb gehe/ daß er und alle Sternen wiederumb in ſein Neſt alſo und auff derſelben Stäte zu ſtehen kommen/darin er war/als er zu erſt von Gott erſchaffen ward. Denn wenn das geſchicht/ ſo ſey der Phœnix todt/ und habe die alte Welt ihren Lauff vollenbracht/ und gehe alles wiederumb von neuen an. Das nennen ſie annum ſidereum magnum, das groſſe Welt-Jahr. —Wie viel Jahr aber dahin ſeyn/daß ſolche Veränderung und Verneuerung des Himmelslauffs komme/ haben die Gelehrten noch nicht außrechnen können. Und weil ein ieder ſeine eigne Rechnung hat/ ſo wird das Leben dieſes Phœnicis ungewiß geſagt.

§. 293. Tacito Rollenhagii nomine, cujus tamen verbis in compendium redactis potiſſimùm utitur, eandem ſententiam veluti ſuam producit Petrus Laurembergius Acerr. Philol. c. 37. des andern Hundert p. 303. Conf. qvæ dicemus §. 310. Rollenhagii vitulâ ut arâſſe Deuſingium qvoqve ſuſpicer, ejusdem opinionis ſocium, verba ejus apud Schottum p. 1040. Phyſ. curioſ. me movent inprimis illa, qvi-

 bus

bus in Phœniciâ primùm ortam aſtrorum contemplationem videri ſcribit. Neſcio enim an hoc alii, qvàm Rollenhagio debere potuerit. Silet hoc Laurembergius certè. Cæterùm mundanæ machinæ hieroglyphicum eſſe phœnicem Clariſſ. qvoqve Kirchmajerus judicat Diſp. de Phœnice c. 2. §. 5. qvi mox ἰσόψηφον ſibi facit Laurembergium.

§. 294. Arbitreris & Cardanum in hâc viâ fuiſſe, ſed qvia ſubobſcurus hîc ejus eſt ſermo, nihil certi definias. Lib. X. de ſubtil. f. m. 337. cùm Phœnicem fabulæ qvàm veritati propiorem dixiſſet, moxq; hiſtoriam Semendæ, (de qvâ ſuprà §. 50. 52. 53.) protuliſſet, ita locum claudit: *qvæ bis malui addere ſubtilem ob hiſtoriæ ſenſum, qvi ad ORBIS, qvi ad virtutis originem ſpectat, qvàm ob rei ipſius deſcriptæ incredibilem narrationem prætermittere.*

§. 295. Nunc & veteres interrogemus. Eqvidem horum nominare poſſum neminem, qvi Phœnicem diſertè fecerit mundi ſimulacrum, idq; ſcripto teſtatum reliqverit. Illæ certè Hori expoſitiones, qvas de Phœnice §. 244. qvinqve numerabamus, *Mundum* tacent. Spes tamen haud vana eſt fore, ut in Hori aliorumq; ſcripta curatiore oculo intuentes veſtigia qvædam deprehendamus, qvæ nos in occulta hieroglyphici noſtri veluti cubilia deducant.

§. 296. Docuimus §. 247. 248. nullam eſſe apud Horum Phœnicis accommodationem, qvæ non fiat aut ad ἀποκατάστασιν πολυχρόνιον, aut ad rem aliqvam tali ἀποκαταστάσει gaudentem. Gaudet verò etiam *Mundus*, & gaudet non unâ, & gaudet ſolus illâ ut ſibi propriâ, qvæ eſt omnium maximè πολυχρόνιος. Qvo vel ſolo nomine unus ipſe pro *primario* haberi antitypo mereatur, cætera pro *ſecundariis:* præſertim cùm ἀποκατάστασις iſta totius vitam ſubjecti terminet, qvâ in re cæterarum aliàs Hori expoſitionum maximè poteſt notari defectus.

§. 297. Ea, qvam dixi, ἀποκατάστασις πολυχρονιωτάτη *magnus* ille *annus* eſt, qvem Nemeſius c. 38. de nat. hominis vocat ἀποκατάστασιν τοῦ παντὸς, cùm ſcil. ut in præcedentibus loqvitur, ſtellæ errantes ad idem & in longitudine & in latitudine ſignum, in qvo initiò erant, cùm primùm *mundus* eſt conditus, referuntur, (ἀποκαθίσταται.) *Coſmicam* ἀποκατάστασιν vocat Nicetas lib. I. th. orthod. fid. c. 9. contrà ſingulorum planetarum ἀποκαταστάσεις ſeu annos magnos eam diſtingvens; *mundanum* annum II. in ſomn. Scip. 11. p. 150. Macrobius; Namenius apud

apud Euſeb. XV. præp. Evang. 19. f. 821. ed. græcol. Pariſ. A. 1628. *ἐνιαυτὸν τὸν μέγιστον, καθ᾽ ὃν ἀπ᾽ αὐτῆς (Φύσεως) μόνης εἰς αὐτὴν πάλιν γίνεται ἡ ἀποκατάστασις.* Cum his confer, qvod Horus ait (ſuprà §. 243.) naſcente Phœnice fieri *ἀποκατάστασιν πραγμάτων.*

§. 298. Nunc & illius recordemur, qvod idem Horus dixerat (ſuprà §. 241.) Phœnicem, qvia ſignum ſit Solis, eſſe qvoqve ſignum inundationis, videlicet qvia gignat eam Solis certa nec brevis periodus, uti §. 265. declaravimus. Cur non idem eodem è fundamento transferre liceat ad eam *ἀποκατάστασιν*, qvam mundo portendit Solis, qvæ cogitari maximà poteſt, in antiqviſſimum puta cum ſideribus cunctis ſtatum converſio? Si Phœnix eſt ſignum inundationis particularis, cur non multò magis mundanæ cladis univerſalis? cùm omninò mori phœnicem cenſuerint Ægyptii, mors autem non unius membri ſit ruina, ſed corporis totius interitus. Hoc ſi obtinemus, habemus & mundi, cui *ἀποκατάστασις* illa eſt propria, ſymbolum Phœnicem.

§. 299. Qvid? licebit in hanc ipſam viam aſſumpto Sole paucioribus etiam gradibus pervenire ad metam hoc modo: Sub phœnice Sol intelligitur; ſub Sole Mundus ipſe, (totum videlicet ſub nobiliſſimà ſui parte, qvomodo caput aut cor appellamus pro homine:) Ergò & ſub phœnice Mundus.

§. 300. Satis ex Horo. Nunc alios adeamus. *Ægyptios temporum circuitûs phœnice metiri* Syneſius ait in Dione f. m. 26. Sed admodùm generale hoc eſt, niſi qvòd è præcedentibus, (qvæ ſuprà §. 221. reperies,) intelligi poteſt, circuitûs temporum hîc deſignari non breves, ſed raros admodùm ac ſpacioſos.

§. 301. Haud paulò ſpecialior eorum loqvendi formula, qvi vitam phœnicis *anni magni* ſpaciis exæqvant. Sic Manilius Plinio teſte lib. X. c. 2. *cum hujus alitis vitâ* magni anni *converſionem fieri* prodit. Idem de phœnice ſcribens Solinus c. 46. ad *netam* (ſic meliores codices habent, *nram* minùs emendati,) *inter autores fidem* provocat, h. e. ad communem eruditorum opinionem. Tametſi verò Solini fides hîc ſuſpecta eſſe poteſt, qvæ de phœnice memorat, tanqvam è publico doctorum conſenſu proferentis, cùm ea Plinius (qvem ab ſe leviter interpolatum deſcribere paſſim ſolet,) non niſi ex Manilio attulerat: conſentaneum tamen, Manilium ipſum habuiſſe, qvi hanc ſibi ſenten-

Digitized by Google

tiam præiverint: *maximis* enim *nobilem doctrinis* eum prædicat Plinius: qvod autem adjicit, *doctore nullo*, de vivis capiendum, non mortuis magiſtris. Obiter addo, *Manilium* hunc à Glandorpio f. 567. onom. maſt. *Marcum* prænominari, *Titum* à Voſſio I. de Hiſt. Lat. 9. p. 94c. *Manilium* in libris Plinii vocari ait Salmaſius f. 549. Exerc. Plin. Plura de eo Gryphiand. Phœn. F. 4.

§. 302. Jam cùm *annus magnus καθ' ἐξοχὴν* ille ſit, qvi *Mundi* hujus vitam à primo creationis puncto usqve ad ruinam ejus univerſalem emetiri cenſetur, qvi *cum Phœnicis vitâ magni converſionem anni fieri* ſcripsére, nimirum idem Phœnici, qvod huic univerſo, ſpacium dederunt ætatis. Qvamobrem obſecro? niſi qvia voluerunt, ut ſub ejus imagine *mundum* conciperemus.

§. 303. Atqve hæc ipſa loqvendi figura, (vel illud qvoqve ſcitum Hori lib. II. c. 57. phœnicem eſſe ſymbolum ἀποκαταστάσεως πολυχρονίου.) præbuiſſe videtur occaſionem tam variis de phœnicis ætate opinionibus, qvarum aliæ contentæ ſunt centuriis aliqvot annorum, aliæ ad chiliadas usqve aſcendunt, ut poſteà §. 321. videbimus: nam in *anni* qvoqve *magni* definiendis temporibus, præſertim ſi varias vocabuli acceptiones confundas, inſignis calculorum diverſitas eſt, qvam repetere, ſi lubet, potes è catalogis anni magni Diſſ. V. §. 8. 9. 11. De re totâ interim confer, qvæ è Gryphiand. E. 3. 4. excerpſimus ſuprà §. 206.

§. 304. Mentem meam clariùs ita expono. Qvi audiverunt ætatem phœnicis æqvalem haberi anno magno, nec æqvè aſſeqverentur omnes, cujus ſpeciei foret ille annus magnus, de numeris interim anni cujuſcunqve magni tot viderent prope naſci ſententias, qvot eſſent capita, eò facilè ſunt abrepti, ut inter ipſos de annis qvoq; phœnicis parum conveniret, illâ videlicet ſentiendi libertate ab anno magno migrante pariter in phœnicem.

§. 305. Itaqve nec repugnabo, ſi qvis omnes eos numeros, qvibus ævum alitis noſtræ alii aliis definiunt, ex eorum, qvi talia primi de ſingulis numeris prodiderunt, opinione, dicet ad magnum qvoqve ſive hujus, ſive illius generis annum fuiſſe relatos: (conf. Gryph. de phœnice E. 4.) Qvo pacto illos, qvos tetigi, catalogos anni magni augere novis licebit numeris haud paucis.

§. 306.

§. 306. Intereà ſic vides, in qvot opinionum de phœnicis ætate diſſidia ſcindi potuerint, qvi nihil aliud qvàm *magni anni* vocabulum in hac re uſurpari legentes, hoc autem nec eodem ſenſu capientes univerſi, nec eâdem in ſuis calculis hypotheſi aſtronomicâ utentes, definire tamen ſinguli certum annorum, qvos ultimâ ſenectâ Phœnix attingeret, ambitum cogitaverunt. Conf. Rollenhag. p. 219.

§. 307. Similibus divortiis illi potuere diſtrahi, qvibus propoſitum eſſet accuratè determinare id, qvod apud Horum legerant, ἀποκατάςασιν πολυχρόνιον, h. e. ſeculi non unius curſum, qvo abſoluto eadem ſive unius rei, puta ſideris alicujus, ſive multarum aut omnium in mundo, ut ita loqvar, fabula renaſcatur, illud eſſe, qvod ſub imagine phœnicis occultatur. Nam & hîc tùm ſenſus rei ſignificatæ non unus, tùm in ponendis calculis hypotheſes diverſæ facilè pepererunt illam ſententiarum multitudinem.

§. 308. Hæc numerorum de anno magno pariter & phœnice varietas, varius item, qvi eſt in vocabulo anni magni ſenſus, fugiſſe videtur Solinum, non item Plinium. Plinius ubi Manilii tùm de numero annorum phœnicis, tùm de hujus cum anno magno comparatione ſententiam retuliſſet, ſcrupulum non movet, movet Solinus. Apponemus utriusqve verba, tùm ut hactenus aliqvoties à nobis non niſi locorum, ubi hæc legerentur, indicio citata compareant aliqvando in ipſis ſcribentium verbis, tùm ut contendi Solinus cum Plinio, cujus eum verba ſæpè interpolare dictum eſt §. 301. liqvidiùs poſſit.

§. 309. Plinus lib. X. c. 2. *Primus atqve diligentiſſimus togatorum de eo* [Phœnice] *prodidit Manilius, vivere annis DCLX.* [in aliis eſt DLX. aut, qvem & Solinus numerum retinuit, DXL. facillimâ permutatione.] — *Cum hujus alitis vitâ magni converſionem anni fieri prodit idem Manilius, iterumq; ſignificationes tempeſtatum & ſiderum eaſdem reverti.* Solinus c. 46. *Probatum eſt qvadraginta & qvingentis eum* [phœnicem] *durare annis.* — *Cum hujus vitâ magni anni fieri converſionem rata fides eſt inter autores; qvamvis plurimi eorum magnum annum non qvingentis & qvadraginta, ſed duodecim millibus nongentis qvinqvaginta qvatuor annis conſtare dicant.*

§. 310. Rollenhagius p. 217. glaubw. Lüg. hæc ultima ſic exaudivit, qvaſi Phœnicem qvoqve voluerit Solinus vivere annos 12954. (à qvo Laurembergium idem hauſiſſe, ex iis, qvæ §. 293. diximus, pro-

Digitized by Google

babile eſt.) Sed virum doctum properans oculus fefellit. Solinus ultimum hunc numerum nec ipſe dat Phœnici, nec dantes inducit alios. Id innuit, eſſe, qvi anno magno eum largiantur. Atqve ſic veluti pugnantes inducit ſententias duas, unam qvæ annos 540. alteram, qvæ 12954. anno magno tribuit.

§. 311. Sed hoc ipſum puto facturum non fuiſſe, ſi tenuiſſet memoriâ, qvorum hîc intereſt recordari. Qvi Phœnici pariter & anno magno addixerunt vulgares annos 540. magnum annum cogitaverunt aliqvem è *minoribus*, qvo cum ſideribus *tempeſtates*, (qvod Plinii locus indicat,) redirent in orbem. Contrà illi *maximum*, qvibus placuit numerus 12954. Hæc minimè ſibi adverſantur.

§. 312. Nempè Solinus interdum, qvicqvid in calamum fluit, parum effundit circumſpectè. Sic eos, qvi magnum annum 12954. annis conſtare dicant, *plurimos* eſſe ait: qvam tamen ſententiam neſcio an apud alios, qvàm Ciceronem legerit. Vide ſuprà lit. z. ad Diſſert. V. §. 11. Utiqve ſuſpicandi cauſa eſt, nec de phœnicis eum ætate, nec de ſpaciis anni magni plures habuiſſe notas ſententias, cùm utrinqve tamen bene multæ numerentur, qvàm unicas: alias enim in multis longè minus diſtantiæ deprehendiſſet, qvàm qvæ eſt inter 540. & 12954.

§. 313. Id qvò ſit evidentius, varia de phœnicis longævitate effatorum apponenda diſcrimina hîc veniunt. Ea nobis omnia, duobus tantùm exceptis, gratâ brevitate Voſſius exhibet III. de Orig. Idol. 99. f. 629. (al. p. 1266.) cujus vel ideò locum juvat adſcribere, ut è mutilo reddamus integrum. Adſcribemus autem, qvalem putamus legi oportere.

§. 314. (1.) *Rex Æthiopiæ*, inqvit, *in ſuâ ad Pontificem Romanum epiſtolâ* c) *annos ei tribuit* trecentos *d*). (2.) *Herodotus, Ælianus, Philoſtratus, Orus, Æneas Platonicus; ex Latinis Ovidius, Tacitus, Victor, annos dant* qvingentos. (3.) *Solinus* qvingentos qvadraginta *e*). (4.) *Plinius ex Manilio* ſexcentos ſexaginta *f*). (5.) *Martialis & Lactantius* millenos. (6.) *Alii, ut eſt apud Tacitum* cIↃccccLXI. (7.) *Chæremon Ægyptius, ut relatum Tzetzi*, ſexennium & ſepties millenos *g*).

c) Regredere ad §. 27.

d) Addo è Barth. Anglico lib. XII. de rerum propr. c. 14. *De hâc ave dicit Philoſophus, qvòd Phœnix eſt avis ſine pari, vivens 300. vel qvingentis annis.*

e) Sic

e) Sic reſcribendum audacter pronuncio. Anteà legebatur in utraqve editione : *ex Latinis Ovidius, Tacitus, Victor annos dant qvingentos qvadraginta. Plinius* &c. typothetæ aut librarii (vix dubitem) vitio, qvi cum vox *qvingentos* bis haberetur, ſemel eam, & cum ipsâ nomen Solini, prætervidit : qvâ ratione factum, ut ex Ovidio aliisq; phœnici darentur anni 540. cùm tamen ſolos 500. ex Ovidio clarè phœnici asſignet ipſe Vosſius II. de Hiſt. græc. 1. p. 165.

f) Vide ſuprà §. 309. Si tamen ponas, è Plinio ſua Solinum hauſiſſe (vid. §. 301.) non divellendæ utriusqve ſententiæ fuerant, ex utroqve autem unicus tantùm ponendus numerus.

g) Minùs benè Causſinus p. 24. de Symbol. Ægypt. Sap. è Chæremone annos tantùm 7000. affert.

§. 315. De vario Phœnicis ævo ſoliciti etiam fuerunt Aldrovandus XII. Ornithol. f. 407. 408. Rollenhagius p. 217. glaubw. Lüg. Gryphiander de Phœnice L. 2. Kirchmajer. Diſp. Zoolog. III. c. 1. §. 9. alii. Atqve ex his qvidem ſex aliis opinionibus locupletari putes poſſe catalogum Voſſianum; ſed ſi demantur illæ, in qvibus ipſi vel variant, vel errant, (qvalem errorem de *ſexcentis* annis correximus ſuprà §. 34. 35. de *duodecim millibus, nongentis qvinqvaginta qvatuor*, hîc paulò ante §. 310.) non niſi duæ remanebunt, *Heſiodi* una, *Magni Alberti* altera.

§ 316. De *Heſiodo* res valdè impedita. Qvanqvam enim ex eo Phœnici annos 97312. addicit Rollenhagius : ipſe tamen Heſiodus nullum numerum definit accuratè, ſed ænigmate potiùs qvodam Lectori ſuo faceſſit negotium. Enimverò attribuit, ut Plinii verba è lib. VII. c. 48. qvadantenus mea faciam, cornici novem hominis ætates, qvadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis, hoc novies auctum Phœnici, Phœnice deniqve decuplo vivaciores facit Nymphas, *κȣ́ρας Διὸς αἰγιόχοιο*. Græcos Poetæ verſiculos Plutarchus ſervavit nobis de def. orac. f. 415. Latino carmine reddidit Auſonius Idyll. 18. p. 175.

§. 317. Hîc primùm lectio ſolliciatur, cùm alii *γενεὰς ἀνδρῶν ἡβώντων* legant, alii *γηρώντων*, ut ambiguum ſit, ætatem hominis vegeti, an ſenis Poeta fundamentum calculi eſſe voluerit. Dein utracunqve aſſumatur, novæ prodeunt lites de numero annorum, qvem qvi minimum faciunt in ætate vegetâ (ut apud Plutarchum collocutor Cleombrotus,) unius eum anni ſtatuunt, qvi maximum in ſenili, (ut ibidem Demetrius) annorum 108. His extremis interjectæ ſunt opiniones mediæ

mediæ tres, (facilè plures inveniet, cui diſpares de numero annorum γενεᾶς aut ſeculi ſententias colligere libebit,) qvarum una (apud Plutarchum) ætatem hominis definit annis 30. altera (Auſonii) 96. tertia (qvod pleroſq; facere ait f. 353. Aldrovandus de corvo agens,) 100.

§. 318. Secundùm hæc vivet Heſiodo Phœnix, ſi γενεὰν unico anno circumſcribas, (qvod Aldrovando etiam d. l. & Geſnero de cornice agenti f. 323. placet, Camerario ad libellum Plutarchi p. 87. & Gryphiandro L. 2. diſplicet,) annos 972. ſi tricenis, 29160. ſi ſex & nonagenis, (qvam hypotheſin patet ſecutum eſſe Rollenhagium,) 93312. ſi centenis, 97200. ſi octo præter centum, 104976. Plinius, cujus judicio fabuloſè refert hæc Heſiodus, nullum planè calculum admovet. Gryphiander qvoqve L. 2: negat exitum in Heſiodi carmine reperiri, *niſi dicamus numerum certum pro incerto, novem pro multis poſuiſſe Poetam.* Atqve hæ tricæ moviſſe Voſſium videntur, ut de opinione Heſiodi planè ſibi tacendum putaret.

§. 319. Venio ad *Albertum Magnum.* Verba ejus repræſentat Geſnerus f. 692. de avibus: *Phœnicem ajunt* trecentis qvadraginta annis *vivere ſolitariam.* Addit Camers f. 246. ad Solinum: *apud qvos id legerit, me conſule nemo qværat.* Conſentit aliàs in hunc numerum autor libri de naturis rerum apud Vincent. Bellovac. lib. XVI. Spec. nat. c. 74. f. 1201.

§. 320. Ex Alberto tamen annos non 340. (qvos illi tribuit & Cauſſinus,) ſed 350. citant præter Aldrovandum & Kirchmajerum Gryphiander, qvi minimam vocat hanc ſummam: non facturus, ſi hæc ſcribens inſpexiſſet epiſtolam Abyſſinorum (ſeu Æthiopiæ) Regis, cujus mentionem ipſe fecerat G. 3.

§. 321. Si jam ſub unum conſpectum ponas, qvicqvid numerorum Voſſius aliiq; de Phœnicis ævo collegerunt, hæc prodibit ſeries: 300. 340. 500. 540 660. 1000. 1461. 7006. 93312.

§. 322. In his ille annorum 1461. maximè dignus obſervatu, cùm idem exactiſſimè reperiatur in Catalogis anni magni. Reſpice ad Diſſ. V. §. 9. lit. i. Qvare de eo ſic Salmaſius f. 551. Exerc. Plinian. *Non dubium eſt, qvin illi, qvi adſeverabant, Phœnicem mille qvadringentos ſexaginta unum annos vivere, iidem ſint cum illis, qvi cum hujus alitis vitâ anni magni converſionem fieri tradebant.*

§. 323. Seqvitur apud Salmaſium: *Et valdè mihi ſuſpectum eſt, qvod Plinius ex Mamilio refert, eam converſionem perfici* qvingentis & qvadraginta *annis, & hoc ævi ſpacio terminari vitam phœnicis. Vereor, ut duas opiniones vel Plinius vel Mamilius in unam confuderint, eorum qvi* qvingentos *annos vitæ huic aliti tribuebant, & eorum, qvi mille* qvadringentos *ſexaginta unum.* Innuere videtur, ſive Manilium ſive Plinium, cùm incideret in aliqvem ſcriptorum veterum, (qvi ſi de Plinio loqvimur, Manilius fuerit, ſi de Manilio, alius ante ipſum qvispiam,) qvi phœnici ab aliis *qvingentos*, ab aliis mille *qvadringentos* ſexaginta unum annos aſſignari prodidiſſet, (conjungit hos duos de phœnice numeros & Tacitus VI. annal. p. 108.) addidiſſetq; poſteriorem hunc eundem & anni magni eſſe numerum, errore qvodam oculi feſtinantis, è priore numero *qvingentos* retinuiſſe, è poſteriore pro *qvadringentis qvadraginta*, cæteris prætervisis excerpſiſſe, atqve poſteà de anno magno indidem ſubjeciſſe.

§. 324. Habent hæc aliqvam ſpeciem. Ut aſſenſum tamen ſuſtineam, illa maximè opinionum de ſpaciis, qvibus vel anni magni, vel phœnicis vita circumſcribatur, inſignis facit varietas. Qvam omnem perfectiſſimis, & nullâ librariorum mendâ infectis numeris ad nos fuiſſe delatam qvis audebit polliceri? Qvin phœnici fuerint, qvi annos 500. dederint, nemo dubitat, & hæc maximè pervagata eſt ſententia. Qvid ſi iidem voluerint hunc eſſe numerum anni qvoqve alicujus magni? aut ἀποκαταστάσεως πολυχρονίου, (conf. Gryphiand. F. 1. cujus verba deſcripſimus §. 206. lit. q.) Qvid ſi hunc eundem alii præiverint ipſis de anno magno, nondum viſi nobis? Certè non niſi unius ſeculi ſpacio abſunt anni 600. qvos Joſephus dat anno magno. Qvid ſi pro his 600. legendi ſint 500. cùm & 900. apud Joſephum ſcribi Lalamantius obſervaverit? (ſuprà Diſſ. V. §. 11. lit. q.) Utiqve ſimile vero eſt, qvi in eo conſentirent, ut cum phœnicis vitâ magni anni converſionem fieri cenſerent, ubi ſedere ad numerorum calculos placuiſſet, ſcindi ſententiis potuiſſe. Ut adeò nulla nos neceſſitas ad unius ſolius numeri ſpectandum æqvilibrium adigat,

§. 325. Qvare Solini fuerat, cùm interponere judicium aliqvod iis vellet, qvæ apud Plinium de Phœnicis ætate legerat, in catalogis anni magni circumſpicere, num qvem annis 540. propiorem numerum, qvàm 12954. reperire poſſet; qvem utiqve non unum inveniſſet;

U num

num item incidere poſſet in eundem de phœnice pariter & anno magno numerum: qvalis omninò eſt 1461.

§. 326. Hic unus interim eſt, fateor, qvi exactiſſimè idem comparet in utroqve catalogorum genere. Qvi minùs exqviſitè reſpondeant ſibi, nec indigni ſint tamen, qvi ex juſtâ propinqvitate componantur, plures ſe dabunt. In qvibus facere non poſſum, qvin conferam hîc eos, qvi ad usqve ſeptena aſcendunt annorum millia. Enimverò, ſi de *anno magno* qværas, qvidam apud Plutarchum II. de plac. Philoſ. ult. definiunt eum ſpacio annorum vulgarium 7777. (fortè, qvòd talis numerus maximè criticus videtur, ait Gaſſendus Tom. I. Oper. f. 1761.) ſi de *Phœnice*, Chæremon Ægyptius Hieroglyphicorum ſcriptor apud Tzetzen Chil. V. hiſt. 6. vitam illi porrigit in annos 7006.

§. 327. Vanitatis hîc Chæremonem poſtulat Voſſius II. de Hiſtor. græc. 1. p. 165. eò qvòd multò aliter de numero annorum phœnicis veteres omnes ſcripſerint. Nobis Chæremon, in hoc qvidem negotio, mitiorem mereri cenſuram videtur. Si enim res hæc tota fingentium voluntati ſubjecta eſt, (cùm ipſe Voſſius III. de Idolol. 99. inter fabuloſas aves principatum det Phœnici,) cur ex eâ fidem ſcriptoris æſtimemus? Sin allegoria phœnicis ad conflagrationem hujus univerſi pertinet, cur in tantis de longitudine anni magni, qvâ mundum ipſum metiebantur, opinionum divortiis non licuerit Chæremoni de Phœnice, qvod aliis de anno magno, ut ætatem ejus porrigeret ad annos, ὡς ἐν πλάτει, ſepties mille?

§. 328. Porrò hanc ipſam de anni magni, & qvod inde ſeqvitur, totius Mundi ſpacio ſententiam putes ex iisdem fontibus aut ſaltem ſimilibus manâſſe, ex qvibus qvidam adventum Domini, computatis annis ab Adam, poſt ſeptem annorum millia futurum crediderunt apud Auguſtinum, enarrat. in Pſalm. 6. Tom. VIII. Oper. f. 31. (conf. & lib. XX. de civ. Dei c. 7. Tom. V. Oper. f. 1205.) ex qvibus item Lactantius abolitâ in fine ſexti milleſimi anni per terram omni malitiâ juſtitiam per annos mille regnaturam putavit, lib. VII. c. 14. donec iis completis renovetur à Deo mundus, & cœlum complicetur, & terra mutetur, ibid. c. 6. Qvibus non multum abſimilia è Cabaliſtarum dogmatibus tradunt Magius III. de mundi exuſt. 16. f. 108. Leo Hebræus Dial. III. de amore (Tom. I. Cabaliſt. Piſtor. f. 500. cujus verba

verba dabimus Diſſert. XVIII. §. 8.) & Strozzius Cigogna lib. IV. Theat. nat. c. 15. p. 130. 131.

§. 329. Ab hoc rotundo ſeptem millium annorum numero longè propius adhuc abeſt Chæremon, ut qvi ſex tantùm addat Phœnici, qvàm illi apud Plutarchum: ut his adeò proximus haberi mereatur. Non dubium autem, hos tam ingentes ſeptem chiliadum, ſi maximè centuriæ aliqvot accedunt, numeros ad illum hujus univerſi annum maximum, qvi interitum illi afferat, referri oportere.

§. 330. Concludamus ergò ſententiam ſi non immoti roboris, ſaltem probabilitatis haud infimæ, qvi Phœnicem excogitarunt, eos illum imaginem eſſe Mundi voluiſſe, qvæ non unitatem ipſius tantùm, durationemq; longam, ſed & circulos per vitæ mortisq; vices exprimeret perpetuos, ex gentilium videlicet, qvi autores fabulæ fuerunt, mente; atqve in his qvi phœnicem igne mori aſſeruerunt, mundo exconflagratione interitum fuiſſe ominatos. Qvem exemplo phœnicis adhibito depingunt atqve illuſtrant etiam Aug. Steuchus lib. X. de perenni philoſ. p. 710. & B. Gerhardus Tom. IX. Loc. Theol. tit. de Conſumm. ſec. n. 48 p. 409.

§. 331. Unum eſt, in qvo adhuc hæreo nonnihil, an Ægyptii qvoq; mundi interitum crediderint: cùm Origenes eandem ipſis cum Pythagorâ & Platone de incorruptibilitate mundi ſententiam tribuat, & à Stoicis eos hâc parte diſtingvat, lib. V. contrà Celſ. p. 245. Sed qvia tamen eodem Origene teſte hi omnes in eo conſenſerunt, ut crederent, ubi ſtatis annorum circulis ſtellæ ad eandem configurationem redierint, in terrâ qvoqve eandem rerum faciem conſecuturam: converſio illa in chaos priſtinum, à qvo aliàs Philoſophia ipſorum mundi originem auſpicatur, hypotheſibus ipſorum non planè repugnat. Fieri etiam poteſt, ut Pythagoras non omnia Ægyptiorum vel aſſecutus ſit accuratè, vel ſua fecerit.

DISSERTATIO X.

ad Theſ. XI. r.

Stoicorum homines redivivi.

§. 1.

MUndum ipſum, h. e. cœli terræq; compagem non ſpecie tantùm ſed numero eundem Stoicis fore poſt ἐκπύρωσιν, qvi antè fuerit, non habet, opinor, inter ipſos controverſiam, ac doceri poteſt ex Origene contra Celſum ſcribente lib. IV. p. 209. cujus verba proferemus poſteà §. 12. An iidem qvoqve numero homines, eædem animæ rediruræ ſint in orbem, differri Scholæ illius ſententiis video. Hiſtoriam Lipſio indiſcuſſam placet hîc exeqvi.

§. 2. Fuerunt ergò, qvi eosdem homines, easdem animas poſt innovationem mundi fore dicerent. Tangit hoc Lipſius II. Phyſiol. Stoic. 22. p. 111. & III. 12. p. 140: ſed obiter, & qvaſi communem Stoicis opinionem. Neqve nego Senecæ ſic viſum, cujus ex epiſt. 36. (p. m. 299.) hæc allegat verba: *Mors, qvam pertimeſcimus ac recuſamus, intermittit vitam, non eripit. Veniet iterum, qvi nos in lucem reponat dies, qvem multi recuſarent, niſi oblitos reduceret.* Sed ſi putavit, omnium Stoicorum eandem hic fuiſſe ſententiam, convincemus eum erroris ex Origene.

§. 3. Is lib. V. contrà Celſum p. 244. hæc habet: *Stoici ajunt, poſt certas temporum vices deflagrationem hujus univerſi fieri, eamq; mox conſeqvi inſtaurationem OMNIA reſtituentem diſcretà* [ſcribe *indiſcretà* ut infrà §. 12.] *ſimilitudine NIHIL à prioribus differentia* [διακοσμοῦσιν πάντη ἀπαράλλακτα ἔχουσαν, ὡς πρὸς τὴν προτέραν διακόσμησιν.] *Qvibus autem hoc nimium viſum eſt,* [ὅσοι δὲ αὐτῶν ᾐδέσθησαν τὸ δόγμα: qvos dogmatis hujus puduit] *ajunt parvam & admodùm brevem MUTATIONEM fieri ex poſteriore periodo in rebus, qvæ ſuperiori extiterant.*

§. 4. Duas omninò ſententias diſtingvit Stoicorum: unam craſſam, qvæ *absqve ullo diſcrimine* eadem omnia reducat, ſubtiliorem alte-

alteram, qvæ *cum diſcrimine ac mutatione aliqvâ.* Fateor interim obſcuritatis nonnihil eſſe in verbis Origenis.

§. 5. De priore ſententiâ exaudio, qvæ apud ipſum ſtatim ſeqvuntur: *Hi ajunt, in ſeqvente periodo hujusmodi eſſe futura: reverſurum Socratem Sophroniſci filium Athenienſem, qvalis ſuperiore periodo fuerit, rurſumq; Phanareten è Sophroniſci conjugio illum progenituram. Itaqve etiamſi reſurrectionem non nominent, rem utiqve eandem ſignificant,* & qvæ porrò ſeqvuntur. Hi ergò ſtatuebant, ipſiſſimum Socratem reverſurum, aliàs eos de reſurrectione comparare nobis minùs benè poʒuiſſet Origenes.

§. 6. Non abſimilis Nemeſii locus eſt c. 38. de nat. hom. p. 113. 114. *Stoici ajunt, --- qvoniam ſidera ſimiliter rurſus ferantur, omnia qvæ in priori ambitu fuerint, immutabiliter* [ἀπαραλλάκτως] *effici: futurum enim rurſum Socratem & Platonem, & qvemqve hominem cum iisdem & amicis & civibus, & eadem cuiqve eventura, & eadem tractaturum, omnesq; civitates & pagos, & agros ſimiliter reſtitui. ---- Atqve propter iſtam reſtitutionem dicunt aliqvi Chriſtianos revocationem corporum à morte ad vitam imaginari. Sed multum aberrant à vero.*

§. 7. Ab hâc parte Chryſippum qvoqve ſtetiſſe putes, qvem ideò, qvòd in idem ſchema reſtitutum nos iri ſcripſiſſet, meliùs de anaſtaſi, qvàm Pythagoram, qvi tranſire animas in nova corpora diſputaverat, dixiſſe judicat Lactantius lib. VII. c. 23. verba ejus græca è libro de providentiâ recitans: τούτου δ' οὕτως ἔχοντος, δῆλον ὡς οὐδὲν ἀδύνατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνου εἰς ὃ νῦν ἐσμὲν καταστήσεσθαι σχῆμα.

§. 8. Nunc alteram Stoicorum claſſem videamus. Hæc non ipſum Socratem ponebat rediturum, ſed aliqvem ipſi per omnia ſimillimum qvidem, alium tamen: h. e. hominem Socrati, ſi formam videas externam, eqvidem planè geminum, nec alium ſpecie, veruntamen diverſum numero, conſeqventer aliâ certè numero animâ præditum, qvalis apud Plautum in Amphitruone Mercurius apparuit, ſimillimus qvidem Soſiæ, ſed non idem profectò.

§. 9. Atqve hæc illa opinor, eſt *mutatio*, qvæ ſeqventem qvamq; periodum ab antecedente diſtingvit in ſententiâ poſteriore. De qvâ illud interpretor ejusdem Origenis lib. IV. p. 208. 209. *Stoici, ut medeantur obſurditati, neſcio qvomodo per omnia ſimiles prioribus redire*

ajunt cum temporum circulis, ut non Socrates naſcatur denuò, ſed omnia Socrati ſimiles, ducturus per omnia ſimilem priori Xanthippen, accuſandus à per omnia ſimilibus Anyto Melitoq;.

§. 10. Abſurditas, qvam ſic declinare cupiebant, hæc fuit, ut præcedentia Origenis demonſtrant: Opponebatur Stoicis, ſi poſt annum magnum omnia denuò ab iisdem hominibus eodem agerentur modo, tolli hoc pacto libertatem arbitrii. Qvis enim Socratem, niſi coactum ferreâ neceſſitate putet bis ducturum Xanthippen? Seneca fortaſſe confugiſſet hic ad craterem Lethæum, per ea, qvæ ex illo §. 2. audivimus, oblivioniq; præteritorum imputaſſet hanc Socratis ad eundem lapidem bis offendendi ſtoliditatem. Verùm hæc aliis certè non ſatisfecerunt. Igitur liberum arbitrium tùm demum ſalvare ſibi videbantur, ſi non eundem Socratem ſed alium ipſi externâ facie ſimilem dicerent eadem acturum omnia.

§. 11. Atqvi, ſi amamus verum, etiam ſic arbitrii libertas occiſiſſima eſt. Nam ſi cœlo centies ad idem punctum reverſo centies qvoqve ſive unus Socrates, ſive centum tàm ſimiles inter ſe, qvàm Soſiæ Plautino Mercurius contrahent ſponſalia cum Xanthippe; qvis non intelligit, hunc actum non voluntati deberi, ſed fati violentiæ? In qvam qvicunqve vel ſemel inciderit, vel centies fuerit relapſus, aliter agere non poſſit. Evenit hìc Stoicis, qvod multis hæreticorum, qvi ut deliria ſua muniant contrà conſeqventias abſurdas, vel à ſtramineis ineptiis novis, qvæ iisdem conſeqventiis obnoxiæ ſint, præſidium illis petunt.

§. 12. Etiam κατ' ἄνθρωπον adversùs eos Origenes diſputat, ſuperioribus hæc ſtatim lib. IV. ſubnectens: *Non intelligo, qvomodo cùm mundus ſemper idem ſit & non alius per omnia priori ſimilis,* (hoc illud eſt, qvod §. 1. dicebamus, Syſtema univerſi Stoicis idem numero ſemper redire, etiamſi infinities conflagraverit,) *qvæ in eo continentur, non eadem ſint, ſed per omnia indiſcretæ ſimilitudinis* (ἀπαραλλάκτῳ.) Id vult dicere: Si Stoici poſt mundi conflagrationem velut ædificium hujus univerſi non ſimile redire dicunt priori, ſed ipſiſſimum qvod anteà fuit: cauſam non video, cur non item homines penitus eosdem, ſed externá tantùm corporis figurá ſimiles reverti aſſerant.

§. 13. Poteris tamen hæc Origenis verba etiam ſic interpretari, ut ſenſus ſit, contradicere ſibi Stoicos, dum alibi qvidem affirmant,

totum

totum mundum, qvi ex incendio reſtauretur, penitus eundem eſſe cum præcedente, alibi verò contendunt, incolas mundi homines, atqve adeò partes ejus minimè ignobiles, non eosdem reverti, ſed ſimiles tantùm.

§. 14. Obſerva interim obiter, Stoicis, qvi poſteriorem ſententiam è duabus illis tuebantur, hâc ratione animas noſtras verè fuiſſe ad extremum mortales absqve ſpe reviviſcendi, cùm ſemel exuſtam in ἐκπυρώσει τοῦ ὅλου animam primi Socratis negarent redire in individuo. Dices fortaſſe: putaverunt eam reverſuram in corpore Anyti, Melitive, aut alterius cujuscunqve. Sed unde probabis, placuiſſe Stoicis metempſychoſin Pythagoream?

§. 15. Cæterùm Celſus, contrà qvem toties nobis citatus Origenes diſputat, utut alias Epicureus, hîc tamen Stoicos ſectabatur. Qvos qvanti fecerit, libet iterum ex Origene audire: *Qvid opus eſt recenſere hæc Stoicorum dogmata, adeò non irriſa Celſo, ut ea veneretur etiam, & Zenonem Jeſu ſapientiorem judicet?* lib. V. p. 245.

§. 16. Itaqve idem Origenes, ubi lib. IV. circulationes illas Celſi exagitat, Stoicos illi plerosqve obducit p. 208. à qvibus evariaverit in eo certè, qvod illis circuitibus humana tantum involveret, non etiam divina, (qvem locum excuſſimus Diſſert. VII. §. 9.) qvaſi diſceſſionem illi exprobrans à præcipuis ejus Scholæ magiſtris, qvam in hoc argumento alioqvi ſolitus eſſet venerari. Et p. 209. negat, vacare ſibi, ut prolixius contra Celſum atqve Stoicos diſſerat.

§. 17. Porrò & in eo magis ad Stoicorum doctrinam, qvàm Epicuri Celſus acceſſit, qvòd Oracula gentilium, ab Epicureis præcipuè deriſa, magnificecit, ut è VII. & VIII. Origenis contrà ipſum p. 333. & 407. conſtat.

§. 18. Cùm ergò ſaltem in qvibusdam *Celſus* in caſtra Stoicorum profugerit, ignoſcere poſſumus Georgio Hornio lib. V. Hiſt. Philoſ. c. 4. p. 271. eum obiter appellanti *Stoicum*. Nec enim, hîc qvidem, ubi hoc non qværebatur ex profeſſo, commeritum dicam, ut ipſum profundiſſimi ſomni accuſaret Spencerus p. 4. ad Orig. poſteaqvam pluribus probaviſſet, Celſum fuiſſe *Epicureum*. Qvod verum eſt ſanè, & jam diu obſervatum Glandorpio f. 214. Onom. Rom. ſed ita tamen, ut Stoicis etiam eſſet, qvod debere vellet Celſus.

DIS-

DISSERTATIO XI.

Ad Theſ. XI. s.

Stoica mundi conflagratio peccans.

§. 1.

FInem ἐκπυρώσεως conſtituebant Stoici, purgare mundum & effœta omnia inſtaurare. Itaqve ſi maximè φθορᾶς h. e. interitûs vocabulo hîc uterentur, non proprio tamen ſenſu id exaudiendum eſſe, ſed μεταβολὴν ſeu mutationem deſignari, Numenii apud Euſebium obſervatio eſt. *Neqve enim*, inqvit ipſorum verbis Lipſius, *alia facies Mundi erit, qvàm hujus fuit: & eadem omnia, imò & homines iidem* (hoc Diſſert. præc. expendebamus modò,) *redeunt in orbem.* Atqve has innovationes iterationesq; æternas faciebant. Hæc velut compendium ſunt eorum, qvæ in hanc rem diſſerit ac fuſiùs perſeqvitur Lipſius II. Phyſ. Stoic. 22. p. 107. & 111.

§. 2. Duo ergò hîc peccabant Stoici: *unum*, qvòd per conflagrationem illam adeò non liberabant creaturam à vanitate, ut eo medio reducerent ad carceres priſtinos, & novam præteriti laboris texturam; *alterum*, qvòd pro unâ conflagratione dabant ſexcentas, imò infinitas,

§. 3. Nec enim fruſtrà ἀπείρους φθορὰς vocat Baſilius homil. 3. in hexaem. & ἐκπύρωσιν ἀπειράκις γενομένην, καὶ ἀπειράκις ἐσομένην, Origenes contrà Celſ. lib. IV. p. 208. Nemeſius c. 38. περὶ φύσ. ἀνθρ. p. 148. è mente Stoicorum: γίνεσθαι τὴν ἀποκατάστασιν τοῦ παντὸς οὐχ' ἅπαξ ἀλλὰ πολλάκις, μᾶλλον δὲ εἰς ἄπειρον καὶ ἀτελεύτητον τὰ αὐτὰ ἀποκαθίστασθαι. Plutarchus de def. orac. f. 425. ſub fin. καὶ γὰρ ἡλίους καὶ σελήνας, καὶ ἀπόλλωνας, καὶ ἀρτέμιδας, καὶ ποσειδῶνας ἐν ἀπείροις κόσμου περιόδοις ἀπείρους ποιοῦσιν.

§. 4. Hoc *poſterius* Tatianus etiam notavit, (verba ejus qvære lit n. ad Theſ. VI. ac poſt ipſum Delrio in Octav. Senec. p. 533. Benius p. 432. in Tim. Plat. & Voſſius theſ. theol. p. 256. Cùm *priore* verò illo conjungendum, qvod hâc ratione nihilò meliùs probis futurum erit, nihilo deteriùs improbis qvàm antè.

§. 5.

§. 5. Ut omninò abſurditas dogmatis convinci qveat iisdem verbis, qvibus Æneas Gazæus ridiculam Porphyrii & Jamblichi metempſychoſin depectit p. 17. 18. Theophr. dignis omninò, qvæ & hîc legantur è verſione Caſp. Barthii: *Hi ipſi linum lino nectunt, qvod dicitur, malumq; morbum mâlo pharmaco curare contendunt. Qvid enim opus eſt, animam corpore liberari, ſi in aliud mox corpus eidem ſedes tranſponenda eſt? Inepta ſupervacuaq; ſic vitæ finitio eſt, fruſtraq; in medium venit. Vita enim nefariorum hominum eousq; erat extendenda, qvousq; ipſa eorũ ſcelerum ſupplicia producendam ſvaderent. Qvòd ſi in ſervitium ſe libidinum ut dominarum prorſus anima projecerit, mille in vitâ obſcœnis dilata cupiditatibus, turpiterq; eis libertatem ſuam addixerit, qvæ ſpecies erit juſtitiæ, cùm migraverit priſtinam ſedem, in aſinini ingenii hominem,* (volebant enim Porphyrius & Jamblichus, animam migrare v. g. in aſinum non propriè dictum, ut cenſebat Plato, ſed metaphoricum,) *eam redigi, ubi videlicet vitiorum denuò mancipium fiat, ſitq; hâc ratione pœna novorum criminum conditrix & introductrix, priſcorum velut inſtauratrix, firmatrixq;? Atqvi illa ipſa ſupplicia malarum affectionum corrigendarum ergò exſtare perhibentur, non ſecus ac morborum medicina: coërcentia, inhibentia, circumcidentia, & prorſus demùm eradicantia malum, non autem inflammantia, producentia, novamq; materiam ſubjicientia jam deflagraturis affectibus. Hoc ſi contingat, idem dicas eſſe negotium, ac ſi judex aliqvis hominem furti reum peractum ſuſcipiens non dedat commerito ſupplicio, ſed fano cuipiam committat, ut qvæcunqve obvia rapere pro libitu poſſit, qvo poſtqvam ſemel furti convictus ſit, explere clependo animum, neqve ſacris deorum anathematis & donariis manum abſtinere velit.*

§. 6. Audiamus nunc eundem Æneam, Stoicorum qvoqve toties iteratas mundi demolitiones demolientem, p. 64. *Stoicis verò videtur ſæpiùs corrumpi cœlum & terram, ſæpiusq; recentari. Sed qvæ denuò erant interitura, renovari ineptum ſit. Nonne enim potior una mutatio, cujus nulla ſit mutatio? Et homo ipſe reviviſcet non uti denuò moriatur, nihil enim tùm erit mortale, ſed omnia nova atqve immortalia, & mundus videlicet & homo.*

§. 7. Ex hoc Gazæi loco, ubi qvædam protuliſſet Calixtus p. 139. de ſupr. judic. ſubdit: *ideò inſtituitur* (mutatio illa mundi,) *ut tandem probi pro benefactis præmium, & improbi pro ſceleribus ſupplicium*

 repor-

reportent: non ut improbi iterum atque iterum indeſinenter flagitia perpetrent, & boni cum eorum malitiâ & ſeculi ærumnis perpetuò conflictentur.

§. 8. In præcedentibus etiam Philonis Judæi verba profert, Stoicas ineptias aliâ ratione caſtigantis, cùm diceret, Deum à Stoicis induci *ſimilem puerorum, qvi ſæpe juxta littora per luſum ex arenâ tumulos excitant, & poſteà manibus ſuis iterum deſtruunt.*

DISSERTATIO XII.

ad Theſ. XII. t.

Stoicis Materia principium mali.

§. 1.

GEntilibus omnibus perſvaſum fuit Deo materiam increatam ab æterno coextitiſſe. Tetigi hoc in Schediaſm. hiſt. §. 37. lit. o. & cauſas duas expoſui, qvibus à Satanâ mendacium hoc perſvaderi ſibi fuerint paſſi: *unam*, qvòd ne à DEO qvidem crederent ex purè nihilo qvicqvam fieri poſſe; *alteram*, qvòd exiſtimarent, niſi materia detur, qvæ ſit independens principium mali, fore, ut Deus habeatur autor malorum.

§. 2. Hinc intelliges illud Plutarchi ſub Cleombroti perſonâ f. m. 414. F. de def. orac. dicentis: *Platonem principio, qvod qvalitates, qvæ gignuntur, ut ſubjectum ſuſtinet, materiam nunc vocant, excogitato,* [qvanqvam profectò non primus excogitavit Plato,] *multis magnisq; philoſophos liberaſſe difficultatibus.*

§. 3. Verùm hìc ſpeciatim de Stoicis agendum eſt. Deum & Materiam duo illis eſſe rerum principia jam ſuprà Diſſ. VIII. §. 1. cognovimus è Lipſio. Audiamus ex eodem, qvid ipſos moverit.

§. 4. *Æqvè primam*, ait II. Phyſ. Stoic. 2. p. 58. *æternamq; eam faciunt, atqve ipſum Deum.* Addit: *Hæc conſenſu ferè veterum doctrina. Si enim nata factaq; materia, ex aliqvo factam neceſſum eſt: atqvi id ipſum Materia ſit. Nam illud Democriti effatum omnes receperunt, undè*

ex

ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίγνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι. Hæc ergò una, qvæ Stoicos movit, ratio eſt.

§. 5. Cognoſcamus & alteram è Lipſio licet aliud agente, I. 14. p. 32. *Ajo Stoicos mali principium non in Deo, ſed in Materiâ, (qvæ tamen Deo, ut ipſi voluerunt, ævo æqvalis & æterna,) in Materiâ inqvam conſtituiſſe. Itaqve cùm Deus homines aliaq; faceret, omnia bona & in bonum finxiſſe, ſed repugnantem aliqvam vim & malitioſam in illâ fuiſſe atqve eſſe, qvæ aliò traheret: atqve hinc interna* [moralia] *atqve etiam externa* [naturalia vocat ipſe p. 33,] *mala extitiſſe.* Stoicis ergò malorum cauſa materia: qvod & Cornel. Janſenius aſſerit Tom. II. Auguſt. f. 941. neqve viſus hactenus mihi, qvi vocaret in dubium.

§. 6. Qvid ergò eſt, qvod apud Plutarchum lego libello de anim. procr. è Timæo f. m. 1015. *In Stoicorum delabemur anguſtias, qvi malum ex non-ente abſqve causâ & procreatione introducunt, qvando de his, qvæ ſunt,* (i. e. de duobus illis principiis) *neqve bonum* (Deum,) *neqve qvalitatis vacuum* (Materiam) *probabile eſt ſubſtantiam & originem malo præbuiſſe.* Et de communibus notitiis adv. Stoicos f. 1076. *Ipſi* (Stoici) *Deum, qvi bonus eſt, malorum cauſam ſtatuunt. Non enim (ajunt) malum ex ſe potuit edere materia, omnis expers qvalitatis.* Ergò, ſi Plutarcho credimus, negaverunt Stoici, Materiam eſſe mali principium?

§. 7. Verùm bene eſt. Non Plutarchus iſta loqvitur, ſed interpres Xylander, optimè vir alioqvi de illo ſcriptore meritus, ſed hîc duobus certè locis à mente pariter ejus & ſcripturâ diſcedens.

§. 8. Res ita habet. Putaverunt gentiles, ultimam mali, non phyſici modò, ſed moralis etiam, (qvod ſolum Stoici dignum vocabulo mali putaverunt,) Materiam eſſe principium. Qvæ opinio cùm perabſurda ſit, fieri non potuit, qvin ipſi fluctuarent interdum.

§. 9. Id qvod maximè Plutarcho contigit. Hic præter Deum & Materiam tertium qviddam introducit, & ut Gaſſendi utar verbis ſect. I. Phyſ. lib. 1. c. 5. (Tom. I. Oper. f. 156:) *aſſignat Materiæ, anteqvam Mundus conderetur, animam qvandam ſeu formam brutam, qvæ fuerit in ipsâ motuum inconditorum principium.* Huic igitur animæ malum ſuos natales debere arbitratur, qvippe qvod nec ex Deo eſſe poſſet, qvi ſit ſummè bonus, nec ex materiâ, qvæ planè ἄποιος μήτε κινεῖν ἑαυτὴν, μήτε σχηματίζειν πεφυκυῖα, ſic enim loqvitur in ſeqventibus alterius loci.

§. 10. Qvin & perſvadere nobis conatur, hanc ipſam fuiſſe Platonis mentem, qvi mali principium illud ſæpè neceſſitatem (ἀνάγκην,) in de legibus autem apertè animam inordinatam atqve maleficam, (ψυχὴν ἄτακτον καὶ κακοποιὸν) dixerit. Enimverò, ut in lib. de Iſ. & Oſir. loqvitur Plutarchus f. m. 370. *apertè ibi & absq; figurâ profeſſum eſſe Platonem, Mundum non unicâ animâ, ſed compluribus fortaſſe, ad minimum autem duabus cieri, qvarum una boni ſit efficax, altera ejus contraria, & contrariorum opifex.*

§. 11. De Platone non eſt hîc agendi locus. Id unum tamen ſufficiat monuiſſe, ne Plutarchum qvidem inficiari, qvòd fuerint, qvi mali principium illud ex mente Platonis interpretarentur materiam. Qvicqvid interim ſit de Platone, videndum hîc, qvid de Stoicis nobis ſuggerat Plutarchus.

§. 12. Is verò ſic ſentit, ipſos, qvoniam duo tantùm, non tria concedant principia, evitare non poſſe alterum è duobus abſurdis, ut aut malum dicant causâ omni carere, aut, cauſam ſi habeat, eſſe à Deo: à materiâ qvidem certè, ut qvæ movere ipſa ſe neqveat, eſſe non poſſe. Non ait Plutarchus, eos horum alterum docere, (culpam enim mali in materiam conferebant utiqve,) ſed ex eorum hypotheſibus hoc ſeqvi etiam invitis ipſis, innuit.

§. 13. Qvare Plutarchi verba vertenda ſunt aliter. Græca ſic ſonant f. 1015. αἱ γὰρ Στωικαὶ καταλαμβάνουσιν ἡμᾶς ἀπορίαι, τὸ κακὸν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἐπεισάγοντας· (Xylander vertit, qvaſi ſcriptum eſſet ἐπεισαγόντων·) ἐπεὶ τῶν γε ὄντων οὔτε τὸ ἀγαθὸν, οὔτε τὸ ἄποιον εἰκός ἐστιν οὐσίαν κακοῦ καὶ γένεσιν παρασχεῖν. *Incidemus enim,* inqvit, (puta, niſi tertium principium admittamus,) *in Stoicas anguſtias, & malum absq; causâ & procreante principio deducemus ex non ente, ſiqvidem veroſimile non eſt, ut ſive bonum illud ens, ſive alterum expers qvalitatis eſſentiam & originem præbuerit malo.* Seqvitur ſtatim, hoc tam grande abſurdum facilè caveri à Platone potuiſſe, utpote qvi tertium illud principium non prætervideri t.

§. 14. Alter Plutarchi locus f. 1076. integer eſt talis: Μενάνδρῳ μὲν εἰπόντι θεατρικῶς,

Ἀρχὴ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις κακῶν
Τὰ λίαν ἀγαθά, - - -

δυσκολαίνουσι, τοῦτο γὰρ εἶναι παρὰ τὴν ἔννοιαν, αὐτοὶ δὲ τῶν κακῶν ἀρχὴν ἀγα-

ἀγαθὸν ὄντα τὸν θεὸν ποιοῦσιν. οὐ γὰρ ἥγε ὕλη τὸ κακὸν ἐξ ἑαυτῆς παρέσχηκεν. ἄποιος γάρ ἐστι, καὶ πάσας, ὅσας δέχεται, διαφορὰς ὑπὸ τοῦ κινοῦντος αὐτὴν καὶ σχηματίζοντος ἔσχηκεν. εἰ δὲ αὐτὴν ὁ λόγος ἐνυπάρχων (deeſt κινεῖ) καὶ σχηματίζει, μήτε κινεῖν ἑαυτὴν μήτε σχηματίζειν πεφυκυῖαν. ὥστε ἀνάγκη τὸ κακὸν ἢ μηδὲ δι᾽ οὐδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ἢ δὲ διὰ τὴν κινοῦσαν ἀρχὴν, ἐκ τοῦ θεοῦ γεγονὸς ὑπάρχειν. *Eqvidem Menandro, qvi pro theatro dixerit:*

Homini malorum cauſa ſunt graviſſima,
Bona magna valdè, - - -

indignantur (Stoici.) *Hoc enim* (ajunt) *eſſe contrà communem ſenſum,* (ſi qvis nempe dicat, magnum bonum eſſe maximam cauſam mali.) *At ipſi tamen Deum, licet bonus ſit, principium faciunt malorum,* (per conſeqventiam ſcilicet: nam expreſsè adeò non mali culpam in Deum conferunt, ut ſolius boni autorem faciant potiùs.) *Etenim materia malum ex ſe ipſâ non prabuit, cùm ſit expers qvalitatis, & qvotcunq; differentias recipit, eas à movente ipſam & formante* (Ratione) *acceperit. Qvòd ſi ergò inhabitans Ratio movet illam & format, movendi formandiq; ſui aliàs impotem:* (ſemiperiodum hanc planè omittit Xylander,) *neceſſe eſt malum aut ex non-ente natum eſſe, aut ex Deo, ſi à movente aliqvo principio proficiſcitur.* Manifeſtè Plutarchus hîc non ſibi negotium ſumit exponendi, qvid profeſſi fuerint Stoici de principio mali, ſed abſurdam hoc de argumento ſententiam ex ipſorum, qvibus aliàs parum favebat, hypotheſibus eliciendi.

§. 15. Simili prorſus ratione Origenes Paganos univerſim oppugnat, qvi cùm mali cauſam eſſe materiam dicerent, eandem tamen qvalitatis facerent expertem. Dicit enim hinc ſeqvi, ut Deus potiùs ſit malorum cauſa: σκεπτέον εἰ τὰ κακὰ ποιότητες ὑπάρχουσιν οὐσιῶν, ἡ δὲ ὕλη ἄποιος ἦν, τῶν δὲ ποιοτήτων ποιητὴν εἴπας τὸν θεὸν εἶναι, ἔσται καὶ τῶν κακῶν δημιουργὸς ὁ θεός, c. 24. Philocal. p. m. 85.

DISSERTATIO XIII.

Ad Theſ. XII. u.

Stoici Fati malignitas.

§. 1.

FAtum Stoicum etiam pueris eſt in ore. Qvantum in eo impietatis occultetur, ne qvidem eruditi omnes exploratum habent ſatis. Libertatem Dei vinculis fati hujus conſtringi, monuimus obiter diſſert. II. §. 33. dum Fatum Stoicum & Epicuream Fortunam inter ſe comparavimus. Hic rem ipſam non explicare modò, ſed firmare qvoqve documentis placet, præſertim cùm Lipſius dogmati deteſtando ſuum *optimè optimè* acclamet I. Phyſ. Stoic. 12. p. 25: & *aſperum* de Deo *ſermonem Stoicorum etiam vero*, ut putat, *ſenſu miteſcere* jubeat p. 27. In qvo fecit, qvod mali ſolent hiſtorici, qvi vitiis Principum adulantur: ipſe ſibi nec ſatis conſtans, nec nimis fidens, ut è lib. ejus I. de Conſtant. c. 18. obſervat amicus noſter M. Barthol. Francus c. 3. Diſp. I. de Fato.

§. 2. Fatum Stoicorum, ſi receſsûs ejus intimos ſcruteris, impietatum ſentina eſt. Adimit enim homini libertatem, omnipotentiam Deo. Utrumqve vi neceſſitatis, qvam implicat in ipsâ etiam Chryſippi definitione, qvam Lipſius prolixè interpretatur.

§. 3. Eſt in eâ mendum aliqvod, in recentiſſimas etiam Gellii (is enim lib. VI. c. 2. illam ad nos transmiſit,) editiones propagatum, nec à Lipſio extritum ſatis. Cui medicinam adferre tametſi ad hanc diſputationem nihil intereſt magnoperè, afferemus tamen *ὡς ἐν παρόδῳ.*

§. 4. Fatum Chryſippus dicebat eſſe *φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, καὶ μετὰ πολὺ μὲν οὖν ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς.* Vocabula *μετὰ πολὺ μὲν οὖν* hunc usqve in diem exhibent codices impreſſi, qvos inſpexi, omnes, niſi qvod Pariſinus Joannis Petiti A. 1508. excuſus, cui ſolenne eſt accentûs juxta cum ſpiritibus omittere, pro qvatuor vocibus dat duas, *μεταπολυμεν ουν.* Cæterùm illa qvatuor ſenſum habent qvidem etiam

tiam tironibus notum, ſed qvi adeò nihil ad rem præſentem faciat, ut per eum cohæſio potiùs labefactetur.

§. 5. Sapuit ergò ille, cujus interpretationes græcorum apud Gellium habentur, qvòd ea ſibi cùm reliqvam definitionem verteret, planè tranſilienda ſtatuit. David qvoqve Chytræus in explicationibus vocabulorum Neceſſitatis, Fati &c. lit. C. p. 5. (*μετὰ πολὺ μὲν*) parentheſi includit, voces nempe ſibi ſuſpectas, & inter vertendum neglectas.

§. 6. Ludovicus Vives ad Auguſtini V. de Civit. Dei 8. f. m. 293. integram Chryſippi definitionem ex Gellio proferens ita citat poſtrema verba: *καὶ ἀμεταβολουμένων οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς*, & vertit: *eſſeq; immutabilium ejusmodi complicationem.* Habuiſſe ergò videtur codicem, qvi omiſerit *ἀπαραβάτου*, qvatuor autem præcedentia vocabula coarctaverit in unum. Illud malè, hoc bene.

§. 7. Lipſius I. Phyſiol. Stoic. 12. haud ſcio ab ingenio, an è condice, *ἀμεταβόλου τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς*, exhibet. Qvanqvam enim Pariſina mea Stoicorum Lipſianorum anni 1604. p. 26. illud *ἀμεταβόλου* planè omittit: habent tamen aliæ, ut Cardoniana Lugdunenſis Tom. I. Oper. f. 830. Vertit autem: *immutabili & inviolabili hâc complicatione.* Lectionem Lipſii, qvanqvam nomen ejus tacetur, video & à Voſſio retineri II. de orig. Idol. 49. p. 577. (vel f. 290. majoris edit.)

§. 8. Sed Vivetis ſcriptura magis accedit ad faciem impreſſorum. Scribe tamen potiùs *μεταβαλλομένων*, aut *μεταπολουμένων*. Qvorum prius ita placebat *τοῦ πάνυ* Reineſio, cùm eum ſuper hâc noſtrâ conjecturâ conſuleremus, ut ipſe tamen mallet *μετακυλινδουμένων*, vel *μετακυλιομένων*. Qvicqvid horum elegeris, non multum receſſeris à ſcripturâ vulgatâ.

§. 9. Emendationes autem illas juvat vel ipſius Gellii paraphraſis, liberior illa qvidem, ſed digna, qvæ cum græcis verbis contendatur. Totam definitionem ſic ille vertit: *Fatum eſt ſempiterna qvædam & indeclinabilis ſeries rerum & catena* volvens *ſemetipſa, ſeſe & implicans per æternos conſeqventiæ ordines, ex qvibus apta connexaq; eſt.* Hic *volvens* eſt ex illo *μετακυλιομένων*, vel *μεταπολουμένων*.

§. 10. Favet inſuper id, qvod antecedit, *ἐπακολουθούντων*. Voluit enim duo ſignificare Chryſippus, *ἐπακολούθησιν* rerum, (qvæ apud Gellium cap. præced. ubi vide, eſt & *παρακολούθησις*,) & *μεταπόλυσιν*, vel

vel μεταχυλισμὸν. Ergò dixit ἐπακολουθοῦντων καὶ μετακυλισμῶν. Per illam res immediatè rei nectitur; per hanc mediatè redit in priſtinum ſtatum. Illa diverſis aptat diverſa; hæc omnia, licet per ambages, reſtituit ſibi. Qvòd autumnum hiems, hanc ver & æſtas excipiunt, ἐπακολούθησις eſt; qvòd poſt duodecim menſes redit autumnus, imò qvòd anno magno exacto Stoicis totus mundus in ſua principia per circulum revolvitur, μετακύλησις. Sed hæc hactenus.

§. 11. Ad malignitatem Fati Stoici illud præcipuè pertinet, qvòd in eo Chryſippus συμπλοκὴν agnoſcit ἀπαράβατον, complicationem, ut Gellius vertit, *indeclinabilem*, vel, ut Lipſius, *immutabilem* & *inviolabilem*. Qværo, cui? & an etiam Deo, cujus omnipotentia; an etiam homini, cujus liberum arbitrium ex hâc immutabili neceſſitate periclitatur?

§. 12. Ad utrumqve Chryſippi cognoſcamus reſponſionem, & incipiamus à poſteriore: in qvo Stoicis aliæ gentilium ſectæ magis qvàm in priore obſtrepuerunt. Æſtuat qvidem apud Gellium Chryſippus, ac laborat, ut explicet, & Fato omnia fieri, & eſſe aliqvid in nobis. Sed rectiſſimè judicavit magnus alioqvi paſſim fautor Stoicorum Cicero apud Gellium in fine capitis, non expediſſe ſe Chryſippum in eâ qvæſtione. Etenim, (verba Ciceronis ſunt p. 148. de fato,) *dum verbis utitur ſuis, delabitur in eas difficultates, ut neceſſitatem Fati confirmet invitus.*

§. 13. Etiam Lipſius ingenuè fatetur I. Phyſ. Stoic. 14. Chyſippéa illa *in adfirmatione certa, in explicatione involuta eſſe.* Hoc interpretor, perſeverare in eo Chryſippum, ut aſſerat liberum in nobis arbitrium, & peccata hominum eſſe, non fati: ſed qvemadmodùm hoc cum illis ſuis de Fato hypotheſibus cohæreat, non ſic planum feciſſe, ut liqveat Lectori. Itaqve illis etiam, qvi mitiſſimè de eo pronunciarent, ut Oenomao apud Euſeb. VI. præp. Evang. 6. viſus eſt *ſemiſervam pulcherrimam omnium humanarum rem* (voluntatem) *oſtendiſſe*, ἡμίδουλον τὸ κάλλιστον τῶν ἀνθρωπίνων ἀποδεῖξαι.

§. 14. Videmus interim, ad eas illum artes converſum eſſe, qvibus & hæretici paſſim utuntur, ut cùm abſurditatem conſeqventis negare non poſſint, ſeqvelam inficientur, licet in ſe tàm claram, ut, qvicqvid contrà garriunt, mera ſit caligo; tàm firmam, ut ex antecedente ſuo non poſſit à ſanâ ratione non deduci, ipſisq; extorqveat

qveat

qveat contradictiones. Qvalis illa Stoicorum eſt apud Auguſtinum V. de Civ. Dei 9. & 10. cùm, ut liberum arbitrium ſervent, inter neceſſitatem & fatum diſtingvunt, qvaſi fatum ipſorum non ſit *αὐτοπάτη* neceſſitas. Hæc de hominis neceſſitate.

§.15. Ad omnipotentiam Dei qvod attinet, putabant Stoici, ſalvâ omnipotentiâ ſuâ qvædam non poſſe, qvod illa ipſi pro ſimpliciter impoſſibilibus (qvanqvam reverà non erant,) haberent. Sed fuit hic illis ſtupor cum omnibus paganorum ſectis communis. Qvæ cùm ſemel omnipotentiæ divinæ capiſtrum injeciſſent in eo, qvod negaverunt, poſſe Deum ex nihilo qvicqvam creare, (cui imbecillitati ut ſubvenirent, Materiam increatam, in cerebro natam ſuo, gratificatæ ſunt illi,) non ſunt veritæ hoc etiam addere, qvæ neceſſarias haberent ex materiâ ſeqvelas, vitari à Deo non poſſe, nec effici à Deo, qvæ pati materia recuſaret: qvale qvid putaverunt eſſe viſum talparum, ut oſtendi §. 32. & ſeqq. Diſp. eo de argumento.

§.16. Diſſenſum à ſanctiſſimâ Religione noſtrâ, qvæ Deo tantam tribuit potentiam, *ut de lapidibus etiam ſuſcitare poſſit filios Abrahæ*, Matth. 3. v. 9. nemo clariùs profitetur Galeno lib. XI. de uſu part. c. 14. Tom. I. Op. f. 379. *Neqve enim ſi lapidem repente velit facere hominem Deus, efficere id poterit. Atqve id eſt, in qvo opinio noſtra ac Platonis, tùm aliorum, qvi apud Græcos de rerum naturâ rectè conſcripſerunt, à Moſis diſſidet. Satis enim habet is, ſi Deus materiam exornare velit, ea autem repente eſt exornata. Omnia enim Deum facere poſſe arbitratur, etiamſi ex cinere eqvum aut bovem facere velit. Nos autem non ita ſenſimus, ſed confirmamus, qvædam naturam facere non poſſe, eaq; Deum ne aggredi qvidem omninò, ſed ex iis, qvæ facere poteſt, qvod melius eſt, eligere.*

§.17. Verùm hîc de Stoicis ſigillatim expedienda res eſt, ſuſcipiendumq; patrocinium veritatis hiſtoricæ adverſus Lipſium, qvi nebulas obducit. Ubi enim ad illum Chryſippeæ definitionis ſcopulum pervenit, in qvo eſt *ἀπαράβατος συμπλοκή*, vide qvomodo circumnaviget, p. 27. Ea ſeries, inqvit, eſt *immutabilis, qvia ab immutabili Deo.* Poſteà: *Voces qvidem aſpernamur, qvæ dicunt, τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατόν ἐστιν ἀποφυγεῖν καὶ θεῷ.* Seqvitur: *Hæc talia parum decorè ex dignitate Dei dicta, --- interpretatione ad verum liqvidumq; deducas. Hoc enim vo-*

lunt, ſemel ſtatuta Deum non mutare, non qvia imbecillitas aliqva in Deo ſit, aut fatum dominetur, ſed qvia placuit ei, ſtare decreto.

§. 18. At ego contrà nunc oſtendam, & eſſe magnam imbecillitatem in Deo Stoicorum, & fatum illi dominari. Teſtis mihi Chryſippus, de qvo non pigebit locum Gellii, licet prolixiuſculum, ex lib. VI. c. 1. adſcribere. *Chryſippus in eodem libro* (περὶ προνοίας qvarto) *tractat, conſideratq́ꝫ, dignumq́ꝫ eſſe id qværi putat:* εἰ τῶν ἀνθρώπων νόσοι κατὰ φύσιν γίνονται; *i. e. naturáne ipſarum rerum vel providentia, qvæ compagem hanc mundi & genus hominum fecit, morbos qvoqve & debilitates, & ægritudines corporum, qvas patiuntur homines, fecerit? Exiſtimat autem, non fuiſſe hoc principale naturæ conſilium, ut faceret homines morbis obnoxios. Nunqvam enim hoc conveniſſe naturæ autori, parentiq́ꝫ rerum omnium bonarum. Sed cùm multa, inqvit, atqve magna gigneret, pareretq́ꝫ aptisſima & utilisſima, alia qvoqve ſimul agnata ſunt incommoda iis ipſis, qvæ faciebat, cohærentia. Eaq́ꝫ non per naturam, ſed per ſeqve as qvaſdam neceſſarias facta dicit, qvod ipſe appellat* κατὰ παρακολούθησιν: *ſicut, inqvit, cùm corpora hominum natura fingeret, ratio ſubtilior & utilitas ipſa operis poſtulavit, ut tenuiſſimis minutisq́ꝫ oſſiculis caput compingeret. Sed hanc utilitatem rei majoris alia qvædam incommoditas extrinſecus conſecuta eſt, ut fieret caput tenuiter munitum, ictibusq́ꝫ offenſionibusq́ꝫ parvis fragile. Proinde morbi qvoqve & ægritudines partæ ſunt, dum ſalus paritur.* Qvod ad rem præſentem attinet, ſumma eſt: propoſitum Deo non fuiſſe, ut faceret hominem ægrotabilem: talem tamen extitiſſe hominem ob ſeqvelas neceſſarias. Cujus, niſi Fati?

§. 19. Secundùm ergò Chryſippum ordo hic eſt. Primò geſtiebat Deus hominem facere nulli obnoxium morbo. Secundò, interpellabat Fatum, negabatq; hoc fieri poſſe. Tertiò, Deus igitur fecit, qvantum potuit. Fecit hominem; morbum, cùm impedire non poſſet, permiſit. Vides Chryſippi Deum tam invalidum, ut hominem nulli morbo pervium fingere non poſſet, materiâ nimirum voluntatem ejus eludente.

§. 20. Seqvitur ergò, ut Deus hic ſit ſervus neceſſitatis, h. e. fati, planè ut ajebat Philemon:

δοῦλοι βασιλέων εἰσὶν, οἱ βασιλεῖς θεῶν,
ὁ θεὸς ἀνάγκης,

qvan-

qvanqvam ad hanc vocem ipſe Lipſius exhorreſcit I. 12. p. 27. Cui nec in illâ de origine malorum qvæſtione ſatisfaciunt Stoici I. 14.

§. 21. Igitur aliam reſponſionem Diſſert. ſeq. &, ut habet inſcriptio, firmiorem, ſed ex Eccleſiæ ſcriptoribus, afferre conatus eſt. Ita Stoicos damnavit, materiam apponentes Deo: cur non & damnavit, Fato invalidiorem Deum facientes? Vidit unam impietatem: cur non & alteram?

§. 22. Nimirum paſſus ſibi eſt imponi à Seneca. Scripſerat ille VI. de Benef. 23. *Non externa Deos cogunt, ſed ſua illis in legem voluntas eſt.* Et præf. Nat. Qv. *Nec Deus ob hoc minùs liber aut potens eſt. Ipſe enim eſt neceſſitas ſua.* Hæc ubi ex eo Lipſius, mox ſubdit p. 27: *Vides pium ſenſum? Nec fortaſſe aliter apud germanos Stoicos in totâ re fati fuit.*

§. 23. Atqvi nemo germanior Stoicus fuit Chryſippo, de qvo notum illud:

εἰ μὴ γὰρ Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά,

laudatum ipſi Lipſio I. Manud. 11. p. 29. Hunc tamen miſerrimè concidentem vidimus in hâc cauſâ, & fatentē planè contraria Senecæ, eſſe extrà Deum, qvod eum cogat; neqve ipſum eſſe neceſſitatem ſuam, ſed aliud qvid, qvod ſeqvelas habeat neceſſarias, h. e. Materiam.

§. 24. Qvid? Opponamus Senecæ non Chryſippum, ſed Senecam ipſum, & qvidem ex eâdem præf. Qv. Nat. prope fin. *Qvàm utile,* inqvit ibi p. 723. *exiſtimas, iſta cognoſcere: --- Deus qvicqvid vult, efficiat? an in multis rebus illum tractanda deſtituant, & à magno artifice pravè formentur multa, non qvia ceſſat ars, ſed qvia id, in qvo exercetur,* (Materiam rectè interpretatur Lipſius I. Phyſ. Stoic. 14. p. 32.) *INOBSEQVENS arti eſt?* Hoc poſterius haud dubium qvin germaniſſima ſit Stoicorum animi ſententia. Neqve negat hoc Lipſius. Poterátne ergò clarioribus verbis enunciare Seneca, non omnia Deum, qvæ velit, efficere, & eſſe extrà ipſum inobſeqvens aliqvid, qvod cogat invitum velle, qvod initiò noluerit? Ut adeò *velit, non qvia vult, ſed qvia neceſſitas ipſum velle compellit,* qvemadmodùm loqvitur Oenomaus apud Euſebium VI. præp. Evang. 6.

§. 25. Itáne, inqvies, ſibi contradicit Seneca? Suſtine pauliſper, oſtendam tibi præſtigias non unas. Deus apud Stoicos jam activam illam eſſentiam ſignificat, qvâ velut animâ ſuâ regitur Mundus; jam

Mundum ipſum totum, h. e. illud ex activo principio, qvod ſtricte eſt Deus, & paſſivo, qvod Materia, compoſitum. Vid. Lipſ. I. 5. Eſt ergò extrà *partialem* illum Deum, (liceat ita loqvi, ut meliùs intelligar,) qvod ipſum cogat: non eſt extrà *totalem*. Habes præſtigias, qvibus effici potuit, ut cùm maximè ſectæ ſuæ conſentanea diceret Seneca, negans ab externis cogi Deum, nobiſcum tamen ſentire videretur.

§. 26. Nunc alteras inſpice, qvibus ipſe miſer ſalvo fato pacare conſcientiam reclamantem, qvæ Fati non ſervum, ſed Dominum dictabat illum à paſſivo principio diſtinctum Deum, conatus eſt. Sic argumentabatur, (nec enim aliter procedunt, qvæ ex illo concludit Lipſius:) Deus vult fatum. E. dominatur fato. E. non cogitur à fato. E. per fatum fatis liber eſt, fatis potens. Rectè omnia, ſi voluntas illa fatum *anteceſſit*. Atqvi docuimus nos, per Stoicos, per ipſum adeò Senecam, voluntatem illam Dei, qvæ fato conformis eſt, non *praire* fato, (qvæ enim præit, difformis eſt, per §. 19.) ſed *ſuccedere*, & ita ſuccedere, ut velit, qvia aliter non poteſt; non poſſit autem propter externum inobſeqvens, non propter ipſorum inter ſe terminorum repugnantiam ſimplicem. Ex qvibus efficitur, ut nec libera magis illa Dei ſit voluntas, nec magis ampla potentia, qvàm hominis alicujus, qvi cùm in materiâ pervicaci non poteſt, qvod vult, cogitur velle, qvod poteſt. Secundùm hæc Lipſius diſſolvere Senecæ ſtrophas potuiſſet.

§. 27. Verùm ne ſolus videatur Stoæ patrocinium ſuſcepiſſe, ad Auguſtinum qvoqve arbitrum provocat, qvi lib. V. de Civ. Dei c. 8. rejecto fato Aſtrologorum infert: At qvi omnium connexionem ſeriemq; cauſarum, qvâ fit omne, qvod fit, FATI nomine appellant, *non multum cum eis de verbi controverſiâ certandum atqve laborandum eſt*, qvandoqvidem ipſum cauſarum ordinem & qvandam connexionem ſummi Dei tribuit voluntati. *Addit alia*, (ſic pergit Lipſius) *& alibi*, (in marg. notatur cap. 9. ejusd. libri,) *ex ipſo Senecâ approbat hanc eorum mentem eſſe*.

§. 28. Sed hæc nihil juvant Lipſium. Qvid nono capite agat Auguſtinus, mox §. 30. dicam. In mentem qvidem Stoicorum ex Senecâ inqvirit non nono, ſed ipſo octavo capite. Mens autem hæc eſt, qvòd *fatum ſit ſummi Dei voluntas*. Qvod qvoniam ambiguè dicitur, qvo ſenſu probari aut rejici oporteat, intelligi poteſt ex iis, qvæ diximus

Digitized by Google

mus paulò ante §.26. Fatum ſcilicet Stoicum Stoici Dei voluntas eſt *antecedenter*, non *conſeqventer*.

§. 29. Qvâ in re fatendum eſt, S. Patrem benigniùs fuiſſe Stoicorum mentem interpretatum, qvam illorum principia permitterent. Verùm in illo capite 8. non tam propoſitum illi fuit, ultimam ſententiam Stoicorum expedire, qvàm de vocabulo *Fati* qvid ſentiat, exponere. In qvo negat videlicet, ſe velle λογομαχεῖν, ſi commodâ notione uſurpetur. Atqvi nos ſententiam hîc Stoicorum qværimus, & eam ſententiam, in qvam ſunt cogentibus ſuis principiis deducti, qvamq; ſibi relicti profitentur, non in qvam ipſos à ſe deficientes impulit interdum major vis conſcientiæ, & impietatis ſuæ pudor.

§. 30. Capite verò nono qvanqvam Ciceronem maximè oppugnat Auguſtinus, qvi divinam futurorum præſcientiam à Stoicis aſſertam, qvòd eâ metueret liberum jugulari arbitrium, ſuſtulerat: tantum abeſt tamen, ut vel ſententiam Stoicorum de Fato, vel lingvam valdè probet, aut illos, qvod Lipſius facit, palpo percutiat, ut hæc in eo legamus potiùs f. 294. *Qvoqvo modo ſe habeant tortuoſiſſimæ concertationes & diſputationes Philoſophorum, nos ut confitemur ſummum & verum Deum, ita voluntatem ſummamq; poteſtatem* (contrà Stoicos) *& præſcientiam ejus* (contrà Ciceronem) *confitemur. Nec timemus, ne ideò voluntate non faciamus, qvod voluntate facimus, qvia id nos facturos ille præſcivit, cujus præſcientia falli non poteſt: qvod Cicero timuit, ut oppugnaret præſcientiam: & STOICI* (vide & init. cap. ſeq.) *ut non omnia neceſſitate fieri dicerent, qvamvis omnia fieri Fato contenderent.*

§ 31. Et f. 296. *Omnia FATO fieri non dicimus, imò nulla FATO fieri dicimus: qvoniam fati nomen, ubi ſolet à loqventibus poni, id eſt in conſtitutione ſiderum, qvâ qvisqve conceptus aut natus eſt, qvoniam res ipſa inaniter aſſeritur, nihil valere monſtratur. Ordinem autem cauſarum, ubi voluntas Dei plurimum poteſt, neqve negamus, neqve FATI vocabulo nuncupamus, niſi fortè ut fatum à fando dictum intelligamus, i.e. à loqvendo. Non enim abnuere poſſumus, eſſe ſcriptum in literis ſanctis* (Pſal. 61. v. 12.) *ſemel locutus eſt Deus. ---- Hâc itaqve notione poſſemus à fando Fatum appellare, niſi hoc nomen in aliâ re ſoleret intelligi, qvò corda hominum nolumus inclinari.*

§. 32. Et f. 297. *Contendat ergò Cicero cum eis, qvi hunc cauſarum ordinem dicunt eſſe fatalem, vel potiùs ipſum FATI nomine appel-*

lat, qvod nos abhorremus, præcipuè propter vocabulum, qvod non in re verâ conſvevit intelligi.

§. 33. Et f. 298. *Qvapropter ſi mibi FATI nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem, Fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem, qvi eum babet in poteſtate,* (hoc comma videtur eſſe merum gloſſema,) *qvàm illo cauſarum ordine, qvem non uſitato, ſed ſuo more Stoici fatum appellant, arbitrium noſtræ voluntatis auferri.*

§. 34. Satis oſtenſum hactenus, qvantam vim omnipotentiæ divinæ fatum inferat Stoicum. Itaqve aſſentior Philippo Melanchthoni, cui *Fatum Stoicum eſt connexio primæ cauſæ cum ſecundis naturalibus & voluntariis talis, ut nec prima cauſa aliter ciere poſſe exiſtimetur, qvàm ut ſecundæ feruntur, nec voluntas aliter agere poſſe exiſtimetur, qvàm ut impellitur à præcedentibus cauſis, naturalibus inclinationibus & viſis, i. e. imaginatione objectorum,* lib. II. Phyſ. p. m. 134.

§. 35. Similem in modum definit Dav. Chytræus ad c. 18. Geneſ. f. m. 126. Qvi & in explicationibus vocabulorum Neceſſitatis, Fati &c. Lit. C. p. 5. & ſeqq. tres inſignes & horrendos in Stoici Fati definitione notat errores: qvòd nempe fingit (1.) Deum cauſis ſecundis alligatum, (2) humanam voluntatem neceſſariò agentem, (3.) Deum autorem ſcelerum.

§. 36. Noti qvoqve ſunt verſiculi Philippi:

Non Deus eſt numen Parcarum carcere clauſum,
Qvale putabatur Stoicus eſſe Deus.

§. 37. Inqvies: Saltem qvorundam Stoicorum iſta fuit opinio, non omnium. Ita ſentire video Goclenium, qvi in Lex. Philoſ. p. 571. ipſiſſimam Philippi definitionem, à nobis prolatam modò, Stoicis qvibusdam ita tribuit, ut in præcedentibus alios Stoicos ab his diſtingvat, qvibus Fatum ſit *decretum divinum, Deiq́; providentia:* & Lipſium hìc videri jubet. Nimirum cùm videret in Stoicorum fato definiendo diſſidere Lipſium à Melanchthone, putavit inclinandos eos eſſe diſtinctionis beneficio, qvâ Stoici in duo genera diſpenſarentur.

§. 38. Verùm inviſa nobis eſt omnis conciliatio, qvæ vim infert hiſtoricæ veritati. Hæc verò non alios nobis exhibet Stoicos, qvi germani ſint qvidem, qvàm qvi in fatum tale profiteantur, qvale depingit Philippica definitio, infeſtum & humanæ libertati, & omnipotentiæ divinæ.

§. 39.

Digitized by Google

§. 39. Qvid? Etiam in voluntatem divinam injurium illud Fatum eſt, idq́; duobus nominibus. Facit enim, ut jam velit Deus, qvæ non poteſt, jam coactus velit, qvæ mutare non poteſt. Reſpice ad §. 19.

§. 40. Has tot impietates ut incruſtarent illi Magiſtri, Fatum ſuum ſpecioſis *divinæ voluntatis providentiæq́* nominibus obvelabant. Hoc eſt, qvod fatetur ipſe Lipſius I. 12. ab init. *Fatum & Providentiam ſæpè confundi à Stoicis.*

§. 41. Ergò Vellejo qvidem apud Ciceronem I. de Nat. Deor. p. 5: cauſa fuit, cur Providentiam illam per ludibrium appellaret *Anum fatidicam Stoicorum*; Lipſio non fuit, cur eam Providentiæ, qvam in Eccleſiâ Chriſti piè religioſeq́; profitemur, habitu productam I. 11. p. 22: ſic alloqveretur: *Ades noſtra Anus, ades amanda nobis ſuper omnes Veneres & Venerum Amores.* Qvibus in verbis nec pectus hominis Chriſtiani, nec ſtylum agnoſcas. Qvid enim Chriſto cum Belial? Qvid Providentiæ noſtræ cum Fato Stoico? Qvid religioſo amori cum gentilium Veneribus?

§. 42. Optem potiùs cum Auguſtino è V. de Civ. Dei 1. ut qvi è noſtris *Dei voluntatem vel poteſtatem Fati nomine appellat, ſententiam teneat, lingvam corrigat.*

§. 43. Chryſippeum Fatum ne Platonico qvidem conferri meretur, nedum Providentiæ Chriſtianæ. Platonici ſic diſtingvebant, ut *prima Providentia Fatum contineret, ſecunda ipſum eſſet Fatum, tertia, qvæ ex Fato eſſet.* Agnoſcit hoc Lipſius p. 25: & addit, tot diſcriminum incurioſos Stoicos iſta omnia confundere ſæpè cum Deo, qvod & Diſſert. ſeq. §. 39. patebit è loco Plutarchi

§. 44. Enimverò ſic eſt, *Deus, Materia, Mundus, Providentia, Neceſſitas, Fatum, Natura,* (neſcio an rectè Turnebus annot. in Plutarch. de def. orac. p. 100. addat, *Fortuna;* hanc enim vocem Epicureis puto relictam velint,) fœdiſſimâ confuſione ſic miſcentur à Stoicis, ut horum nomina paſſim inter ſe permutent. Cauſa eſt in promptu: qvia Deum & Materiam perſvaſi fuerunt Fati qvodam glutine ab æterno ita compingi, ut unum per ſe non minùs conſtituant, qvàm anima & corpus, qvod Diſſert. ſeqvente planiſſimum fiet.

§. 45. Hoc Platoni certè ſecus viſum. Qvi cùm ſimul certum haberet, Deum non coactum neceſſitate naturæ, ſed volentem, qvo ſibi placuiſſet tempore, ſenſibilem Mundum ex præjacente materiâ excitaviſſe:

citaviſſe: potuit profectò & Providentiam Dei à Fato ex Materiâ oriundo diſtingvere, & Deo tantum ſaltem poteſtatis in hoc Fatum relinqvere, ut ſuo arbitrio, non Fati, vel reſolvere genita poſſet in chaos, vel illis condonare futuri temporis perennitatem: id qvod intelligi potuit è Diſſ. III. §. 15. & ſeqq.

§. 46. Neutrum ex his Deo Stoicorum licet, qvippe qvi nec accelerare interitum Mundi ante anni magni periodum, nec differre, ubi fatalis hora venerit, minimè omnium ſubmovere penitus poteſt, ſed æternis à Fato circulis cogitur jam converſo in cineres mundo abdere ſe in materiæ ſinum, jam ad inſtar embryonis dilatare ſe paulatim, & in animalis perfecti figuram induere.

§. 47. Huic neceſſitati cùm ſubtrahere nullo modo ſe Deaſter ille poſſit, ſapiunt videlicet Stoici, qvòd ipſum ea volentem inducunt, qvæ corrigere non valet; nos deſiperemus, ſi hanc Stoici Numinis voluntatem ſuperiorem eſſe Fato crederemus.

§. 48. In qvo ſi ipſi fortaſſe alicubi reclamant, clamores iſtos ſciamus non ex concluſionibus illius Philoſophiæ, ſed ex inſitis humano generi notitiis, impietatem iſtam deteſtantibus, proficiſci.

§. 49. Sic Lucretium Epicureum Lactantius lib. VII. c. 12. obſervat, oblitum qvid aſſereret, & qvod dogma (mortalitatis animorum) defenderet, hos verſûs poſuiſſe:

Cedit item retrò, de terrâ qvod fuit antè,
In terram; ſed qvod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſus cœli fulgentia templa receptant.

Qvod ejus, ait Lactantius, *non erat dicere, qvi perire animas cum corporibus diſſerebat. Sed victus eſt veritate, & imprudenti ratio vera ſurrepſit.*

§. 50. A Fato Stoico deſtrui tùm libertatem noſtram, tùm Dei providentiam, agnoſcit etiam, ac pluribus confirmat Raynaudus diſtinct. 8. Theol. nat. n. 104. & 196. p. 885. & 951.

§. 51. Etiam Voſſius lib. II. de orig. Idolol. c. 49. f. 292. agnoſcit, ſcientiam Fati Stoici & pietati & virtuti obeſſe magis, qvàm prodeſſe. *Nam qvantillus*, inqvit, *pietatis, vel qvis bonos erit virtutis, ſi nihil agere aliud qveam, qvàm faciam?* Huic objectioni cùm oſtendiſſet Lipſium I. Phyſ. Stoic. 14. ea reponere, qvibus planè contraria dixerint Stoici, ſic pergit: *Longè aliud fuiſſet, qvo Stoici hoc ſe argumentum elude-*

eludere poſſe arbitrarentur. Nempe non urſiſſent principia illa de Fato, unde, qvid ſeqvatur, non diſputabo, ſed principia alia de vitâ non ſecundùm affectûs, verùm rationem componendâ. Et profectò cogitemus ipſum Sectæ conditorem, à qvo proverbium illud, τοῦ φιλοσόφου Ζήνωνος ἐγκρατέστερος, philoſopho Zenone continentior. *Cogitemus etiam Catonem, Senecam, Epictetum & tot alios. Fateri cogemur, genuinos Stoicos vitæ probitate nulli ex ſectis aliis fuiſſe inferiores. Ut videri qveant alia habuiſſe principia vivendi, alia differendi.*

DISSERTATIO XIV.

ad Theſ. XII. vv.

Stoicus Deus forma Mundi informans.

§. 1.

DEum Materiæ conglutinabant Stoici ad eum modum, qvo anima hæret corpori, h. e. in materiâ ipſum obire jubebant officium formæ non *aſſiſtentis*, ſed *informantis*, ſic enim loqvimur in Scholis. Tetigi hoc Diſſert. II. §. 17. cùm qvatuor Græcorum Sectas dividerem, & Stoicos hoc nomine dirimerem à Platone pariter & Ariſtotele.

§. 2. Sic enim eſt: Plato & Ariſtoteles Deum (ſummum intellige) Materiæ ut architectum lignis, aut Solem opaco, qvod illuſtrat, externum; Stoici ut Animam Corpori internum ſtatuebant. Illi ſeparabant à Materiâ; hi cum eâ miſcebant. Illis Deus & Materia duo tota; his duæ partes unius per ſe. Illis Deus Mundi cauſa efficiens externa, forma verò non niſi aſſiſtens; his contrà forma informans, efficiens verò non niſi interna. Utrisqve ergò forma ſimul & efficiens cauſa: ſed illis efficiens magis, qvàm forma; his magis forma qvàm efficiens.

§. 3. Tot figuris pugnantes ſententias diſtingvere placuit, ut illuſtrior ſit horum diſcriminum apprehenſio. Sed nunc de Stoicis præcipuè

pue documenta nobis afferre decretum eſt: ſic tamen, ut aliqvo loco Platonis qvoqve & Ariſtotelis doctrina luſtretur.

§. 4. Spero confectam rem fore, ſi oſtendero, Stoicum Deum (1.) intimè inſinuatum eſſe Mundo, & qvidem (2.) per modum partis formalis, (3.) qvalis eſt anima in corpore, ita, ut (4.) cum eo conſtituat unum per ſe compoſitum, alterq; alteri & (5.) nomen ſuum, & (6.) proprietates communicet. In *ſex puncta* ſententiam digeſſi. De ſingulis agam ordine. Meſſem ingentem prævideo, maximè ubi de animâ Mundi, qvod tertium caput eſt, loqvendum fuerit: ſed fore confido, ne nos operæ pœniteat.

§. 5. PRIMUM eſt, *intimè Deum inſinuari Mundo.* Plutarchus I. de plac. Philoſ. 7. f. 881. 882. οἱ Στωϊκοὶ θεὸν ἀποφαίνονται —— πνεῦμα διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου. *Stoici Deum pronunciant eſſe Spiritum, qvi per totum penetret mundum.* Definitionem hanc Lipſius I. Phyſ. Stoic. 7. p. 15. tribuit Zenoni. Athenagoras Leg. pro Chriſtian. f. m. 9. inter Stoicorum placita: τὸ πνεῦμα αὐτοῦ (θεοῦ) διήκει δι' ὅλου τοῦ κόσμου. Simile ex alio Athenagoræ loco, cùm ait, Spiritum Dei per materiam transgredi, dedimus Diſſert. VII. §. 3. Clemens Alexandrinus Protrept. f. 23. ed. Heinſ. οὐδὲ μὴν τοὺς ἀπὸ τῆς Στοᾶς παρελεύσομαι, διὰ πάσης ὕλης καὶ διὰ τῆς ἀτιμοτάτης τὸ θεῖον διήκειν λέγοντας.

§. 6. Idem Clemens V. Strom. f. 431. ad hoc ut ſtatuerent, διήκειν διὰ πάσης οὐσίας τὸν θεὸν, inductos ait fuiſſe Stoicos, qvòd legiſſent in ſacris de Sapientiâ Dei: διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων διὰ τὴν καθαρότητα, Sap. 7. v. 24. Sed inſervit ibi Clemens cauſæ ſuæ, cùm furta Græcorum è libris Religionis noſtræ detegere vellet. Minùs id qvidem appoſitè, ut opinor. Certè Sapientiæ liber, præſertim ſi Philonem illum famoſi nominis Judæum, qvæ doctiſſimorum hominum ſententia eſt, autorem habet, Stoicâ Philoſophiâ junior eſt. Qvomodo ergò ſuam illam phraſin ex eo furatus fuerit Zeno? Verùm non id ago nunc, ut accuſationis illius Clementinæ merita expendam. Igitur pergo.

§. 7. Fragmentum incerti Scriptoris Cenſorino addi ſolitum c. 1. *Initia rerum Stoici credunt tenorem atq; materiam: tenorem, qvi rareſcente materiâ à medio tendat ad ſummum, eâdem concreſcente rurſus à ſummo referatur ad medium.* Ad qvæ verba Pet. Jo. Nunneſius ita commentatur: *Veteres ferè omnes referunt initia rerum conſtituta* τὸν

θεὸν

θεὸν & ὕλην, ut hîc fortè qviſpiam potuerit pro tenorem *reponere literis latinis* theon. *Nihil tamen muto. Nam Stoici θεὸν faciebant τὸ πνεῦμα νοερὸν διῆκον διὰ πάντων, ut eſſet τὸ πνεῦμα σωματῶδες ex igne & aere concretum, cui tribuebant τὴν ἀντιπαρέκτασιν διὰ τῆς ὕλης, ut docet Alexander Aphrodiſienſis in libello aureo de miſtione, meliùs certè, qvàm cæteri, qvi antiqvorum ſententias phyſicas collegerunt.* Hæc ibi Nunneſius & plura.

§. 8. Liber de Mundo c. 4. f. m. 468. *λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως πνεῦμα ἥτε ἐν φυτοῖς καὶ ζώοις, καὶ διὰ πάντων διῆκον. ἔμψυχός καὶ γόνιμος οὐσία.* Cap. ſeq. f. 470. appellatur *διὰ πάντων διήκουσα δύναμις, qvæ terram omnem, mare, ætherem, Solem, Lunam & univerſum Cœlum adornaverit.* Ipſiſſima hæc eſt Stoici Dei ſeu mundanæ ſecundùm Stoicos animæ deſcriptio, ut hactenus citata demonſtrant. Qvare hi loci præter alios inſervient probandæ illorum ſententiæ, qvi ſcriptorem libri de Mundo ne qvidem Peripateticum eſſe, (nam Ariſtoteli ipſi melior doctorum confidenter abjudicat,) ſed aliqvem è Stoicis, (Poſſidonium fortè, vid. Vizzan. p. 97. ad Ocell. Lucan. ex Thomâ Aldobrandino, & Alphonſum Pandulphum de fine mundi diſp. prooem. c. I. f. 4.) exiſtimant. In qvam ſententiam memini mecum aliqvando multa familiari ſermone collocutum M. Barthol. Francum, his in literis verſatiſſimum.

§. 9. Agmen claudat hoc Tertulliani adverſus Hermogenem f. 355. *Planè à Philoſophis recedis, ſed tamen & à Prophetis. Stoici volunt Deum ſic per materiam decucurriſſe qvomodo mel per favos. At tu, non inqvis pertranſiens illam facit mundum, ſed ſolummodò apparens & appropinqvans ei, ſicut facit decor ſolummodò apparens, & magnes lapis ſolummodò appropinqvans.* Hermogenes hæreticus in eo Stoicam impietatem ſecutus erat, qvod Deo fingebat increatam coextitiſſe materiam ab æterno. Viciſſim à Stoicis receſſerat, qvòd præſentiam Dei non niſi per longa intervalla materiæ indulgebat. Ergò hîc ad Stoicos eum ſuos Tertullianus revocat.

§. 10. Ac Stoici hactenus qvidem, dum Deum intimè faciunt præſentem operibus ſuis, propiora, qvàm Ariſtoteles, docebant religioni noſtræ, unde illam Tertulliani de cerâ *metaphoram non indecoram* habet Lipſius II. Phyſ. Stoic. 8. p. 74: *nec à ſacris longinqvam:*

Z 2 ſed

ſed eosdem è Porticu Philoſophos cætera, qvæ jam ſeqventur, irreconciliabiles reddunt nobis.

§. 11. Qvod enim SECUNDUM erat, faciebant illi *Deum partem univerſi formalem.* Clarè hoc Lipſius fatetur & caſtigat I. 8. p. 18. *Nam qvod illos,* inqvit, *longiùs duxit & induxit, hoc fuit, qvòd ſociabant hunc Animum* (Deum) *cum Mundo, ut partem & formam.*

§. 12. Cicero I. Acad. Qv. p. 43: *De Naturâ ita dicebant, ut eam dividerent in res duas, ut altera eſſet* efficiens, *altera autem qvaſi huic ſe præbens, ex qvâ efficeretur aliqvid. In eo, qvod efficeret, vim eſſe cenſebant; in eo antem, qvod efficeretur, materiam qvandam; in utraqve utrumq; : neq; enim materiam ipſam cohærere potuiſſe, ſi nullâ vi contineretur, neq; vim ſine aliqvâ materiâ.* Rectè obſervavit Nizolius in Theſ. Cicer. voce Efficiens, *efficientem* hìc pro *formâ* uſurpari. Neqve novum eſt Philoſophis ut materiam appellare principium paſſivum, ſic formam activum. Cæterùm loqvitur ibi qvidem Cicero de Academicis: ſed certum eſt in Stoicos hæc meliùs qvadrare. Sanè verò Lipſius ipſe locum Ciceronis, tanqvam de Stoicis valentem, profert I. 4. p. 10.

§. 13. Qvanqvam verò addit, Naturam ſic dividi Platonicum eſſe qvoqve: ſciendum tamen, in illâ diviſione explicandâ longè aliter Platonem eſſe verſatum, aliter Stoicos, Ciceronem autem Stoicis propiora dicere. Plato Deum non *formam* eſſe Mundi dixiſſet, ſed δημιουργὸν, ſeu *opificem externum,* nec ita affixum materiæ, *ut alterum ſine altero* (id qvod tamen verba Ciceronis innuunt,) *eſſe non poſſet.* Sanè Platoni apud Plutarchum I. de plac. Philoſ. νοῦς ὁ θεὸς χωριστὸν εἶδος, τουτέστι τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης, μηδενὶ παθητῶν συμπεπλεγμένον.

§. 14. Inter Stoicos & Platonem hâc in re alia etiam diſcrimina ſuggeret Ariſtocles apud Euſebium lib. XV. præp. Evang. f. 477. Στοιχεῖον εἶναί φασι τῶν ὄντων τὸ πῦρ, καθάπερ Ἡράκλειτος. τοῦ ὅλου a) δ᾽ ἀρχὰς ὕλην καὶ θεὸν, ὡς Πλάτων. ἀλλ᾽ οὗτοι (Stoici) ἄμφω σώματά φασιν εἶναι καὶ τὸ ποιοῦν, καὶ τὸ πάσχον, ἐκείνου (ad Platonem hoc ſpectat,) πρῶτον ποιοῦν αἴτιον ἀσώματον εἶναι λέγοντος. Hoc ergò diſcrimen unum eſt, qvod inter Platonem & Zenonem qvoq; ſtatuit Hiſtoria Philoſoph. Galeni tit. de Naturali Philoſophiæ genere, f. m. 3. Platoni videlicet incorporeum ens Deus erat, Stoicis corporeum.

a) Sic lego, pro τούτου. Sanè verò Stoici non ignem, qvi ipſis Deus, ſed Naturam, Deo & Materiâ conſtantem, atqve adeò hoc univerſum ſic dividebant.

Emen-

Emendationis autor mihi Laertius in Zenon. p. 370. *δοκεῖ δ' αὐτοῖς ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο.*

§. 15. Seqvitur porrò ex mente Stoicorum paulò pòſt: *τὸ μέντοι πρῶτον παρεῖναι καθαπερεί τι σπέρμα τῶν ἁπάντων ἔχον τοὺς λόγους.* Ex hoc alterum diſcrimen eruere licebit. Plato enim in Deo ſummo non *ſemina* rerum (*λόγους σπερματικοὺς*) locabat, ut Stoici, ſed *ideas*, ut §. 55. videbimus.

§. 16. Hæc ita cùm ſint, in iſtis Tullii verbis agnoſcimus non tàm Platonis, qvàm Stoicorum ſententiam. Qvibus ideò rectè, qvanqvam tacitè, vindicavit Lactantius lib. VII. c. 3. ipſa è Cicerone verba pleraqve retinens, diſerteq; ad Stoicos accommodans, dum ait: *Stoici Naturam in duas PARTES* (ſignatiùs qvàm Cicero RES,) *dividunt: unam qvæ efficiat, alteram qvæ ſe ad faciendum tractabilem præbeat: in illâ primâ eſſe vim ſentiendi* b), *in hâc materiam; nec alterum ſine altero eſſe poſſe.* Ex his ultimis verbis obſerva obiter connexionem Dei cum Materiâ fatalem ſeu neceſſariam.

b) an pro *ſentiendi* legendum ex Cicerone, (cujus verba dedimus §. 12.) *cenſebant?*

§. 17. De duabus univerſi partibus audiamus etiam Senecam Epiſt. 65. p. m. 398. *Dicunt, ut ſcis, Stoici noſtri, duo eſſe in rerum naturâ, ex qvibus omnia fiant, cauſam & materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, ceſſatura, ſi nemo moveat. Cauſa autem, id eſt Ratio* c) *Materiam format, & qvocunq; vult, verſat, ex illâ varia opera producit.* Ibid. p. 401. *Univerſa ex Materiâ & Deo conſtant.* Ad qvæ verba Lipſius: *Non ſolùm A Deo ſed EX Deo: & ſæpe ſic loqvuntur. Qvid ita? qvia omnibus caloris & ignis aliqvid inſitum, qvi eſt ipſe Stoicus Deus, & omnia permanat.*

c) *Sic Stoici loqvi amant: qvia velut Ratione Deus per Materiam diſcurrit & operatur*, ait ibi Lipſius in Comment.

§. 18. TERTIUM erat, *id eſſe Deum Mundo, qvod animam corpori: εἰς ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ καθάπερ ἐφ' ἡμῖν τῆς ψυχῆς,* ſic enim clarè Laertius Zenone p. m. 373. Seneca Epiſt. 65. p. 401. *Qvem in hoc Mundo locum Deus obtinet, hunc in homine Animus: qvod eſt illic materia, id nobis corpus eſt.* Igitur non dubitabant Deum vocare *Animam Mundi.* Qvod illuſtrantem pluribus vide Lipſium I. 7. & 8. & II. 10.

§.19. Fecerunt idem è Schola Platonis Academici, fateor: neq; hoc latuit Lipſium dictâ diſſert. 7. p. 16. Sed cave putes, ſub iisdem verbis eandem eſſe utriusqve ſectæ ſententiam. Obſervavit diſcrimen amiciſſ. Francus Diſp. II. de Fato c. 2. §. 17.

§.20. Nos hîc ipſius Lipſii confeſſionem, qvæ legitur lib. II. Diſſ. 10, p. 78: adſcribemus: *Hoc diverſum à Platonicis noſtri habent, etſi audita ſententia, non explorata, imponat. Nam utriq; animam Mundo tribuunt, ſed diverſo* paullùm *ſenſu. Plato Mundi animam ex Deo natam vult: noſtri Deum ipſum eſſe. Illi qvoq; Deum, ſed ſecundarium qvendam, nec primum & Patrem.* Rectè omnia, niſi qvòd ſenſum utriusq; Philoſophiæ non *paullùm*, ſed verò *multùm*, imò *plurimùm* differre profitendum fuerat.

§.21. Certum hoc interim, Mundanam Animam Stoicis Deum ipſum ſupremum fuiſſe, Platoni Numinis hujus, Mundum extrà ſe condituríentis, ut è Timæo f. 1049. 1050. cognoſcimus, progeniem ſeu effectum. Diſcrimen utriusqve Sectæ obſervavit & Piccolom. c. 29. de Mundo p. 627. 628.

§.22 Qvare non probo Lud. Vivem, ad Auguſt. IV. de C. D. 11. f. 241. ita commentantem: *Stoici cum Platone Deum qvidem Mentem eſſe dicunt, ſed non utentem Mundo pro corpore. Mundum ipſum Deum eſſe, habereq; & Mentem & Animam, ſed aliam, qvàm ſit ipſe Deus.* In his paucis verbis ter peccat Hiſpanorum doctiſſimus. *Primùm* qvòd putat, Stoicos hîc cum Platone ſenſiſſe. *Deinde* qvòd Stoicum Deum negat uti Mundo pro corpore. *Tertiò* qvòd iisdem Stoicis animam Mundi aliud qvid ait fuiſſe, qvàm ipſum Deum, puta ſummum. Poſtremum hoc non Stoicorum Philoſophia eſt, ſed Platonis: cui, ut modò dixi, anima Mundi erat primi Dei effectus.

§.23. Qvi Platonem è Gentilibus ſecuti ſunt, maximè Chriſtianorum temporibus, magno conſenſu *Animam* illam *Mundi* Platonicam *tertium Deum* numeraverunt à primo & ſummo. Fuit enim hæc ipſorum Trinitas, (de qvâ locum Apuleji dabimus §. 190.) DEUS, MENS, ANIMA, ita ut *ex ſummo Deo Mens* (verba Macrobii recito I. in ſomn. Scip. 14. p. 70.) *ex Mente Anima fit.* Solebant qvippe *Dei* vocabulo Summum Numen, *Mentis* Mundum intelligibilem, *Animæ* Spiritum hujus Univerſi adſpectabilis deſignare.

§. 24.

§. 24. Porrò *Mentem* illam cognominabant *primam*, etiam cùm à ſummo Deo ſejungere cupiebant, ab eo ſatis vel ſolâ Mentis appellatione diſtinctam arbitrantes. Piccolom. p. 28. de rer. defin. *Potiores Academici Mentem primam fecerunt à Deo, qvod nec Theologi, nec Peripatetici faciunt.*

§. 25. Hinc lucem Auguſtino dabimus, qvem aliàs legens aliqvis ſuſpicari poſſit, fuiſſe Platonicos, qvi Mundi Animam ſecundum ſtatim facerent à primo Deum, non tertium demùm: Locus S. Patris eſt lib. I. de Conſ. Evang. c. 23. ubi cùm docuiſſet, Ethnicos Jovem ſuum habuiſſe pro Spiritu omnia vivificante, Patremq; Jovis Saturnum perhiberi à qvibusdam Tempus eſſe, qvòd & Græci Κρόνον ἀπὸ τοῦ χρόνου, & Latini Saturnum, qvòd ſaturetur annis, appellâſſe videantur, ſubdit (Tom. IV. f. 384.) *Erubuerunt hic Philoſophi eorum recentiores Platonici, qvi jam Chriſtianis temporibus fuerunt, & Saturnum aliter interpretari conati ſunt, dicentes, appellatum* Κρόνον *velut à ſatietate intellectûs, eò qvòd græcè ſatietas* κόρος, *intellectus autem ſive mens* νοῦς *dicitur. Cui videtur ſuffragari & Latinum nomen, qvaſi ex primâ latinâ parte & græcâ poſteriore compoſitum, ut diceretur* Saturnus *qvaſi* Satur νοῦς *d). Viderunt enim, qvàm eſſet abſurdum, ſi Filius temporis Jupiter haberetur, qvem Deum æternum vel putabant, vel putari volebant. At verò ſecundùm iſtam novellam interpretationem, (qvam veteres eorum ſi habuiſſent, mirum ſi Ciceronem Varronemq; latuiſſet,) Saturni filium Jovem dicunt, tanqvam ab illâ* Summâ Mente *profluentem Spiritum, qvem volunt eſſe velut animam Mundi hujus omnia cæleſtia & terrena corpora implentem. Unde illud Maronis eſt:* Jovis omnia plena.

d) Sic ſcribo, pro *Satur & νοῦς*. Rectiùs enim abeſt copulativa.

§. 26. *Summam mentem* hìc expone non Summum Deum, rerum omnium parentem, ſed hujus filium, qvem & *paternam Mentem* à Porphyrio appellari, & huic à Plotino de tribus principalibus Subſtantiis (περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων) diſputante Animæ (tanqvam tertiæ ſubſtantiæ) naturam poſtponi teſtatur idem Auguſtinus X. de Civ. Dei 23.

§. 27. Juvat hanc expoſitionem Ficinus, qvando in Politicum Platonis præfatus f. 528. Jovem animam Mundi, Saturnum ſupremum inter Angelos intellectum interpretatur. Juvat Piccolomineus c. 29. de Mundo p. 630. teſtatus, eſſe qvi Jovem, qvem Plato in Phœdro magnum

Digitized by Google

magnum appellet Ducem in cœlo, animam octavæ Sphæræ, eundem cum animâ Mundi interpretentur. Cælius qvoqve Rhodiginus lib. XX. antiq. Lect. c. 10. f. 1107. è Plotino refert, Mundi totius animum freqventer Jovis appellatione nuncupari à Scholâ Platonis.

§. 28. Loqvendi hanc figuram eos à Poetis & horum interpretibus mutuatos eſſe veroſimile eſt. Nam *apud Theologos* (h. e. vetuſtiſſimos Græciæ Poetas) *Jupiter eſt Mundi anima*, inqvit Macrobius I. in Somn. Scip. 17. p. 82. Et apud Ludov. Viv. ad Auguſtin. IV. de Civit. Dei 11. f. 241. *Plutarchus inqvit, qvemadmodùm nos ab animâ adminiſtremur ac regamur, ita Mundum animum habere ſe continentem, qvi Jupiter dicatur.* Græca Phurnuti περὶ τοῦ Διὸς hæc ſunt: ὥσπερ ἡμεῖς ὑπὸ ψυχῆς διοικούμεθα, οὕτω καὶ ὁ Κόσμος ψυχὴν ἔχει τὴν συνέχουσαν αὐτὸν, καὶ αὕτη καλεῖται Ζεύς.

§. 29. Utut autem in phraſi conſentiant, valdè tamen dubito, an cum hoc poetico Jove idem ſit ille Platonicorum. Etenim Poetæ conſtanter Jovem ſuum faciunt Deorum omnium absqve exceptione ſummum. In qvo fabuloſam Gentilium Theologiam ſecuta & civilis eſt. Itaqve *Varro Deum Judæorum Jovem putavit, nihil intereſſe cenſens, qvo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur. Credo*, (inqvit Auguſtinus, hujus enim verba ſunt ex cap. 22. libri, qvem §. 25. citabamus, I. de conſenſ. Evang.) *illius ſummitate deterritus. Nam qvia nihil ſuperius ſolent colere Romani, qvàm Jovem, qvod Capitolium eorum ſatis aperteq́; teſtatur, eumq́; Regem omnium Deorum arbitrantur, cùm animadverteret, Judæos ſummum Deum colere, nihil aliud potuit ſuſpicari qvàm Jovem.* Qvomodo ergò Jupiter, qvi in fabulosâ pariter & civili Gentilium Theologiâ primus Deorum eſt, poteſt idem eſſe cum animâ mundi Platonicâ, h. e. ἀρχικῶν ὑποστάσεων, ut Plotinus vocabat, poſtremâ?

§. 30. Sed hanc ineptam gloſſam nihil aliud, opinor, peperit, qvàm inſanum ſtudium, qvo gentiles iſti Platonici adversùs Chriſtianos laborabant ſuarum ſectarum concordiam, qvâ reverâ nihil eſt magis diſcors, adſtruere. Qvamobrem danda fuit opera, ut appareret, etiam de animâ Mundi idem doceri in fabulosâ Poetarum Theologiâ, qvod in naturali Philoſophorum, & in his maximè ſui Platonis.

§. 31. Favebat incepto, qvòd Jovem Poetæ facerent filium Saturni. Igitur Jove Deus prior Saturnus. Ergò ſi *Jupiter* ob eam culpam,

Digitized by Google

pam, qvòd ſe à Poetis paſſus fuiſſet Mundo includi pro animâ, meruit Platonicorum ſuffragio in *tertiis* conſiſtere: *Saturnus* ab exilio revocandus, & *ſecundas* occupare jubendus fuit. Atqve hoc docet locus Auguſtini §. 25. deſcriptus.

§. 32. Pertexamus hoc ſomnium, & qværamus, cui ergò nugatores iſti *primas* dederint, vel dediſſe debuerint? Vix dubium, qvin Patri Saturni *Cœlo*. Sed ubi hoc & qvibus argumentis fecerint, fateor nondum reperiſſe me. Hoc autem auſim affirmare, rationes in hanc rem eorum, ſi qvas attulerunt, non minus ineptas fuiſſe, qvàm qvibus è Saturno fecerunt Deum ſecundum.

§. 33. Dicat aliqvis fortè, illorum ſententiæ calculum fuiſſe à Virgilio adjectum, cùm *Ætherem* h. e. Cœlum vocat *omnipotentem Patrem*, h. e. Deum & Saturno filio, & Jove nepote ſuperiorem, Verſûs Poetæ leguntur lib. II. Georg.

v. 325. *Tùm* Pater omnipotens *fœcundis imbribus* Æther
Conjugis in gremium læta deſcendit.

§. 34. Sed profectò Virgilius ibi *Patrem* vocat non comparatione filii Saturni, aut Jovis nepotis, ſed Matris Terræ. Et Interpres Virgilii Cerda f. 312: probat *Ætherem* ibi Jovem ipſum eſſe. Itaqve & hîc Jovem iterum habemus non tertium Poeticorum Deorum, ſed primum. Taceo, qvòd Auguſtinus l. c. c. 23. f. 383. Maronis verſum citans eum ibi ſecundùm Stoicos loqvi obſervat potiùs, ut qvi Deum corpus faciat, qvàm ſecundùm Platonicos. Ergò Virgilium illi conciliatores non habent in partibus ſuis.

§. 35. Videamus an Ciceronem fortaſſe. Hic in ſomn. Scip. apud Macrob. lib. I. c. 17. novem orbes enumeranti *cæleſtis* extimus globus, qvi reliqvos omnes complectitur, diſertè eſt *ſummus ipſe Deus, arcens & continens cæteros.* Globum hunc *Saturnus* excipit, Saturnum *Jupiter*. Valdè hoc aptum putes Platonicæ Triadi, (de qvâ diximus §. 23.) ut Cœlum *Deus* ſit Platonis, Saturnus *Mens*, Jupiter *Anima Mundi.*

§. 36. Sed nobis certum eſt, nihil minùs voluiſſe Ciceronem, qvi *Mundi Mentem* in ſeqventibus non Jovem appellat, ſed Solem. Qvod & Plinius facit lib. II. c. 6. (uterqve, ſi Ludovico Vivi ad Aug. IV. de Civ. Dei 11. credimus, Homerum ſecutus,) Firmicus item citatus Lipſio II. Phyſ. Stoic. 13. p. 85. & apud Ammianum Phyſici, ut infrà patebit Diſſert. XXI. §. 5.

Aa §. 37.

§. 37. Ne Macrobius qvidem, qvi tamen ex Platone & ſimilibus tùm alibi, tùm hîc Ciceronem illuſtrare nititur, ex iſto Ciceronis loco myſterium Platonicæ Trinitatis referat. Imò ſi hunc interpretem ſeqvimur, cauſa hinc planè deſperata eſt. Qvòd enim extimum globum Cicero ſummum Deum vocavit, *non ita accipiendum eſt*, inqvit p. 82. *ut ipſe prima cauſa & Deus ille omnipotentiſſimus exiſtimetur, cùm globus ipſe, qvod cœlum eſt, Animæ* (Mundi) *ſit fabrica, Anima ex Mente* (Deo ſecundo) *proceſſerit, Mens ex Deo* (primo,) *qvi verè ſummus eſt, procurata ſit. Sed SUMMUM qvidem dixit ad cæterorum ordinem, qvi ſubjecti ſunt, unde mox ſubjicit:* arcens & continens cæteros: *DEUM verò, qvòd non modò immortale animal ac divinum ſit, plenum inclytæ ex illâ puriſſimâ mente rationis, ſed qvòd virtutes omnes, qvæ illam primæ omnipotentiam ſummitatis ſeqvuntur, aut ipſe faciat, aut ipſe contineat: ipſum deniq; Jovem veteres vocaverunt, & apud Theologos Jupiter eſt Mundi Anima.*

§. 38. Hæc & plura Macrobius, ſatis intricatè, & ne qvidem opinor ad mentem ipſius Ciceronis, præſertim cùm Plotini tres hypoſtaſes inculcat. Cicero enim profectò, cùm ſcriberet, neminem ſeqvi minùs potuit, qvàm illos Platonicorum, qvi ſe mortuo demùm Chriſtianis temporibus naſcituri erant, & Philoſophiam veterem novis expoſitionibus in faciem haud paulò diverſam recocturi. Qvos ut certum eſt, animam hujus univerſi feciſſe Deorum tertium: ita nondum iis credimus, eodem numero Poetas habuiſſe ſuum Jovem, & in eâ re ſenſiſſe cum Platone.

§. 39. Magis eſt, ut Poetæ, cùm animæ Mundanæ officium Jovi delegaverunt, propiora Stoicis dixerint. Nam & his Anima Mundi ſummus Deorum, h. e. Jupiter Poetarum. Laertius Zenone p. 371. ἓν εἶναι θεὸν, καὶ νοῦν, καὶ εἱμαρμένην, καὶ Δία. Sic apud Plutarchum de def. orac. f. 425. E. qværunt Stoici: πῶς εἱμαρμένη μία μένει, καὶ πρόνοια, καὶ οὐ πολλοὶ Δίες καὶ Ζῆνες ἔσονται πλειόνων ὄντων κόσμων;

§. 40. Sed inter Poeticum Jovem & Stoicum hoc fortaſſe diſcrimen eſt, qvòd Jupiter Poetarum *aſſiſtentem* animam agit, non informantem, ut Deus Stoicorum. Verùm hâc de re viderint, qvi Poetas interpretantur. Nos ad Philoſophos noſtros redeamus.

§. 41. Oſtenſum anteà, § 18. 19. 23. *Mundi animam* & in porticu Zenonis & in Platonis Academiâ ſalutari *Deum*, ſed dignatione diſpari,

tertium hîc, illic *primum*. Qvod diſcrimen non ita minutum eſt, ut putabat Lipſius (ſuprà §. 20.) Vide mihi enim, qvid ad hæc principia ſeqvatur porrò. Summum Deum Plato, qvia diſtinxit ab animâ Mundi & conſeqventer ab ipſo Mundo, potuit opificem *externum* facere mundi & *incorporeum*, qvod ne Lipſius qvidem neget I. Phyſ. Stoic. 8. p. 16: Stoici, qvibus Deus ille ſummus, anima videlicet Mundi, una maſſa cum Mundo ſic eſt, ut neutrum ab altero ſeparari poſſit, non potuerunt. Recurre ſuprà ad §. 14.

§. 42. Qvòd ſi Mundi animam Stoici cum Platone *tertium* feciſſent Deum aut è ſecundariis qvemcunqve, ſimul hanc illi tuliſſent legem, ut in *ἐκπυρώσει conflagraret* cum cæteris rebus, per Diſſert. VII. §. 4. Eſt enim apud Stoicos Deunculorum, qvotcunqve ſunt præter primum, valdè miſera conditio. Ne in Platonicâ Triade qvidem ſecundus Deus primo, vel tertius ſecundo æqvalis habetur: qvanqvam hujus ultimi tolerabilior ſors eſt in Mundo Platonico, qvàm foret apud Stoicos. Non enim habet cur incendium metuat, à qvo Mundum Platonici immunem pronunciavere per Diſſert. III. Interim Mundo ipſo non multò fecerunt antiqviorem.

§. 43. Vides obiter, qvàm parum conſideratè Aug. Steuchus & alii qvidam in illâ paganæ Scholæ *Trinitate* Myſterium Religionis Chriſtianæ qvæſierint; qvàm abſurdè animam univerſi Platonicam interpretati fuerint *Spiritum Sanctum*. Cujus profectò conatûs (programmate Pentecoſtali Anni 1663. diſcuſſi à nobis) magis etiam pudere ipſos debuit, qvàm Platonicos, cùm eandem animam in Jovem transformarent Poeticum. Gentilium enim intererat, ut ipſi inter ſe concordes haberentur. Noſtrâ non modò nihil intereſt, ut arcanorum fidei ſocietate cum hoſtibus copulati cenſeamur, ſed omnibus viribus laborare magis nos decet, ne qva talis ſuſpicio feneſtram aperiat confuſioni Religionum. Qvæ minùs etiam metuenda fuerit, ſi ipſos inter ſe hoſtes committamus.

§. 44. Sanè verò, ut Stoicorum cum Platonicis de Mundi Animâ pugnam continuemus, non in eo tantùm conflictus eſt, qvòd animandi hujus univerſi officium Stoici primo Deo, Platonici tertio delegant, ſed alia ſunt qvoqve, qvæ utramq; ſectam diſſociant.

§. 45. *Platonici* non crediderunt, in hoc orbe procreari qvicqvam poſſe, niſi Diis tribus ſuis *qvartam* adjungerent, ne ipſam qvi-

dem Divinitatis penitus expertem, (græca Procli verba paulò poſt §.48. proferenda hoc docebunt,) Naturam, in qvâ nempe ponerent vim ſeminariam, ſine qvâ naſci nihil ex materiâ poſſet. Itaqve qvatuor apud illos τῶν νοητῶν gradûs reperias, *Deum, Mentem, Animam, Naturam. Ut Mens à Deo, Anima à Mente, ita Natura pendet ab Animâ,* inqvit Stephanus Theupolus, ævo ſuperiore Platonicus celebris lib. VII. Acad. contempl. c. 2. p. 236.

§. 46. Ad hos qvatuor gradûs non dubito reſpexiſſe Proclum, cùm (referente Piccolomineo de rerum defin. p. 300.) qvadruplicem poſuit numerum: *Divinum* (in Deo, libet enim interpretationem addere,) *Eſſentialem* (in Mente,) *Rationalem* (in Animâ,) *Naturalem* (in Naturâ.)

§. 47. Si qvis qvatuor his τῶν νοητῶν gradibus addat gradum τῶν αἰσθητῶν, qvinqve gradûs prodibunt, ſed rerum nempe in genere, non rerum incorporearum præciſè. Facit hoc Piccolomineus Grad. V. c. 29. p. 447. cujus verba, qvia noſtro inſtituto non parum ſerviunt, adjungemus. *Conſiderandum eſt,* inqvit, *ex Platonis ſententiâ, qvinq; in Univerſo rerum gradûs reperiri. Res enim ſunt in DEO, ut in fonte & causâ primâ* modo eminentiſſimo: *ſunt ſecundò in MENTE per* ideas *& formam: tertiò ſunt in ANIMA per* rationes *in ejus eſſentiâ inſertas: qvartò ſunt in NATURA per* ſemina. *Natura enim eſt vis ſeminaria per Mundi animam effuſa in univerſam materiem. Qvintò ſunt in MATERIE tanqvam* umbrâ per imitationem *& participationem.*

§. 48. Ultimum Piccolominei gradum Proclus omiſit ex eâ cauſâ, qvia τὰ αἰσθητὰ noluit in eâ diviſione permiſcere τοῖς νοητοῖς, effectûs corporeos cum cauſis incorporeis, qvarum poſtrema ipſi clarè eſt Natura lib. I. in Timæum f. 4. in his: ἡ τοίνυν Φύσις ἐσχάτη μὲν οὖσα τῶν τὸ σωματοειδὲς τοῦτο καὶ αἰσθητὸν δημιουργούντων αἰτίων, καὶ τὸ πέρας οὖσα τῶν ἀσωμάτων οὐσιῶν πλάτους, πλήρης δὲ λόγων καὶ δυνάμεων, δι' ὧν κατευθύνει τὰ ἐγκόσμια. καὶ θεός μὲν τῷ ἐκθεοῦσθαι, καὶ οὐκ αὐτόθεν ἔχουσα τὸ εἶναι θεός. καὶ γὰρ τὰ θεῖα σώματα θεοὺς καλοῦμεν, ὡς ἀγάλματα τῶν θεῶν.

§. 49. Interim nec illa in qvinqve gradûs partitio Proclo ignota fuit. Qvam novis expreſſam terminis, iisq; adeò ingenioſis, ut in illis demonſtrationem parturiiſſe autor videatur, ſuppeditant præcedentia

dentia ejus: ταῦτα γάρ ἐστιν ἐχόμενα ἀλλήλων: 1. τὸ αὐτὸ (Deus.) 2. τὸ αὐτοῦ (Mens.) 3. τὸ αὐτοῦ καὶ ἄλλου (Anima.) 4. τὸ ἄλλου (Natura.) 5. τὸ ἄλλο (Corpus.) τοῦτο μὲν (qvintum hoc) δῆλον ὅτι τὸ αἰσθητὸν πᾶν, ἐν ᾧ διάστασις καὶ μερισμὸς παντοῖος. ἐκείνων δὲ τὸ μὲν (qvartum) ἡ Φύσις ἡ ἀχώριστος τῶν ἀσωμάτων: τὸ δὲ (tertium) ἡ ψυχὴ ἐν ἑαυτῇ τε οὖσα, καὶ ἐλλάμπουσα δευτέραν εἰς ἄλλο ζωήν. τὸ δὲ (ſecundum) ὁ δημιουργικὸς νοῦς ἐν τῷ ἑαυτοῦ μένων κατὰ τρόπον ἤθει. τὸ δὲ (primum) ἡ νοητὴ πάντων αἰτία καὶ παραδειγματικὴ τῶν ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ ποιουμένων, ἣ καὶ αὐτὸ ζῶον διὰ τοῦτο καλεῖν ὁ Πλάτων ἠξίωσε.

§. 50. Qvòd Animam hîc Proclus ἐν ἑαυτῇ οὖσαν (ſaltem ex dimidiâ ſui parte) deſcribit nobis, ſimiliterq; Νοῦν (ac totum qvidem) ἐν τῷ ἑαυτοῦ ἤθει μένειν ait, ex eo ſuſpicetur aliqvis, in ipsâ diviſione legendum eſſe non αὐτοῦ ſed αὐτοῦ. Eſſe autem αὐτοῦ interpreteris à materiâ & corpore (hoc enim eſt τὸ ἄλλο) ſeparatum eſſe, vel ſeparari certè poſſe. Sic τὸ ἄλλου εἶναι ſit cum materiâ conjunctum eſſe nodo vel ſolubili, vel ſolvi neſcio. Sanè ſvadent hoc etiam illa, qvæ ulteriùs præcedunt: ἡ μὲν γὰρ Φύσις τῶν σωμάτων ἐστὶ δύναμις καί αὐτῶν, καὶ οὖσα ἀχώριστος ἀπ' αὐτῶν. ἡ δὲ ψυχὴ χωριστή ἐστι, καὶ ἐν αὐτῇ ἵδρυται, καὶ ἑαυτῆς ἐστιν ἅμα καὶ ἄλλου.

§. 51. Puto tamen Proclum τὸ αὐτοῦ ſcripſiſſe, ut eſt in codicibus, & hoc feciſſe callidè, ut meliùs procederet demonſtratio, qvam parturiebat, vitium aliàs factura, ſi τὸ αὐτοῦ retinuiſſet. Deo enim primo (qvi ipſi eſt τὸ αὐτὸ, Scaliger αὐταυτὸν vocat,) opponere poterat τὸ αὐτοῦ, h. e. Deum ſecundum, primi qvippe illius, qvod vult iſta vox, prolem; non poterat τὸ αὐτοῦ, qvæ eſt à materiæ contagio libera eſſentia: talis enim Deus qvoq; ipſe primus.

§. 52. Totam ergò diviſionem ſic animo videtur concepiſſe. Qvicqvid eſt ſimpliciter, aut eſt τὸ αὐτὸ, aut τὸ ἄλλο. Illud *Deus*, hoc *Materia*. Duobus his extremis duo interjecta media: unum, qvod Dei ſoboles totum eſt, *Mens*; alterum, qvod totum Materiæ, *Natura*, (qvam ideò negat Proclus habere eſſentiam αὐτόθεν, i. e. ex Deo;) tertium, qvod ex ſemiſſe Dei, ex ſemiſſe Materiæ germen, ſatúm videlicet ex conjugio Mentis cum Naturâ. Et hoc eſt *Anima Mundi*. Cujus nativitatem ita deſcribit Plato in Timæo f. 1050. τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταυτὰ ἐχούσης οὐσίας, καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης με-

ριστῆς τρίτον ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ συνεκεράσατο οὐσίας εἶδος, τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς τοῦ ἑτέρου.

§. 53. Inqvies: Si *Naturam* Proclus negavit eſſe Dei ſobolem, cùm tota ſit Materiæ, qvomodò Deitatem illi tamen tribuere potuit? Reſpondet ipſe verbis §. 48. prolatis, qvorum hic ſenſus eſt: Naturam Deam eſſe non natam, ſed factam, (hoc enim eſt ἐκθεοῦσθαι,) adeoq; nuncupari Deam ad inſtar ſtatuarum, qvæ materiales cùm ſint, figurâ tamen Deum referunt.

§. 54. Credo Proclum ad λόγους σπερματικούς, ſeu *Rationes ſeminales* reſpexiſſe, qvibus figuravit Naturam Academia Platonis. Sunt autem Idearum divinarum iſti λόγοι velut nepotuli qvidam, & illud ipſum qvarto Platonicorum Deo Deæve Naturæ præſtant, qvod Ideæ Menti ſeu Deo ſecundo.

§. 55. Enimverò ut à qvinqve Entium gradibus ad qvatuor genera revertamur τῶν νοητῶν, in eâ diſtinctione Platonici tres *formarum gradûs*, (qvi ſunt, *Ideæ, Rationes, Semina*, vel *Seminales Rationes*, qvas in Scholâ Platonicâ cum Rationibus ſimpliciter dictis cave confundas,) ita partiebantur, ut prior qvisqve formarum gradus in qvoqve νοητῶν genere priore eſſet eminenter, in poſteriore formaliter, (liceat enim, qvod illi ſentiebant, Scholarum ritu eloqvi.) Qvo pacto fiebat, ut *Ideas* eminenter in Deo eſſe ſciſcerent, in Mente formaliter; *Rationes* eminenter in Mente, in Animâ formaliter; *Semina* eminenter in Animâ, formaliter in Naturâ.

§. 56. Hoc Theupolus loco §. 45. citato ſic enunciat: *Ut Mens à Deo Ideas recipit, Anima recipit Rationes à Mente: ita Natura recipit Semina ab Animâ.* Qvare & *Naturam* definiebant *ſerminariam virtutem ab Animâ Mundi infuſam Materiæ*, Theupol. d. l. Piccol. d. l. & p. 54. 55. de rer. defin.

§. 57. Hæc ita *Platonici*, qvi, uti vides Deum primum à Mente primâ, hanc ab Animâ Mundi, Animam Mundi à Naturâ diſtingvunt. Contrà *Stoicis* qvatuor hæc, nomina qvidem ſunt totidem, ſed res una.

§. 58. *Deum primum* illis ab *Animâ Mundi* nihil differre ſuprà §. 21. dictum. Eundem ipſorum Deum *Naturam* eſſe & *Mentem* docebit Lipſius lib. I. Phyſiol. Stoic. diſſert. 5. & 7.

§. 59.

§. 59. Jam qvoniam hoc pacto Deum illum primum à ſolio, in qvo reliqverant ipſum Platonici, rejectum, penitùs immerſerant Materiæ, vetuerantq; ad extremum loco eſſe melior, qvàm qvo Deum qvartum ſuum poſuiſſent Platonici: conſeqvens fuit, ut in illo & formaliter collocarent *ſemina* ſeu λόγȣς σπερματικȣ̀ς, (qvæ ſunt aliqvid longè tùm *Ideis*, tùm *Rationibus* abſolutè dictis ignobilius, ut modò è §. 54. & 55. intelligi potuit.)

§. 60. Clarum hoc è definitione Dei Stoici, qvam ſuppeditant Plutarchus I. de plac. Philoſ. 7. & Athenagoras Leg. pro Chriſtian. f. 9. Θεὸς πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζων ἐπὶ γένεσιν *e)* κόσμȣ, ἐμπεριειληφὸς *f)* πάντας τȣ̀ς σπερματικȣ̀ς λόγȣς, καθ' ȣ̓̀ς ἕκαστα καθ' εἱμαρμένην γίγνεται. *Deus eſt ignis artificioſus viâ vadens in generatione Mundi, continens infrà ſe omnes ſeminales rationes, juxta qvas ſingula fato deinde fiunt.*

e) apud Athenag. eſt γενέσεις.

f) Sic Athenagoras. Benè. Nec aliter Lipſius I. Phyſ. Stoic. 6. p. 12: qvanqvam in Plutarcho, qvod & Lipſius obſervat p. 13. eſt ἐμπεριειληφότος, ut ad Mundum referatur.

§. 61. Priora Definitionis verba, πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν, *ignis artificialis viâ progrediens ad generationem* Cicero II. de Nat. Deor. p. 37. Laertius Zenone p. 381. & Clemens Alexandrinus lib. V. Strom. f. 435. ed. Heinſ. ex mente Stoicorum de Naturâ enunciant: ut vel hinc intelligas, qvod diximus paulò antè §. 57. Naturam & Deum Stoicis nihil diſtare.

§. 62. Ex eodem Laertio cognoſces, Deum Stoicis eſſe ipſum λόγον σπερματικὸν τȣ͂ κόσμȣ p. 371. vel ſimpliciter τὸν ἐν τῇ ὕλῃ λόγον p. 370. (vid. & Lipſ. II. 8. p. 72-73.) Vocabant etiam σπέρμα τῶν ἁπάντων ἔχον τȣ̀ς λόγȣς, (ſuprà §. 15.) Nec enim his, ut Platonicis, differebant, ſed idem erant *Ratio* & *Seminalis ratio.*

§. 62. Qværes: an idem etiam illis fuerit *Ratio Seminalis* & *Idea?* Nego. Ideas enim exemplares illas & fabricandi mundi archetypas, (neqve de aliis hìc ſermo,) ipſorum Philoſophia prorſus ignorat. Ratio eſt in promptu: qvia idea hujuſcemodi in mente eſt artificis externi. At in animâ, qvæ materiæ vinculis conſtricta corpus ex eâ ſibi elaborat ſuum, non idea propriè, ſed σπερματικὸς λόγος. Ergò Plato ſummo Deo ſuo ideas largiri potuit, fecerat enim opificem univerſi exter-

externum: Stoici præter *σπερματικοὺς λόγους* nihil potuerunt, ut qvem feciſſent Animam in gremio materiæ deliteſcentem.

§. 64. Qvamobrem Seneca *ideas* Epiſt. 58. p. 382. ed. Lipſii *propriam Platonis ſupellectilem* vocat, non facturus, ſi in earum poſſeſſionem Stoici qvoqve ſui veniſſent. Sex ibi entium genera ſecundùm Platonem diſtingvit, tertium conſtituens ideam, qvartum εἶδος. *Tertium*, inqvit, *genus eſt eorum, qvæ propriè ſunt: innumerabilia hæc ſunt, ſed extrà noſtrum poſita conſpectum. Qvæ ſint interrogas? Propria Platonis ſupellex eſt. Ideas vocat.* Mox: *Qvid ſit Idea, id eſt, qvid Platoni eſſe videatur, audi.* Paulò pòſt: *Qvartum locum habet εἶδος. Qvid ſit hoc εἶδος, attendas oportet, & Platoni imputes, non mihi, hanc rerum difficultatem.*

§. 65. Ex his & illa interpretanda, qvæ leguntur epiſt. 64. p. 399. *Exemplaria rerum omnium Deus intrà ſe habet, numerosq; univerſorum, qvæ agenda ſunt, & modos mente complexus eſt: plenus his figuris eſt, qvas Plato ideas appellat.* Ita eſt: Plato ſic vocabat; non enim Stoici, cùm haberent nullas: neqve ex horum officinâ Deus ſuus petere qvicqvam poterat, qvàm rationes ſeminales. Nam ut ipſum in fortunas tertii qvartiq; Dei detruſerant per §. 59. ſic pro ideis cogebant eſſe contentum iſtis ſeminibus. Ergò ut hæc maximè in locum idearum ſucceſſerint: ab iis tamen intervallo non minore diſtant, qvàm formæ cum materâ concretæ à formis ſeparatis. Seminariæ rationes non niſi in materiâ ſunt; ideæ Platonis non niſi extrà materiam: cujus vinculis Deorum ſupremum eximebat Plato, Stoici nexu nunqvam ſolvendo irretiebant.

§. 66. Hæc veriſſima cauſa eſt, cur *idearum* nomen hîc refugerint Stoici, & *rationes ſeminales* appellare maluerint. Nugatur enim Lipſius, cùm id ideò factum ait, *qvia incluſa in iis* (ſeminibus) *& occulta, qvæ mox producuntur*, I. Phyſiol. Stoic. 6. p. 13. Qvaſi non & in ideis occultarentur, qvas *extra noſtrum poſitas conſpectum* clarè aſſerebat Seneca modò §. 64.

§. 67. Pergit Lipſius: *Placuit & Triſmegiſto hæc imago.* Vides, *inqvit*, agricolam ſemen in terram projicientem! ibi frumentum, ibi hordeum, ibi aliud. Tale eſt Deus, qvi in cœlo qvidem ſeminat immortalitatem, in terrâ mutationem, in univerſo motum & vitam. *Ecce ſeminales!* exclamat Lipſius. Addo ego: ſed qvæ ad Stoicum Deum

minus

Digitized by Google

minus nihilo faciunt. Aliud enim Anima ſemine intus gravida; talem Stoici Deum faciebant: aliud Agricola ſemen extrà ſe jaciens; talem Plato, cui Triſmegiſtum, qvisqvis fuit, ſcimus longè plura, qvàm Stoicis, debere voluiſſe.

§. 68. Etiam Damaſcenum advocat Lipſius, qvia ſcripſerit de Deo: *πάντων αἴτιος, καὶ πάντων τοὺς λόγους τῶν ὄντων καὶ τὰς αἰτίας ἐν ἑαυτῷ περιέχει*. Ego verò *λόγους* hîc audio, *σπερματικοὺς* non audio. Qvæ duo ſi idem ſunt Stoicis, noſſe decebat Lipſium, aliis non eſſe, (ſuprà §. 55.) maximè Chriſtianis, qvi Deum nunqvam dicent hunc Mundum ex ſe tanqvam ſemine peperiſſe. Nimirum laboravit hîc ille Belga Stoicorum *λόγους σπερματικοὺς* non cum ideis modò Platonicis, qvantum poſſet, redigere in gratiam, qvod & lib. II. Diſſert. 3. facit, ſed & cum Philoſophiâ Chriſtianorum. In qvo qvidem operam & oleum perdidiſſe meritò cenſebitur.

§. 69. Sed qvid Pſeudo-Galeno reſpondebimus? Qvid Nicetæ Choniatæ? Qvid Joanni Saresberienſi? Qvi omnes in Stoicorum incidentes mentionem *ideæ* vocabulo ſic utuntur, ut horum teſtimoniis, à Lipſio qvidem prætervisis, ea qvæ dicta ſunt à nobis hactenus, labefactari videantur poſſe. De ſingulis videndum ſeparatim.

§. 70. Pſeudogaleni locum ex hiſtoriâ philoſ. dabimus integrum infrà §. 211. Facilis verò reſponſio: *Ideam* ibi legimus, non *ideas*: & ideam ipſius Dei, non rerum extrà Deum.

§. 71. De Nicetâ res primâ fronte difficilior videatur. Is Stoicorum ideas non nominat modò, ſed Platonicis planè gemellas facit, corpore ſcil. exutas. Cùm enim lib. IV. theſaur. orthod. fid. hæreſ. 34. p. 273. Hieracitarum hæreſin deſcripſiſſet, qvorum princeps Origenis deliramenta ſecutus reſurrectionem carnis antiqvabat, animamq; ſolam reſurgere fabulabatur p. 273. poſteà ſubjicit p. 275. *Origenes longùm valeat cum omnibus, qvi ab illo ſtantes animam corpore nudam judicium ſubituram eſſe tradiderunt, tale hominis idolum ei adaptantes, qvales ideæ ſunt à Stoicis confictæ, qvibus etiam, qvæ in mundo videntur, creata fuiſſe docuerunt.*

§. 72. Qvid ergò nos ad hæc? Audacter pronunciabimus, aut lapſum eſſe memoriâ Nicetam, aut librarii calamum aberrâſſe, proq; *Platonicis* ideis miſiſſe *Stoicas* in chartam. Exemplaria, qvibus in figurando mundo uſus fuerit Deus, non *ideas* vocant Stoici, ſed *ſeminarias*

rationes. Porrò ne Deum qvidem ipſum corpore unqvam nudant, & ideas nudaverint?

§.73. Qvod ad Origenem attinet, de qvo & infrà Diſſert. XIX. *§.6.* diſpiciemus, cùm ille corpus, qvod poſt reſurrectionem recepturi ſimus, negaret ex qvatuor elementorum commixtione conflatum fore, ut ſeqventia Nicetæ demonſtrant, (qvanqvam ſunt, qvi errorem hunc falsò illi tribui exiſtiment, vid. Voſſ. Theſ. Theol. Diſp. XIII. p. 185. Halloix Orig. def. t. 183. Elmenhorſt. ad Gennad. de dogmatib. p. 123.) pro vero & ſolido corpore neſcio qvod corporis idolum animæ ſociare voluiſſe judicatus eſt.

§.74. Talia ergò ſimulacra ideis comparaverunt qvidam, qvæ non poſſunt eſſe aliæ qvàm Platonicæ. Rectiſſimè enim obſervat Sim. Simonius ad I. Nicom. *6.* p. 78. *nil aliud Platonem ideæ nomine deſignâſſe, qvàm qvod Philoponus inqvit, formam nempe incorpoream, nares, manûs & pedes incorporeos, (ſi hominis idea eſſe ſumatur,) habentem, & per ſe ſubſiſtentem, ad qvam reſpiciens opifex veluti ad exemplar hos homines, qvi ſunt hic apud nos, procrearet.*

§.75. Hujusmodi ergò corpus incorporeum videbatur & noſtrum in illâ vitâ fore Origenes crediditſe. Sic enim ejus opinionem eloqvitur Nicetas d. l. hær. 31. p. 346. *Corpus hoc, qvo involvimur, reſurrectionis illius die non reſurget: ſed humana tantùm forma, qvâ Paulus fortè vel Petrus dignoſcitur: atq; adeò extrinſeca illa figura reſurget, qvæ ſub formâ qvoq; comprehenditur. Porrò ſubjectum ipſum ſeu corpus haudqvaqvam idem manebit.* --- His adde qvæ poſteà p. 352. 353. diſſerit Nicetas, cùm docet, hæc talia ſumpſiſſe Origenem ex Platonicorum placitis de duplici hominis idolo, uno divino ac luminoſo, altero craſſiore, qvorum hoc defluente illud reſurrectione potiturum ſit.

§.76. Cæterùm ipſe Origenes hâc in re ideæ ſimilitudine, qvod ſciam, uſus non eſt. Hoc ſcio, σπερματικȣ̃ λόγȣ hoc in argumento meminiſſe, qvanqvam non in id, ut illi λόγῳ corpus noſtrum compararet, ſed ut doceret, aliud ſeminari, aliud vi λόγȣ σπερματικȣ̃ reſurgere.

§.77. Verba ejus ex Methodio profert Epiphanius hæreſi 64. vel ideò recitanda nobis, ut λόγον σπερματικὸν Hieronymo reddamus, in eâ voce corruptionem paſſo. Adſcribemus verò paucis interpoſitis græcis ex verſione Cornarii latinâ, qvæ leguntur f. 254. ed. Baſil. A. 1545.

ut

ut cùm Hieronymianis conferri meliùs poſſint. *Qvin & hoc ipſum interrogare: qvomodo reſurgent mortui, qvali verò corpore venient?* (1. Cor. 15, 35.) *nudè declarat, qvòd primum ſubjectum* (πρῶτον ὑποκείμενον) *non reſurget. Si enim benè accepimus exemplum, proferendum eſt: ſeminaria ratio* (ῥητέον ὅτι ὁ σπερματικὸς λόγος) *in grano frumenti decerpens adjacentem materiam, & per totam ipſam procedens, eandemq; ipſius ſpeciem abripiens, facultates qvas habet aliqvando terræ* (τῇ ποτὲ γῇ) *& aqvæ & aeri & igni addit, & devictis illorum qvalitatibus ad hanc transmutat, cujus ipſe opifex exiſtit. Et ſic completur ſpica excellenter differens à grano, qvod eſt ab initio, & magnitudine, & figurâ, & varietate.*

§. 78. Geminum Origenis locum Hieronymus Epiſtolæ ſuæ ad Pammach. adverſ. Joh. Hieroſolym. errores inſeruit Tom. III. Oper. f. m. 78: *Eſt ſingulis ſeminibus ratio qvædam à Deo artifice inſita, qvæ futuras materias in medullæ principiis tenet. Et qvomodo tanta arboris magnitudo, truncus, rami, poma, folia non videntur in ſemine, ſunt tamen in ratione ſeminis, qvam græci σπινθηρισμὸν vocant,* (ita ſcriptum ſuſpicatur Eraſmus è veſtigiis qvorundam exemplarium, cùm aliàs eſſet σπερματολογίαν: nobis nihil certius, qvàm σπερματικὸν λόγον reſcribi oportere,) *& in grano frumenti eſt intrinſecus vel medulla, vel venula, qvæ cùm in terrâ fuerit diſſoluta, trahit ad ſe vicinas materias, & in ſtipulam, folia, ariſtasq; conſurgit, aliudq; moritur, aliud reſurgit: neq; enim in grano tritici radices, culmus, folia, ariſtæ, paleæ ſunt diſſolutæ. Sic & in ratione humanorum corporum manent qvædam ſurgendi antiqva principia* &c.

§. 79. Ut ad Nicetam redeat oratio, cur ejus autoritas, vel error potiùs librarii nos non moveat, ut rem Stoicis familiarem ideas exemplares eſſe credamus, dictum eſt. Multò minus deferemus Joanni Sareſberienſi, qvi profectò ſtylo abutitur cùm ſcribit, Stoicis *Materiam & Ideam Deo credi coæternam,* IV. Metalog. 35. p. 227. Non *ideam,* ſed λόγον σπερματικὸν vocare debebat.

§. 80. Alibi *formam* vocat. *Licet*, inqvit lib. II. c. 20. p. 115. *Stoici Deo ponant Materiam coæternam, & formæ dicant nullum extitiſſe principium, tria ponentes principia, Mateiram, Formam, & Deum* &c. Ubi non fero tria dantem Stoicis principia. Platonis hoc dogma eſt, non Stoicorum, qvi duo tantùm agnoſcebant, Materiam & Deum: id

qvòd totâ propè Epiſt. 65. inculcat Seneca. Vide & Lipſium I. Phyſiol. Stoic. 4. & II. 3. p. 61: ubi *Deum*, inqvit, *cùm ponant, qvid ideas* (rationes ſeminarias,) *ſeorſim apponant, qvæ ſunt in Deo?* imò verò, inqvam, qvæ illis ſunt ipſe Deus. Hunc enim eos *λόγον σπερματικὸν* facere, dictum ſuprà §. 62.

§. 81. Hâc occaſione illud obſervo, qvod Stoici non fecerunt, id ſibi recentiores qvosdam Animæ Mundanæ patronos permiſiſſe, ut formas, qvarum Anima illa ſeu Spiritus Mundi promus eſſet condus, ideas appellarent, ſtilo nec Platonem ſapiente, nec Zenonem. Comenius c. 2. phyſ. p. 31. *Spiritui ſeu Animæ Mundi datum eſt cuſtodire ideas (ſeu formas) rerum particulares.* Ampſingius diſſertat. Iatromathem. p. 150. *Qvi volet ſententiam accipere Platonis, hanc præ oculis capiat ſimilitudinem: Qvemadmodùm videmus Solem diaphano Lunæ corpori ſic lumen ſuum immittere imprimereq;, ut ipſa mox luce qvâdam ſuâ eâq; eſſentiali luceat: conſimili ferè modo Animam Mundi, Naturam illam univerſalem, immittere imprimereq; ſuas qvibusq; formas ſeu ideas.* Confundit hic ſimul Ampſingius Animam Mundi Platonicam cum Mente, hoc eſt, tertium illius Scholæ Deum cum ſecundo.

§. 82. Differentiis inter Platonicam & Stoicam Philoſophiam etiam nunc illud adjungamus, qvod è dictis ſeqvitur. Summo Deo Platonici qvidem *aſſiſtentis* Mundo formæ, Stoici verò *informantis* officium demandabant. Qvâ in re divinæ dignitati tantò meliùs conſuluiſſe judicandi ſunt Platonici, qvantò præſtat eqvitem eſſe, qvàm animam eqvi.

§. 83. Qvod dixi, Stoicorum Deo informantis formæ vicem eſſe obeundam, tùm autoritate probo, tùm ratione. Lactantius contrà Stoicos diſputans lib. VII. c. 3. p. 532. 533. *Interdum ſic confundunt, ut ſit Deus ipſe Mens Mundi, & Mundus ſit corpus Dei. Qvaſi verò ſimul eſſe cœperint Deus & Mundus, ac non ipſe Mundum fecerit. --- Ubi eſt ergò illud, qvod iidem ipſi ajunt,* (à Platone hoc ſumptum p. ſeq. indicat Lactantius,) *& factum eſſe divinâ providentiâ & regi? Si enim fecit Mundum, fuit ergò ſine Mundo. Si regit, non utiq; ſicut Mens corpus regit, ſed tanqvam domum dominus, navim gubernator, auriga currum.* Non poterat clariùs ſignificare diſcrimen, qvod inter informantem formam & aſſiſtentem ponere docemur in ſcholis: ubi luculentiſſima formæ aſſiſtentis exempla inculcantur Auriga & Gubernator.

§. 84.

§. 84. Autoritati jam accedat & ratio. Platonicorum Deus ſummus à Materiâ liber; Stoicorum inſolubili nodo materiæ connexus. Separabiles autem formæ philoſophis illis eædem cum aſſiſtentibus, & inſeparabiles eædem cum informantibus. Qvod de primo Platonicorum Deo dictum eſt, ad tertium qvoqve illum, qvem Animam Mundi ſalutabant, pertinet, ſaltem qvatenus eam χωριστὴν ſuprà §. 50. profitebatur Proclus. Nam Naturam, Deorum ultimam, qvam à Materiâ negabant divelli poſſe, qvin pro informante formâ habuerint, non intercedo.

§. 85. Ulteriùs, primum Deum Cauſam univerſi ſolidè ac bonâ fide externam eſſe hoc ipſo teſtabantur Platonici, qvòd illum inſtruébant ideis; hoc ipſo negabant Stoici, qvòd pro ideis totam ſupellectilem ejus faciebant λόγους σπερματικούς. Ideæ enim in artifice, λόγοι σπερματικοὶ non alibi, qvàm in ſemine, vel potiùs, ut mentem Stoicorum clariùs aperiam, in animâ inſitâ ſemini. Qvo pacto vides illis iterum ad informantem formam rem procedere: talis enim ſua ſemini anima.

§. 86. Hoc argumentum paulò curatiùs ſic elaboremus. Rei corporeæ ſemen qvi dicit, aut ſolam dicit gignendi corporis materiam, cui forma futura non alio qvàm potentiæ titulo inhæreat: aut materiam, qvæ ipſo actu formam illam, qvæ qvidem alia qvàm informans non intelligitur, ſit complexa. Notum enim, hîc ſcholas philoſophorum diſſidere, qvorum alii ſeminibus animas ineſſe ſtatuunt merâ potentiâ, ut Ariſtoteles, alii ipſo actu.

§. 87. Ergò ad ſeminarias rationes ubi perventum, uti eas Ariſtoteles non niſi in potentiâ locaret Materiæ, ſic Stoicos in actu formæ repoſuiſſe certum eſt. Ponebant enim immediatè in Deo; Deus autem non materia. Ergò forma, & ea qvidem informans.

§. 88. Enimverò ut prima Ariſtotelis Materia omnium absqve ullâ exceptione formarum ſeu actuum formalium rudis eſt: ſic Stoici rudem & ipſam faciebant qvidem ſpecialium formarum omnium, qvotcunqve poſt opus in hâc adſpectabili machinâ elaboratum ſe ſpeciales offerunt, non item generalis illius ſeu radicalis, (liceat ita loqvi,) qvæ ſecundùm ipſos erat Anima Mundi, (Archeum fortaſſe vocarent Paracelſiſtæ.) Planè ut illi, qvi ſemen e. g. animalis aſſerunt eſſe animatum, faterentur qvidem, in eo non eſſe formas oculorum, au-

rium, digitorum, viſcerum, negarent interim, expers illud eſſe formæ capitalis, qvæ ſit anima.

§. 89. Secundùm hæc ut immediatè formas Ariſtoteles è ſinu Materiæ, ſic Stoici è ſinu radicalis Formæ derivabant, viciſſimq; interitum formarum refuſione in ſinum utrinq; ſuum definiebant.

§. 90. Sanè verò Stoici incendio mundi dicebant omnia in ignem (Deum intelligebant) tanqvam in ſemen remigratura. Clarè Numenius apud Euſebium XV. præpar. Evang. f. 479. *Ἀρέσκει τοῖς Στωικοῖς φιλοσόφοις, τὴν ὅλην οὐσίαν εἰς πῦρ μεταβάλλειν οἷον εἰς σπέρμα, καὶ πάλιν ἐκ τούτου αὐτὴν ἀποτελεῖσθαι οἷα τὸ πρότερον ἦν.* Rectèq; Calixtus p. 139. de ſupr. judic. in Stoicos interpretatur hæc Baſilii verba homil. 3. hexaem. *οἱ τὸ πᾶν ἐκπυροῦσθαι λέγοντες καὶ ἀναβιώσκεσθαι πάλιν ἐκ τῶν σπερματικῶν λόγων τῶν ἐναπομενόντων τοῖς ἐκπυρωθεῖσιν, ὅθεν καὶ ἀπείρους φθορὰς κόσμου καὶ παλιγγενεσίας εἰσάγουσι.*

§. 91. Qværes: Si Stoici ex Deo igne tanqvam ſemine, ſeu ſeminariis rationibus (omnia enim hæc illis unum) cuncta genita eſſe, cuncta in eundem ignem relapſura crediderunt: an non iſtâ ratione hujus univerſi *materiam* potiùs qvàm *formam* fecerint Deum? Non inficior hoc certo modo ſeqvi. Qvin & aliud addo argumentum. Ubi corpus, ibi materia. Deum autem non in materiæ tantùm veſte, ſed in ſe ipſo ſpectatum, corpus faciebant Stoici: (vide Lipſium II. Phyſ. Stoic. 5.) Qvare ſeqvitur, ut eum ne in ſe qvidem expertem materiæ crediderint.

§. 92. Sed ipſi corpus hîc, opinor, diſtingverent in craſſum & ſubtile; illud pati, hoc agere; Materiæ vocabulum patienti ſe principio ſervatum cupere; ſi qvi id extendant ad agentem cauſam, h. e. ad divinum illud corpus, jam in Materiæ vocabulo ambiguitatem eſſe.

§. 93. Hæc ſi maximè ab illis dicantur, effugere tamen non potuerunt, qvin agentem illam cauſam ſtatuant ex ſe formas eo modo, qvo araneam filamenta deducere, h. e. ipſarum ſimul efficientem eſſe ſimul materiam. Ergò ut primam illam materiam ſuam, qvam à Deo diſtingvunt, faciunt materiam ſecundarum: ſic prima forma Deus ipſis reverâ, ſi qvod res eſt fateri velint, eſt materia formarum ſecundarum. Nam ſanè non volunt eas eſſe ex nihilo creatas: neqve tamen ex materiâ illâ famoſâ decerptas. Reliqvum ergò, ut ex Deo,

tan-

tanqvam materiâ (utut maximè id vocabuli hoc loco refugiant,) propagatas imaginentur.

§. 94. Itaqve ſecundùm Stoicos, ſi mentem eorum potiùs qvàm lingvam obſerves, qvicqvid eſt univerſi, duabus è materiis conflatur: craſsâ, qvam tangimus: ſubtili, qvam intellectu & cogitatione comphrehendimus, Deo.

§. 95. Atrox Philoſophia: ſed à qvâ ne cæteræ qvidem ſectæ Græcorum penitus abhorruerunt. Qvicqvid enim Deorum præter primum colebant, (colebant autem ingentia Deorum examina,) id omne ex primo tanqvam fœcundiſſimi ſeminis materiâ prorupiſſe perſvaſi erant. Qvòd autem immaterialem Deum profitebantur, id eò tantùm pertinebat, ut ab illâ craſſi corporis materiâ, tanqvam ab altero rerum omnium principio diſtinctum qvid eſſe intelligeretur.

§. 96. De cætero ipſos inter ſe hoc dirimebat, qvòd Epicurus Deum cum diis minoribus mundo excluderet, cæteri mundum facerent hominum deorumq; civitatem communem, ita qvidem, ut alii ſolas rationales animas, alii viventes qvascunqve, Stoici, omnium hoc in genere abſurditatem ſupergreſſi, promiſcuè formas omnes, ne viliſſimis qvidem exceptis, delibatam ex ipsâ divinâ eſſentiâ propaginem eſſe docerent.

§. 97. Hoc tàm immaniter profanum dogma mireris ultrà progredi potuiſſe. Et tamen progreſſum eſt, cùm ante qvatuor hæc ſecula cum dimidio, hoc eſt, circà annum 1204. *David de Dinanto*, notum è Catalogis hæreticorum nomen aſſereret, *Deum eſſe materiam primam* g). Hoc enim voluit, ex eſſentiâ divinâ non omnes modò rerum formas, ſed ipſa qvoqve corpora proſiluiſſe.

g) De qvæſtione hâc: *An Deus ſit Materia prima?* extat diſputatio habita à nobis A. 1668. In eâ & hiſtoriam controverſiæ tetigi, ſed qvàm fieri potuit, breviſſimè. Ejus præcipuam partem hic uberiorem longè nunc in præſentiarum dabo.

§. 98. Rectè Davidem illum Chriſtiani nominis probrum vocat Raynaudus Diſt. 6. Theol. nat. n. 6. p. 563. Neq; enim Gentilium qvisqvam eò proceſſit audaciæ, ut ex Deo faceret ipſiſſimam corporum materiam primam.

§. 99. Scio *Alexandrum Epicureum* nominari, (is eſt opinor qvem inter ſodales ſuos memorat Plutarchus II. Sympoſ. 3.) qvi dogma

gma

Digitized by Google

gma idem cum Dinantio defenderit: imò, ſi marginali ad lib. I. Thomæ contrà gentil. c. 17. f. 23. ed. Lugd. A. 1586. credimus, Dinantius hîc *ſecutus* fuerit *Alexandrum, qvi fecit librum de materiâ, ubi probare conatur, omnia eſſe unum in materia.* Alexandri dogma ſic eloqvitur, Albertus Magnus I. Phyſ. tract. 3. c. 13. f. 15: *Fuit Alexander Epicureus qvidam Philoſophus, qvi* Deum eſſe dixit materiam, *vel non eſſe extrà ipſam,* & omnia eſſentialiter eſſe Deum, *& formas eſſe accidentia imaginata, & non habere verum entitatem, & ideò dixit,* omnia idem eſſe: *& hunc Deum vocavit aliqvando* Jovem, *aliqvando autem* Palladem, *& aliqvando* Apollinem, *& formas eſſe peplum Palladis & veſtem Jovis, & neminem ſapientum dixit ad plenum poſſe revelare occulta ſub peplo Palladis & ſub veſte Jovis.* Eqvidem, qvod Dinantius deliravit, *Deum eſſe materiam,* totidem verbis hîc video & Alexandro tribui. Igitur hos duos Pererius V. Phyſ. 12. copulandos putavit ſibi. Accedit, qvòd *Amalricus* etiam (*Almaricum* vocant vulgò) Dinantii præceptor, *cujus* ipſe *opinionem,* ut ait Prateolus in Elench. hæreſ. p. m. 478. *in omnibus ſectabatur,* ea docuit, qvæ planè gemina eſſe jures placitis Alexandri. Statuit Alexander, ut modò audiebamus, *omnia eſſentialiter eſſe Deum; omnia idem eſſe.* Qvæſo qvid ab his diſtant iſthæc Amalrici: *Omnia ſunt Deus: Deus eſt omnia. Creator & creatura idem. Ideæ creant & creantur. Deus ideò dicitur finis omnium, qvòd omnia reverſura ſunt in ipſum, ut in Deo immutabiliter conqvieſcant, & unum individuum atq; incommutabile permanebunt. Et ſicut alterius naturæ non eſt Abraham, alterius Iſaac, ſed unius atq; ejusdem: ſic dixit omnia eſſe unum, & omnia eſſe Deum. Dixit enim, Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum.* Hæc de Amalrico Gerſon tract. de Concord. Metaph. cum Log. Part. IV. Oper. alphab. 20. lit. N. ex Hoſtienſi & Odone Tuſculano.

§. 100. Ex his igitur ſuſpicetur aliqvis, Amalrici diſcipulum, ubi Deum vocavit materiam primam idem cum Alexandro, phraſeos ejusdem uſurpatore, ſignificatum voluiſſe.

§. 101. Habent hæc, fateor, ſpeciem veri. Sed ſi qvis animadvertat, Alexandrum ſectâ Epicureum fuiſſe, Dinantianum verò dogma, ſi natales ejus rimeris, in Platonem deniqve exire, vix ille perſvaderi ſibi patietur, in eosdem de Deo ſensûs coire potuiſſe Scholas adeò diſpares, unam Platonis, qvam in exceſſu, Epicuri alteram, qvam in defectu conſtat hîc peccaviſſe. Exceſsûs vocabulo *Enthuſiaſmum* intelligo, defectûs *Atheiſmum.* §. 102.

Digitized by Google

§. 102. Qvòd hæreſeos *Dinantianæ* ſtirpem in *Platone* poſui, ſic facio planum. Obſervavit Hoſtienſis, *Amalricum* errores ſuos libro cujusdam *Joannis Scoti* debere, illius puta, qvi aliàs *Erigena* uſurpatur, nonoq; Chriſtiano ſeculo vivens Pſeudodionyſium Areopagitam, cujus ipſe magnus admirator fuit, primus latinitate donavit. Vide ſchediaſma noſtrum hiſtoricum p. 59. n. 39. ſeqq. Pſeudodionyſium verò Platonicum fuiſſe, ne illi qvidem negant, qvi pro germano habent Areopagitâ. Raynaudus prolog. Theol. nat. n. 74. p. 31. *S. Dionyſium Areopagitam Platonicis annumerat Sanctus Thomas initio commentariorum de divinis nominibus. Imò ut ait Cardinalis Cuſanus in apologiâ doctæ ignoran. tiæ p. 66. Sanctus Dionyſius adeò Platonem imitatus eſt, ut ſæpiùs Platonis verba ſeriatim poſuiſſe reperiatur.* Beſſarion l. in calumn. Plat. 7. f. 11. *Platonis non modò ſententiis, verùm etiam verbis ipſis Princeps Chriſtianæ Theologiæ Dionyſius Areopagita in omnibus ſuis operibus utitur.* Piccolomineus grad. III. Philoſ. moral. c. 20. p. 266. *Dionyſius Areopagita Theologus ſimul & Platonicus præſtantiſſimus.* Utiqve Myſticâm Theologiam, cujus antiqviſſimus ſcriptor iſte Dionyſius habetur, Platonicæ Philoſophiæ traducem eſſe probavi p. 55. & ſeqq. Schediaſmatis: ubi & p. 65. expoſui, qvemadmodùm paulò pòſt, qvàm apud Latinos hæc Theologia formulam artis accepit, Amalricus ipſi atrox venenum ſuffuderit, Enthuſiaſmi ſuprà Platonem præco portentoſus.

§. 103. Hujus itaqve diſcipulus *David de Dinanto*, cùm Deum prædicat eſſe materiam primam, ſic poſtulat exaudiri, ut maximum decet *Enthuſiaſtam.* Sicuti viciſſim *Alexander Epicureus*, idem fortaſſe tinniens, aliter intelligi non debet, qvàm *Atheorum* ſupremus.

§. 104. Ergò in hâc eadem Phraſi, *Deus eſt materia prima*, deliriorum maximè pugnantium qvoddam qvaſi concilium agnoſcas. Ex Deo & Materiâ primâ Ens idem efficere tentavit & Alexander & Dinantius, non per utriusqve conflationem, ut Stoici, ſed per metamorphoſin alterius.

§. 105. Verùm *Alexander* ex Materiâ Deum, *Dinantius* contrà ex Deo Materiam ſtuduit procudere. Qvare ut amborum ſententiam paulò inter ſe meliùs diſcernas, relinqve *Dinantio* hanc propoſitionem, *Deus eſt Materia prima*; converſam ejus, *Materia prima eſt Deus*, aſſigna *Alexandro.*

§. 106. Prior perfectum ſapit *Enthuſiaſmum*, qvi ex eſſentiâ divinâ non modò ſpirituales infrà Deum ſubſtantias, ſed corporeas univerſas derivet; poſterior perfectum *Atheiſmum*, qvi non providentiam divinam tollat modò, ſed ipſius qvoqve Dei exiſtentiam. Qvod Alexander non apertis qvidem verbis fecit, cùm potiùs Jovem, Minervam, Apollinem in ore haberet (ſuprà §. 99.) ſed ſatis in eo declaravit, dum negavit, ullum eſſe Deum præter Materiam primam.

§. 107. Atqve hoc illud eſt, qvod ex Alberto Magno audiebamus, *Deum non eſſe extrà materiam*. In qvo qvidem Epicuri Magiſtri voluit impietatem ſuperare. Nam Epicurus Deum utiqve vel Deorum potiùs turmas dixerat *extrà materiam eſſe*, & ſvaviter in intermundiis deliciari. At Alexander ex his ipſis etiam intermundiis relegatos Deos nullibi eſſe juſſit, h.e. è rerum naturâ planè ſuſtulit. Sed ne tam nefarii dogmatis pœnas daret publicè, *Deum* aliqvem profeſſus eſt, nempe *Materiam primam*.

§. 108. Porrò neſcio an non eadem cum Alexandro ſenſerit *Strato* Lampſacenus, Peripateticus qvidem aliàs, ſed qvi cum Epicuro crederet, *omnia qvaſi ſuâ ſponte eſſe generata, nullo artifice nec auctore*, ut è Lactant. c. 10. de irâ Dei datur intelligi. Movet me fragmentum Senecæ apud Auguſtinum VI. de Civ. Dei 10. (ad qvod infrà etiam §. 194. notabitur nonnihil,) ubi aliqvis ſic introducitur loqvens: *Ego feram aut Platonem aut Peripateticum Stratonem? qvorum alter* [Plato] *fecit Deum ſine corpore, alter* [Strato] *ſine animo.*

§. 109. Qværo enim, qvis ille Stratonis eſt ſine animo Deus, ſi Materia prima non eſt? Qvam ipſe qvidem nominavit *Naturam*, & divinitatem illi tribuit, ſed qvæ eſſet ſine omni non mente modò, ſed ſenſu. Cic. I. de Nat. Deor. p. 9. *Strato is, qvi Phyſicus appellatur, qvi omnem vim divinam in naturâ ſitam eſſe cenſet: qvæ cauſas gignendi, augendi, minuendive habeat, ſed careat omni ſenſu & figurâ.* Si OMNEM vim divinam Naturæ incluſit, extrà Naturam ergò & præter ipſam nihil Deorum agnovit. Ubi parum ad qvæſtionem præſentem refert, ſive *Naturam* Stratonis exponas ipſam *Materiam primam*, ſive (qvò Differt. II. §. 30. inclinabamus,) illud, qvod in Materiâ primâ ſui absqve Deo elaboratrice *Fortunam* vocabat Epicurus. Utrovis enim modo habes atheum ipſo deteriorem Epicuro, planeq; gemellum

Alexan-

Digitized by Google

Alexandri, qvi præter hanc corporearum rerum Materiam brutam nullam eſſe Deum cenſeret.

§. 110. Planè oppoſita ſententia *Dinantii* fuit, præter Deum, qvem pleniſſimum rationis & conſilii Ens eſſe dictat recta ratio, nullam eſſe ne corporearum qvidem ſubſtantiarum materiam primam. Qvo pacto iisdem paſſibus ſupergreſſus fuit Enthuſiaſmum Platonis, qvibus Epicuri Atheiſmum Alexander aut Strato; ut huic adeò meritò Platonem oppoſuerit, qvisqvis in fragmento Senecæ (reſpice ad §. 108.) loqvitur.

§. 111. Enimverò Plato ex Dei ſubſtantiâ ſolas educebat ſpirituales naturas: niſi aſſentiamur Leoni Hebræo Dial. III. de Amore (f. m. 498. I. Cabaliſt. Piſtorii) Platonem ex Deo ipſum qvoqve viſibilis mundi chaos æternæ cujusdam progreſſionis interventu derivâſſe, (hoc interpretor, id ipſum planè, qvod poſteà clarè Dinantius prolocutus eſt, ſenſiſſe.) Verùm Leonis hujus in Platone explicando aliam fruſtrationem ſuprà jam Diſſert. III. §. 105. & ſeqq. notavimus: recteq; Strozzius Cigogna lib. I. theat. nat. c. 8. p. 80. ubi de chao Platonico tantùm non omnia Leonis ſua facit, illam ejus ex Deo progreſſionem æternam ne verbo tangit qvidem, contentus æternitatem ejus memoraviſſe.

§. 112. Tametſi verò, qvod hactenus patuit, extremè diſſidet Enthuſiaſmus Dinantii ab Atheiſmo Alexandri: tamen ad hunc errorem uterqve ex communi qvodam, ſed falſo, principio deductus eſt. Illud verò ipſum eſſe puta, qvod alioqvi Gentilibus, ſi Alexandrum & Stratonem excipias, univerſis, horribile mendacium perſvaſit, juxtà cum Deo ab æterno extitiſſe Materiam primam, ita qvidem ut exiſtentiæ ſuæ ipſa ſibi, non Deus, autor eſſet. Nimirum Satanæ immurmuranti hoc aſſenſi erant, *è purè nihilo purè impoſſibile eſſe ut qvicqvam oriatur.* Hæc *Enthuſiaſmi* Dinantiani, hæc *Atheiſmi* Alexandrei, hæc *Gentiliſmi* totius, qvi Enthuſiaſmi qvoddam cum Atheiſmo temperamentum eſt, ultima radix cenſeri debet, in tres venenatiſſimos ramos ita diducta.

§. 113. Sanè verò illo peſtilenti admiſſo principio è tribus unum ſtatuere fuit neceſſe, ut aut ſociam Deo ſe carens omni principio adjunxerit materia; aut præter materiam non ſit Deus; aut ipſe Deus ſit materia. In hoc Satanæ trivio plerisqve Gentilium placuit, duo

eſſe ſibi coæterna principia, ne Deum facerent compoſitum ac materialem; Alexander Epicureus contrà Davidq; Dinantius, ne duo facerent prima, Deum & Materiam unum eſſe, diverſis tamen ſenſibus, ut ſuprà §. 105. docuimus, dixerunt: qvo pacto impoſſibile ipſis fuit, ſummam entis primi ſimplicitatem ſervare. Nam ſanè contradictoria ſunt, eſſe materiam rei corporeæ, & eſſe incompoſitum abſolutè. Adeò qvi ſemel ademiſſent Deo potentiam ex nihilo creatricem, evitare non potuerunt, qvin aut ſimplicitatem eſſentiæ divinæ, aut unitatem principii primi tollerent.

§. 114. In hanc ſententiam qvaſi ex ipſorum Gentilium diſputationibus apud Gregorium Nyſſenum c. 23. de opif. hom. clara leguntur qvædam: de qvibus hæc excerpere libet, ſimul ut Joan. Levvenklaji verſio, hîc certè non optima, corrigatur: εἰ ἐν τῷ θεῷ ἡ ποσότης, πῶς ἄποσος ὁ θεός; εἰ ἐν ἐκείνῳ τὸ σύνθετον πῶς ἁπλοῦς καὶ ἀμερὴς καὶ ἀσύνθετος; ὥστε ἢ ὑλικὸν εἶναι καὶ ἀνάγκην αὐτὸν διὰ τὸ ἐκεῖθεν ὑποστῆναι τὴν ὕλην ὁ λόγος βιάζεται: ἢ εἰ τοῦτό τις φεύγοι, ἔξωθεν ἐπεισενεχθῆναι τὴν ὕλην αὐτῷ πρὸς τὴν κατασκευὴν τοῦ παντὸς ὑπολαμβάνειν ἐπάναγκες. Vertit vir doctiſſimus p. 229. ed. Baſil. *Si eſt in Deo magnitudo, qvomodo ipſe magnitudinis eſt expers? Si qvid eſt in ipſo compoſitum*, (mallem: *Si in ipſo eſt compoſitum.* Dicuntur enim hæc adverſus eos, ſi qvi res compoſitas ſeu materiales præextitiſſe in Deo, tanqvam principio materiali, aſſererent,) *qvomodo ſimplex eſt, & nullis ex partibus conſtat? Deniq; cogit nos hæc ratio, vel ut ex materie Deum conſtare fateamur, ſiqvidem ex ipſo rerum materies orta eſt: vel ſi hoc qvis averſetur, extra ſe Deum materiam condidiſſe*, (vertendum fuerat: *materiam Deo extrinſecus oblatam fuiſſe*, ut vel ſeqventia demonſtrant,) *de qva univerſitatem hanc fabricaret, ſtatuamus neceſſe eſt.* Seqvitur enim ſtatim: εἰ οὖν ἔξω τοῦ θεοῦ ἦν, ἀλλό τι παρὰ τὸν θεὸν πάντως ἦν συνεπινοούμενον κατὰ τὸν τῆς ἀϊδιότητος λόγον, τῷ ἀγεννήτως ὄντι. ὥστε δύο ἄναρχα καὶ ἀγέννητα κατὰ ταυτὸν ἀλλήλοις τῷ λόγῳ συγκαταλαμβάνεσθαι, τοῦ τεχνικῶς ἐνεργοῦντος, καὶ τοῦ δεχομένου τὴν ἐπιστημονικὴν ταύτην ἐνέργειαν. *Ergò ſi materies extra Deum erat, haud dubiè qviddam exſtitit aliud à Deo, qvod cum illo ortûs experte coæternum fuit. Adeoq; duo conſtituuntur ſimul & principii & ortûs expertia, qvorum alterum inſtar artificis operetur, alterum illius effectiones recipiat.*

§. 115.

§. 115. Ut ad Dinantium revertar, *Deum eſſe materiam primam David ille primus aſſeruit, niſi ſi ab Almarico Magiſtro id hauſerit*, verba ſunt Raynaudi p. 563. Theol. natur. Non fefellit eum conjectura. Eadem enim Almarico mens fuit, licet ab ipſâ phraſi abſtineret. Non dixit, qvod ſciam, Deum eſſe materiam primam: dixit tamen, qvod eandem vim habet, Deum eſſe *finem omnium, qvòd omnia reverſura ſint in ipſum, ut in Deo immutabiliter conqvieſcant, & unum individuum atqve incommutabile permaneant*, uti ſuprà §. 99. ſub fin. memorabamus è Gerſone. Idem de materiâ primâ docent philoſophi, ut ex eâ ſint omnia progreſſa, ſic in eandem omnia eſſe reverſura.

§. 116. Sed vide hominis vafriciem! Reveritus ille dogmatis inſolentiam temperavit hîc ſibi à vocabulo *materiæ*, pro materiâ *finem* dixit. Noverat enim veriſſimè Deum univerſi hujus finem appellari, h. e. *cauſam finalem*. Sed ſenſum vocis innoxiæ detorſit, ideò finem omnium haberi Deum garriens, qvod in eum ſint omnia, tanqvam in individuum incommutabile reverſura. Atqvi finis hujusmodi non *cauſa finalis* eſt, ſed *extremum*.

§. 117. His verborum præſtigiis in causâ malâ ſibi opus putavit homo callidus. Niſi dicas civilitatem hanc fuiſſe, qvam à Platone ac ſimilibus Philoſophis didicerit Amalricus. Nam & hi, cùm Deum reverà facerent, qvod ſuprà §. 91. 95. docebamus, *materiam*, ſaltem ſpirituum, nomen tamen *materiæ* refugientes *fontis* vocabulum aut qvid hujusmodi præferebant, è qvo animæ omnes derivatæ in eundem deniqe refluerent.

§. 118. Intelligebant, qvid ageretur, Amalriciani diſcipuli. Qvare ulteriùs progreſſi dixerunt, Deum eſſe *principium formale* omnium rerum. Qvam qvidem ipſorum ſententiam diſtingvit Thomas Parte I. ſummæ q. 3. art. 8. ab opinione Dinantii: ſed omne diſcrimen verborum eſt potiùs qvàm rerum. Igitur non malè Conimbricenſes in I. Phyſ. c. 9. q. 3. art. 2. p. 201. hunc ipſum Thomæ locum citantes, cumq; duobus aliis Magni Alberti conferentes Almarianorum (ſic vocant diſcipulos Amalrici) ſententiam faciunt, *Materiam non ſolùm non eſſe puram potentiam, ſed eſſe ipſum purum actum, h. e. Deum*.

§. 119. Dicas, inter Amalricum & diſcipulos, ut horribile dogma tacitis velut incrementis adoleſceret, conventum in has leges

fuiſſe, ut Amalricus in hâc re vocabulum *finis* uſurparet; diſcipulorum qvidam *formam* in re haberent; conſummator malitiæ Dinantius id, qvod reliqvi velut per ænigma enunciaviſſent, rotundiſſimis verbis profiteretur, Deum eſſe *materiam primam:* ne verborum hæc & ſenſuum portentoſitas, ſi ſubitò ingrueret, aures occideret. Qvæ ſanè citiùs illud ferunt, Deum eſſe rerum omnium *finem*, poteſt enim finalis intelligi cauſa; vel *formam*, poteſt enim aſſiſtens forma, poteſt externa rebus idea ſubaudiri; qvam *materiam primam*, cui vocabulo tantum adhæret imperfectionis, ut à Deo ſemper maximis eam intervallis diſtraxerint etiam Gentilium ſaniores.

§. 120. Interim nec *finis* Amalrici, nec *forma* diſcipulorum abludebat à *materiâ* Dinantii. De *fine* dictum antè §. 115. De *formâ* ſic habe. Cui Deus & Materia prima idem, huic idem qvoqve Deus & forma prima. Nam ne Gentilium qvidem illi, qvi Deum à Materiâ diſtingvebant, formas aliunde, qvàm è ſinu vel Dei vel Materiæ deducebant, qvod erat illas ejusdem cum Deo vel Materiâ eſſentiæ ad extremum profiteri. Nam ideò alii Deum fontem faciebant idearum: alii Materiæ formam dabant corporeitatis, veluti cæterarum qvandam radicem. Etiam Epicureus Alexander in hoc conſentiat, ut in illâ materiâ ſuâ rerum ſimul originalis forma deliteſcat.

§. 121. Enimverò qvi hoc univerſum, qvantum qvantum eſt, ſive ex Materiâ primâ, ſive ex Deo, ut paſſivo pariter & activo principio primo eliciunt, hi neceſſe eſt ex iſthoc principio formas etiam tanqvam ex traduce derivent, qvomodo ſoboles è parente non corpus trahit modò, ſed animam. Neqve aliter verum eſſe poteſt, qvod illi dicebant, *omnia eſſe Deum, & Deum eſſe omnia:* qvod & ante Amalricum placuit Scoto Erigenæ, (vid. Schediaſm. p. 60.) niſi Deum pro formali, juxta & materiali rerum univerſarum principio habeant.

§. 122. In hanc inſaniam lapſi ſunt iſti ſemipagani ex amore nimio Platonis, qvem putabant rectè hoc impoſſibilibus, ut vocamus, altis annumeraſſe, ut ex purè nihilo fiat aliqvid.

§. 123. Credas & Religionis noſtræ cum Gentili Syncretiſmum eos cudere voluiſſe. Cùm enim errori, qvem dixi, de impoſſibilitate creandi qvicqvam è nihilo, alterum Ethnici adjunxiſſent, craſſam Deo materiam titulo coæterni principii, cujus è gremio cætera naſcerentur, opponentes: Scotus, Amalricus, Dinantius, belli videlicet

Chri-

Chriſtiani, poſteriore damnato errore priorem retinuere, ad unum independens principium ſic omnia revocantes, ut idem efficientis pariter cauſæ & materiæ officio perfungeretur. Nimirum inter Chriſtum & Belialem componi putabant poſſe diſſidium in has leges, ut Chriſtus omnipotentiam è purè nihilo creatricem, Belial viciſſim principii primi dualitatem ejuraret. His enim utrinqve ſic abdicatis formula deniqve pacis hæc emergebat: Unum eſſe Deum, ſed eundem univerſi materiam primam.

§. 124. Sed qvocunqve conſilio hæreſi huic excludendæ animum applicuerunt ejus autores primi, hòc certum, ψεῦδος πρῶτον eorum fuiſſe, qvòd omnipotentiam Dei metientes decempedâ Gentilium, non niſi ex aliqvâ præjacente materiâ crediderunt efficacem eſſe poſſe.

§. 125. Nam qvòd Aqvinatem Thomam è lib. I. contrà Gentil. c. 17. p. 309. ſecuti Pererius V. Phyſ. 12. & Scheiblerus II. Metaph. 3. n. 289. p. 517. exiſtimant, Dinantium in hanc amentiam inductum eſſe, qvia neſciverit inter differens & diverſum, (inter primò diverſa, & diverſa differentia) diſtingvere, parum habet veriſimilitudinis. Argumentum, è qvo præ hâc ignorantiâ expedire ſe Dinantius reqviverit, ita concipit Thomas: *Si Deus non eſſet idem qvod Materia prima, oporteret differre ea aliqvibus differentiis, & ſic non eſſent ſimplicia: nam in eo, qvod per differentiam ab aliqvo differt, ipſa differentia compoſitionem facit.*

§. 126. Non abnuo, ſonuiſſe hanc ratiunculam in Almarici ſcholâ. Nam eam & Albertus Magnus I. Phyſ. tract. 3. c. 13. licet eâ utentium tacito nomine profert, illiq; ſimiles duas adjungit alias. Sed qvis credat feræ tàm futili, qvæ vix Tironi alicui vexando ſit idonea, non potuiſſe clavem à Dinantio reperiri?

§. 127. Citiùs aſſentiar, cùm veram cauſam effutire, ne in omnipotentiam Dei injurius haberetur, Dinantius non auderet, ad has nænias confugiſſe: aut corradendis prædicatis, qvæ Deo materiæq; primæ communia per ſcholas eo tempore haberentur, qvalemcunqve colorem cauſæ cadaveroſæ ſaltem καθ᾽ ἄνθρωπον qvæſiviſſe. De hoc enim prædicatorum genere non illud eſt modò, qvod notum Thomæ à *ſimplicitate materiæ ac Dei* ducitur, ſed ſunt etiam reliqva duo, qvæ priori juncta legi apud Albertum diximus modò: unum, qvod *ante omne*

Digitized by Google

omne fieri & poſt omne corrumpi eodem modo ſe habeat Materia; alterum, qvòd *ex eâ cuncta producantur, in ipsâq́; fuerint formaliter:* qvæ ambo & in Deum conveniant.

§. 128. Qvid? ſuprà demonſtravimus §. 113. maluiſſe Dinantium ſimplicitatis in ente primo jacturam facere, qvàm unitatis. Qvomodo ergò à *ſimplicitate*, qvàm abjeciſſet, argumentum ducere potuit? Ille profectò, qvi cum præceptore Amalrico contenderet, *Deum eſſentialiter eſſe omnia*, qvomodo ſimplicitatem Dei cuſtodire potuerit, non video. *Omnium* enim nomine procul dubio deſignavit hoc univerſum, qvod cœlo terraq́; & utrinqve comprehenſis conſtat naturis. Hoc nemo Philoſophorum ita inſanivit, ut eſſentiam ſtatueret omnis expertem compoſitionis. Volebat autem Dinantius hoc idem eſſe cum Deo. Ergò ne Deus qvidem ipſi à compoſitione immunis.

§. 129. Πρῶτον itaqve ψεῦδος Dinantii fuit non ignorantia illa, qvid inter diverſa & differentia intereſſet, ſed abnegatio creatricis omnipotentiæ, qvam ingenióſiſſimis qvoqve Gentilium pater mendacii perſvaſerat.

§. 130. Aliud errandi principium habuit is, qvi ævo noſtro phraſin Dinantii ſuſcitavit ab inferis. Nam nec Dinantii veſtigia, nec Platonis, nec Ariſtotelis perſecutus eſt, homo veteris philoſophiæ, qvanqvam germanum ſe Ariſtotelis interpretem ſomniabat, ad miraculum rudis.

§. 131. Ad hoc opinionis monſtrum his gradibus, qvod ex ejus chartis, juſtâ Theologorum interceſſione imprimi vetitis, licuit cognoſcere, pervenit. Qvod hodiè multi faciunt Novatores, formam corporum naturalium ſubſtantialem ſolicitare cœpit, ſed modo planè diſpari. Fatentur novatores, formam aliqvid eſſe totius corporis, ſubſtantiam eſſe negant. Seculi noſtri Dinantius contrà ſubſtantiam eſſe fatetur, partem compoſiti eſſe negat, ipſum corpus naturale meram eſſe formam pronunciat: nempe qvia, cùm forma corrumpitur, ipſum corpus corrumpi vel ruſtici animadvertant. A formâ progreſſus ad materiam primam negavit eam eſſe corpus: hoc enim prædicatum jam totum tranſcripſerat in formam. Seqvebatur ergò, ut Materiam faceret ens incorporeum. Qvid ſi Deus eſſet? Eqvidem pernegant hoc Scholæ: ſed vicit pruritus novandi, ac blandiebantur qvæ-

qvædam, qvæ tùm de Deo dicta in ſacris non malè qvadrare videbantur in Materiam primam, (ut qvòd Act.17,28. in Deo eſſe, vivere, & moveri dicimur; qvòd Rom. 11,36. ex Deo ſcribuntur eſſe omnia:) tùm ab Ariſtotele collata in materiam primam, (ut qvòd ingenerabilis ea ſit & incorruptibilis,) Deo haud dubiè competebant. Qvamobrem eò profectus eſt homo ridiculus, ut Ariſtotelis hoc eſſe dogma perſvaderet ſibi, qvod ipſe, tot ſeculis ignoratum, feliciter luci reſtituiſſet.

§. 132. Porrò ab his initiis mirum dictu qvæ ipſi enata ſint ulterius opinionum monſtra. Qvæ referre nimium hìc foret. Neqve hoc nunc agimus. Et aliqvando tandem à digreſſione prolixâ revertendum eſt ad Stoicos noſtros.

§. 133. Horum Philoſophia qvibusdam in locis ita comparata eſt, ut Platonis Enthuſiaſmum temperare cum Epicuri Atheiſmo videatur. Sapientem ſuum (affectibus exutum) Deo æqviparant: hoc Platonis habent. Deum verò ipſum anguſtiis Fati, qvas nemo Philoſophorum arctiùs conſtringit, concluſum & materiæ complexibus illigatum neſcio an laxiùs habitare faciant, qvam plurium Mundorum, ſi horum orbes maximè contigui fingantur, ſpaciis interceptum cohibitumq; Epicurus. Id intereſt, qvòd Epicuri Deus negotiis mundi intereſſe, ne ſe curis maceret, non cupit; Stoicorum Deus omnia ſibi inviſa approbare ſuffragio, qvia mutare non poteſt, cogitur: ille ſibi ſerviens, hic fato: ille noſtri in ſuâ felicitate ſecurus, hic dignus, cujus miſeratio nos ſubeat. Ipſi decidant inter ſe, utri graviore injuriâ potentiſſimum Numen, idemq; benigniſſimum afficiant.

§. 134. Sed de Stoicis hoc etiam parabam adjicere, valdè affinem eſſe illorum Philoſophiam decreto Dinantii. Dinantio Deus & Materia prima idem planè. Stoicis hæc duo nòn unum qvidem penitus, ſed fœdere tam neceſſario copulata, ut unum per ſe, qvod puncti ſeqventis §. 187. inchoandi negotium erit, conſtituant non minùs, qvàm materia ſuæ formæ conjuncta.

§. 135. Tentemus invenire, qvid eos impellere potuerit in hunc ſcopulum. Tenebant juxta cum cæteris Philoſophis, duo æqvè prima eſſe, Deum & Materiam. Atqvi ſana ratio non niſi *unum* eſſe tale primum permittit. Ipſi ergò cùm neutrum abdicare, nec tamen vel materiam planè ἀνοθεῖν, (qvod Epicureus ille fecit Alexander,) nec Deum in univerſalis Materiæ naturam transformare, (qvod poſteà Di-

nantius,) vellent, ex duobus unum conflaverunt ὑφιςάμενον. Sed ita neceſſe fuit, ut in aliam ſe naſſam induerent, primiq; entis abrumperent *ſimplicitatem*, magis etiam qvàm Alexander & Dinantius. Sed hoc malum ipſi videlicet minus eſſe judicaverunt.

§. 136. E diverſâ parte *ſimplicitati* huic cæteri Philoſophi utcunqve conſultum ire cupientes non permiſcebant naturas, præſertim qvas extremè diſpares putarent: ſed qvia tamen à Deo creatam fateri Materiam nolebant, Entis primi tollere *unitatem* coacti ſunt, & duo æqvè prima relinqvere.

§. 137. Ita qvocunqve ſe verterent illi miſeri, cùm Materiam Deo, qvi capitalis omnium error fuit, ſemel exæqvâſſent, abſurditates effugere non potuerunt: ipſi ut à veritate aberrantes univerſi, ſic inter ſe, ſi factiones eorum ſeparatim intuearis, diſtracti ſententiis.

§. 138. Ac inter *Platonem* qvidem & *Stoicos* de Mundi animâ philoſophantes qvid interſit, ſparſim eſt in ſuperioribus (à §. 21. usq; ad 82.) indicatum. Nunc rem illam in conſertos articulos colligamus. *Primò* Platonici tertium, Stoici primum Deum mundo animando præfecerunt. *Secundò* Platonici animæ Mundi, tertio Deo, qvartum adjecerunt, velut miniſtri loco, Naturam, in qvâ eſſent λόγοι σπερματικοὶ: Stoici hos λόγους ipſi Mundanæ Animæ, ut depoſitum, crediderunt. Itaqve *tertiò* qvod Animam Mundi dixerunt Stoici, ad Platonici diverſis contemplationibus & qvartum ſuum, & tertium, & primum Deum, (nihil vetat ſecundum addi, ſiqvidem Deus Mens qvoqve appellatur Stoicis teſte Lipſio L. Phyſ. Stoic. 7.) interpretari poſſunt. *Qvartò* Anima Mundi Platonica formæ aſſiſtentis, Stoica informantis exemplum habenda eſt.

§. 139. Nunc etiam *Ariſtotelis* de animâ Mundi luſtremus Philoſophiam. Reprehendit eum Clemens Alexandrinus in Protreptico f. 33. ed. Heinſ. qvòd Mundi Animam Deum eſſe exiſtimans, & tamen Providentiam divinam non ultrà Lunam demittens, ipſe à ſe diſſentiat. Verba hæc ſunt: ὅγε τῆς αἱρέσεως [τοῦ περιπάτου] πατὴρ τῶν ὅλων οὐ νοήσας τὸν πατέρα, τὸν καλούμενον ὕπατον ψυχὴν εἶναι τοῦ παντὸς οἴεται. τουτέστι τοῦ κόσμου τὴν ψυχὴν θεὸν ὑπολαμβάνων, αὐτὸς αὑτῷ περιπείρεται. ὁ γάρ τοι μέχρι τῆς σελήνης αὐτῆς διορίζων τὴν πρόνοιαν, ἔπειτα τὸν κόσμον θεὸν ἡγούμενος, περιτρέπεται, τὸν ἄμοιρον τοῦ θεοῦ θεὸν δογματίζων.

§. 140.

§. 140. Carpit Clementem Raynaudus diſt. 6. Theol. nat. q. 1. n. 5. p. 562. *nec enim*, inqvit, *poteſt qvicqvam ex Ariſtotele proferri, qvod errori illi*, (qvi Deum facit Mundi animam propriè dictam & *informantem*, de hâc enim ſermo eſt Raynaudo,) *faveat*.

§. 141. Nobis videtur nec Raynaudus Clementem, nec Ariſtotelem Clemens ſatis intellexiſſe. Ariſtoteli Clemens non tàm Animam Mundi exprobrat, qvàm Providentiam imminutam, (qvod qvidem crimen, licet Raynaudus ibid. diſt. 8. n. 106. p. 887. etiam hâc in parte ſanum Ariſtotelem pronunciet, verum puto,) & qvod ipſe adeo ſibi per conſeqventias pugnet. Porrò cum animam nominat, nullum verbum addit, è qvo intelligatur, ſignatè *informantem* intelligi. Neqve talis Ariſtoteli venerat in mentem, in qvo Raynaudo aſſentior.

§. 142. At verò ſi de *aſſiſtente* qværas, tametſi hâc in re mundanæ animæ vocem Philoſophus in ore, qvod ſciam, non habet, rem ipſam tamen in ſcriptis ejus invenimus: è qvibus eruere laborat & Piccolomineus c. 30. de Mundo p. 631. ſeqq. Puto autem de aſſiſtente & Clementem loqvi: talem enim formam Providentia maximè commendat, & exemplo boni Proretæ intelligitur.

§. 143. Qvare ſi Ariſtoteles toti Mundo Gubernatorem impoſuit Deum, & providentiam ejus tamen ſolo cœlo terminavit, culpandus veniat meritò, ut oblitus ſui.

§. 144. Verùm hîc jam dubito, annon Clementem ipſum, Gentilis licet alioqvi Philoſophiæ peritiſſimum Patrem, deceperit ambiguitas in vocabulo Mundi ſeu Univerſi. Qvo jam totum hoc cœli & terræ opificium intelligitur, jam totius aliqva pars.

§. 145. Et Ariſtoteles qvidem, cùm Deum eſſe Mundi animam innuit, hoc vult, Deum O. M. cœlo ſupremo præſidere. Sphæras enim cœleſtes ſic eum inter Intelligentias partitum eſſe, ut Intelligentiæ ſupremæ ſeu Motori primo, h. e. Deo, cura ſit primi mobilis, qvod veteribus eſt orbis ſtellarum fixarum, ſeu octava ſphæra, ſecundorum mobilium, h. e. orbium in qvibus Planetæ ſeptem volvuntur, Intelligentiis ſecundis, id verò in confeſſo habetur.

§. 146. Jam uti enormiter lapſus eſt in eo, qvòd qvæ infrà Lunam ſunt, qvaſi nullâ providentiâ regerentur, Fortunæ temeritati reliqvit: ſic in hoc certè decreto, utcunqve peſtilenti, ſuperius illud

 dogma,

dogma, qvo Deum orbi primo alligaverat, adeò non convellit, ut alterum alterius intuitu potiùs poſuiſſe videatur.

§. 147. Nam qvod idem Clemens lib. V. Strom. f. 431. ſuſpicatur, Ariſtoteli, ut usqve ad Lunam deduceret providentiam, in mentem ideò veniſſe, qvòd legiſſet verſum Pſalmi 35, 6. *Domine, in cœlo miſericordia tua, & veritas tua usq; ad nubes*, ſiqvidem ante adventum Chriſti nondum revelata fuerit divinorum myſteriorum declaratio: id, ne qvid gravius dicam, ſubfrigidum eſt. Impietatem ſuam hauſit Ariſtoteles non è verbo Dei malè intellecto, homo extrà Eccleſiam, ſed ex verbo Diaboli de duobus coæternis principiis, cui aſſenſum ille cum aliis Gentilibus nimis cupidum præbuit.

§. 148. Itaqve nec illud aſſentior Clementi, qvod d. l. etiam Moſaicum illud Gen. 1. v. 2. *Terra erat inanis & vacua*, ait præbuiſſe gentilibus occaſionem materialis tradendæ ſubſtantiæ, puta, qvæ ſit alterum à Deo creatarum principium æternum.

§. 149. Cæterùm Ariſtoteles ut oculatiſſimo fuit aliàs ingenio, ſic & in hoc imminutæ providentiæ divinæ dogmate, ita ſibi providit, ne ſuis in erroribus temerè ſibi ipſe contradiceret.

§. 150. Ut autem contradictionem illi nihilominus hîc impingeret Clemens, aut ambiguus fecit in vocabulo Mundi ſenſus, aut perperam inſcriptus ipſi liber de Mundo, etiam ante Clementem Juſtino Martyri paræn. ad gent. f. m. 45. habitus pro germano. De priore paulò antè dictum eſt §. 144.

§. 151. De poſteriore, qvod non minùs probabile dixerim, rem ita expedio. Duo dogmata ſunt, in qvibus Ariſtotelem ipſi ſibi committit Clemens: unum, τὸν καλέμενον ὕπατον ψυχὴν εἶναι τοῦ παντὸς, *Deum, qvi ſupremus vocetur, eſſe animam univerſi*; alterum, μέχρι τῆς σελήνης διορίζεσθαι τὴν πρόνοιαν, *fines providentiæ lunà terminari*. Eſt ergò in his contradictio: Deus toti Mundo, ut anima totius, providet, &: ſoli parti, qvæ ſuprà Lunam eſt, providet. Poſterioris ſententiæ paſſim à patribus, nec injuriâ, incuſatur Ariſtoteles: priorem autem fortè vix aliunde collegit Clemens, qvàm ex libro de Mundo. Nam ibi & c. 4. τὴν διὰ πάντων διήκουσαν ἔμψυχον οὐσίαν, h. e. animam mundi (ſuprà §. 8.) & c. 6. (in qvo alias præclara multa de providentiâ ad usqve res mortalium deſcendente leguntur,) τὸν καλέ-

καλέμϑυον ὕπατον habemus his in verbis: *τὴν μὲν ἐν ἀνωτάτω καὶ πρώτην ἕδραν αὐτὸς ἔλαχεν, ὕπατός τε διὰ τοῦτο ὠνόμασται.*

§. 152. Verùm liber iſte de Mundo cujusvis eſt potiùs qvàm Ariſtotelis, qvod non modò §. 8. monuimus, ſed vel è jam dictis haud obſcurè intelligitur. Qvis enim credat eum, qvi aliàs in ſcriptis ſuis vetat Providentiam infrà lunam deſcendere, autorem eſſe ſcripti ejus, qvod eam usqve ad res mortalium demittit? Urgeri ergò id libelli adversùs Ariſtotelem non poteſt.

§. 153. Interim qvod ad præſens de Mundi animâ negotium attinet, cenſuit Ariſtoteles. Cœli ſupremi Rectorem immediatum, ſeu, ſi ita vocare lubet, animam eſſe Intelligentiam primam; ultimi verò Cœli, qvi Lunaris orbis eſt, ultimam: qvanqvam, an Lunæ motrix Intelligentia omnium ultima illi ſit, dubium faciunt de *Intellectu agente* concertationes interpretum.

§. 154. Eos intelligo, qvi cùm conſentiant, Intellectûs agentis nomine Ariſtotelem ſignificâſſe unicam numero qvandam Intelligentiam, qvæ omnibus per univerſum orbem hominibus ad intelligendum præſtet id officii, qvod Sol ad videndum, (in qvo qvidem eos à Magiſtri ſui mente non aberrâſſe autumo,) in eâ Intelligentiâ certò nomine deſignandâ, vel potiùs indice qvaſi digito, ubi eam reſidere credant, demonſtrandâ, ſcinduntur viciſſim. Hîc enim Aphrodiſæus Alexander *Deum ipſum*, Algazel Intelligentiam *orbi Lunæ aſſiſtentem*, Avicenna *Colchodeam* ſuam, totius elementaris mundi præſidem, Avennaſar & Averroes Intelligentiam abſtractam aſſiſtentem determinatè *toti ac ſoli ſpeciei humanæ* nominat, ſi Fortunio Liceto lib. II. de Intell. agente c. 1. 3. 4. 5. fidem habemus.

§. 155. Ex his ergò per Alexandrum & Algazelem Lunaris Intelligentia manebit ultima; cæteri ſuperiorem facient eandem Agente Intellectu: qvem interim concedent omnes animam eſſe Microcoſmi, ſeu potiùs humani generis, ſed aſſiſtentem, neq; tamen res in eo gerendas ultrà ſolos intelligendi actûs moderantem.

§. 156. Vocandus hîc iterum nobis ad partes Raynaudus, qvi loco ſuprà §. 140. citato de Intellectu hoc agente loqventem Gregorium Nazianzenum in alia omnia rapuit. In oratione *περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος* f. 220. ed. græc. Baſil. ann. 1550. ſic ſcribit S. Pater: *Ἑλλήνων δὲ οἱ ϑεολογικώτεροι, καὶ μᾶλλον ἡμῖν προσεγγίσαντες, ἐφαντάσϑησαν*

 μὲν,

μθῦ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ. περὶ δὲ τὴν κλῆσιν διηνέχθησαν, ΝΟΥ͂Ν ΤΟΥ͂ ΠΑΝΤΟ͂Σ, καὶ ΤΟ͂Ν ΘΥ΄ΡΑΘΕΝ ΝΟΥ͂Ν, καὶ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύσαντες.

§.157. Extrema Billius vertit f. m. 225. edit. Antv. ann. 1612. (eſt àutem Oratio 37.) *Univerſitatis nempe mentem, & extrinſecam mentem, aliiſq; id genus nominibus eam appellantes.* Non malè qvidem, ſed clarior interpretatio erat futura, ſi pro *extrinſecâ* Mente dixiſſet *forinſecus advenientem.* Rectiſſimè enim Gregorii Scholiaſtes Elias Cretenſis apud Billium f. 467. hæc interpretatur ex Ariſtotelis decantatiſſimo textu, qvi græcè ſic habet: λείπεται δὲ τὸν νοῦν (Intellectum agentem puta) μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον, (II. de gener. animal. 3. f. m. 819.) Qvem textum qvaſi volens interpretari Cratippus Peripateticus apud Ciceronem I. de divinat. p. 95. ait, *animos hominum qvâdam ex parte extrinſecus eſſe tractos & hauſtos.*

§.158. Sic enim habe. Id vult Gregorius, etiam Gentiles aliqvam de *Spiritu S.* imaginationem videri habuiſſe, ſed nec ſuo eum nomine, nec eodem omnes appellâſſe: alios νοῦν τοῦ παντὸς, alios τὸν θύραθεν νοῦν, alios aliter. Horum ut primum de *animâ Mundi* Platonicâ nihil vetat accipere per Diſſertat. hujus §. 43. ſic alterum in Ariſtotelis *Intellectum agentem* valere non dubium eſt nobis, & geminum hanc in rem locum Ariſtidis Qvintiliani dabimus infrà §. 165.

§.159. Perinſcitè Raynaudus hic contrà Eliam Cretenſem pronunciat. Putat autem *animam extrinſecam* (vix credo græca eum inſpexiſſe,) ad Ariſtotelis intellectum agentem planè nihil pertinere, ſed gloſſema eſſe Nazianzeni, volentis declarare, qvo ſenſu Spiritum S. gentiles animam Mundi appellaverint, nimirum ut formam intelligamus *externam non internam* (aſſiſtentem, non informantem.) Verùm illud Nazianzeni, καὶ τὸν θύραθεν νοῦν ſatis apertè novam Gentilium phraſin, (qvam Ariſtotelis eſſe rectè obſervatum Eliæ,) minimè verò gloſſema ipſius Oratoris præ ſe fert: neqve aliter in conſtructionem cadit.

§. 160. Raynaudo, qvi Scholaſticorum de Intellectu agente ſomniis, ad mentem Ariſtotelis nihil facientibus, & vel hoc ipſo Gregorii loco refellendis, innutritus fuerat, hæc diſciplina in id profuit, ut ne qvidem Cretenſem Eliam intelligeret. Qvem ita citat, qvaſi de animâ rationali, *extrinſecus qvidem adveniente, intrinſecè tamen informante,*

mante, locutus fuerit. Qvorum ut prius verum eſt, ita falſum poſterius. Non enim Elias de intrinſeco informandi officio verbum emiſerat. Neqve hoc officium Ariſtoteles intellectui dat agenti, ſed eum humano generi aſſiſtentem facit duntaxat. Sed Raynaudus Scholaſticorum præjudiciis occupatus locum Ariſtotelis, Eliæ Cretenſi notatum, exaudire aliter non potuit, qvàm qvaſi Ethnico illi ſermo fuerit de animâ rationali ſuâ ſingulis hominibus à Deo infuſâ, & ita corpus informante. Scire debebat, in Gentilium Philoſophiâ nullam formam, qvæ forinſecus accedat, informantem eſſe, omnes aſſiſtentes.

§. 161. Sed *Raynaudum* ſæpè compertum habemus Gentilis Philoſophiæ, atqve inter hanc Ariſtotelicæ, ſtudio eam noſtræ conciliandi, minùs gnarum fuiſſe. Melioris peritiæ ſpecimen hìc nobis *Elias Cretenſis* dedit: qvem aliàs in Ariſtotelicâ Philoſophiâ non parum induſtriæ collocâſſe, vel ex eo conjicimus, qvod de qvæſtione: an *Deus ſit cauſa efficiens Mundi etiam per Ariſtotelem?* integrum ſcripſit opuſculum, citatum Toleto ad VIII. Phyſ. 6. q. 6. in fine p. 234.

§. 162. Cæterùm qvòd Gregorius *Animam Mundi* Platonicam & *Intellectum agentem* Ariſtotelis *cum Spiritu S.* comparat, non ita capiendum, qvaſi res confecta ſit. Seqvitur ibi S. Pater multorum opinionem, illa duo Gentilium aliqvâ ratione ad religionis noſtræ arcanum alludere credentium. Neqve tamen ipſum huic interpretamento nimium tribuiſſe, argumento illud eſt, qvod paulò pòſt Ethnicos iſtos τοὺς ληρεύτας ἐν Ἕλλησι vocat.

§. 163. *Animam Mundi* Platonicam fuiſſe qvi traherent ad *Spiritum Sanctum* ſuprà jam dictum nobis §. 43. & paſſim obvium eſt. Hìc ut magis confirmetur adversùs Raynaudum expoſitio Eliæ, pergendum de *Intellectu Agente* Ariſtotelis.

§. 164. Averroes certè & Rabbini *Intellectum abſtractum* (idem hic cum *agente*) ſeu *Neſchamah* ſciſcunt vocari Spiritum S. ut me docuit Joſephus de Voyſin ad c. 14. diſp. Cabal. R. Iſrael de animâ p. 444. & 447. Cur ergò miremur, ſi idem fecerunt alii jam tempore Nazianzeni? Eundem Intellectum Avicenna *Colchodeam* ſuam eſſe putavit, h. e. animam ſublunaris mundi, (per §. 154.) Et de hoc Avicennæ placito interpretor illud Scaligeri, cùm Exerc. 307. ſect. 18. p. 910. fuiſſe ait, qvi *agentem intellectum eſſe Animam Mundi* dixerint. Secundùm hos

ergò

ergò magna fuerit Agentis Intellectûs Ariſtotelici cum Animâ Mundi Platonicâ, cui & Nazianzenus comitem addebat, cognatio.

§. 165. Agnovit eam & Ariſtides Qvintilianus, cujus hanc in rem lib. III. de Muſicâ p. 133. 134. ed. Meibom. ſatis diſerta ſunt verba: τινὲς τὴν καλουμένην ψυχὴν ΝΟΥ͂Ν ΘΥΡΑΘΕΝ προσειπόντες, τὸ δ' ὑφ' ἡμῶν λεγόμενον φύσιν ψυχὴν ὀνομάσαντες ἀπὸ τῆς αὐτῇ θεωρουμένης τελειότητος ἐντελέχειαν αὐτὴν προσειρήκασι. Id vult ille ſcriptor, qvod ſit Platonicis *anima Mundi*, id eſſe Peripateticis *Intellectum agentem*, ſeu νοῦν θύραθεν, (vides hanc eſſe familiarem ſcriptoribus Græcis, ut ſuprà §. 158. Nazianzeno, ejus periphraſin;) viciſſim, qvod illis qvarta Deorum, (qvam tetigimus §. 45.) *Natum*, (τὴν μεταξὺ ψυχῆς καὶ σώματος ὑπόστασιν paulò antè vocaverat,) his eſſe *Animam*.

§. 166. Videtur tamen Avicenna cum hâc Platonicorum *Naturâ* ipſum qvoqve *agentem Intellectum* permiſcuiſſe. Nam ut Naturæ ſuæ Platonici dabant vim ſeminalem (ſuprà n. 54.) ſic *Colchodeam* ſuam, h. e. Intellectum agentem Avicenna datricem faciebat formarum.

§. 167. Conferri cum his etiam merentur, qvæ Juſtinus Martyr in Parænet. f. m. 73. (græcolat, Pariſ. f. 31.) diſſerit, Platonem in Menone extremo nomine *virtutis*, qvæ nobis non ſine *mente* h) divino munere obveniat, Spiritum Sanctum deſignare voluiſſe. Sed hæc hactenus ad locum Nazianzeni.

h) οὐκ ἄνευ νοῦ. Negandi particulam, Juſtino hìc rectè uſurpatam, malè omittit utraqve, Platonis editio noſtra in Menone, Baſil. A. 134. f. 345. & Francof. A. 1602. f. 428.

§. 168. Sunt qvi & lib. III. de generat. animal. c. 11. f. m. 845. Animam qvandam Mundi reperiſſe ſibi videntur in his Philoſophi verbis: γίνεται ἐν γῇ καὶ ὑγρῷ τὰ ζῷα καὶ τὰ φυτὰ, διὰ τὸ ἐν γῇ μὲν ὑπάρχειν ὑγρὸν, ἐν δ' ὕδατι πνεῦμα, ἐν δὲ τῷ παντὶ i) θερμότητα ψυχικὴν, ὡς τρόπον τινὰ πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη.

i) ἐν δὲ τῷ πνεύματι citat B. Sennertus c. 7. de Chym. conſ. p. 148. & opinor rectiùs, favetq; ſimilis locus lib. II. de gen. animal. c. 7. f. 819. E.

§. 169. Sed qvaliſcunqve anima illa eſt Mundi, diſtingvenda venit omninò ab Intellectu agente Ariſtotelis. Agens Intellectus ipſi è numero Intelligentiarum ſeparatarum eſt, eoq; aſſiſtens forma; at iſta Mundi anima ſeu θερμότης ψυχική, Materiæ per naturam intimè inſita,

ſita, & ſic forma informans potiùs. Intellectus agens cogitationibus hominum; illa θερμότης generationibus viventium præeſt. Intellectus agens particeps divinitatis; non perinde θερμοτης illa. Intellectus agens facultate rationali pollet; illa θερμότης ultrà vitalem vix aſcendit. Itaqve & nonnulli *ſpiritum vitalem* appellare malunt, qvàm *animam Mundi*, ut è Sennerto diſcimus.

§. 170. Vitalem hunc ſpiritum neqvidem effuſum ab agente Intellectu dixerim è principiis Ariſtotelicis, ſed à Sole potiùs cæterisq; ſideribus, in hæc inferiora per motum & lumen agentibus; aut certo modo ab ipſo Deo primi mobilis motore, qvod Piccolomineo placet c. 30. de Mundo p. 633.

§. 171. Qvi tamen textui ex lib. III. de gener. minùs aptè nectit textum è lib. I. de partib. anim. c. 5. f. m. 743. ubi Ariſtoteles Heracliti qvoddam apophthegma in rem ſuam accommodat. Nam eo loco de calore vitali, vel etiam de animâ mundi adeò ſolicitus non eſt Philoſophus, ut de nullâ re minùs.

§. 172. Summa eorum, qvæ de Animâ Mundi ex Ariſtotele hucusqve protulimus, hæc eſt. Qvot orbes cœleſtes, tot Intelligentiæ, ſeu Mentes Orbium motrices. Ita ſupremus orbis Deum ipſum, ut Mentem ſupremam, cæteri ſinguli ſingulas ſecundas Mentes nacti ſunt. Etiam humano generi titulo agentis Intellectûs, ut intelligendi opus procedat, Mens aliqva ſive è dictis una, ſive planè nova præfecta eſt. Cæterùm hæ mentes omnes aſſiſtunt modò, non informant. Ille qvi præter has Elementari Mundo ingenitus hæret Spiritus vitalis, à qvo plantarum & animalium procreationes, ut expers eſt divinitatis, ita qvin informet, nihil obſtet fortaſſe.

§. 173. Ex his facilè æſtimabis, qvantum *Ariſtoteles* qvod ad *Mundi animam* attinet, non à *Platone* modò, (qvâ de re lege porrò, ſed alicubi cum judicio Piccolomineum d. c. 30. de Mundo,) diſtet, verùm etiam à *Stoicorum* Sectâ, qvæ totum, qvantus ab extremâ cœli ſuperficie ad centrum terræ funditur, Mundum à ſummo Deo, ut animâ informante eſſentialiter permeari credebant.

§. 174. De *Epicuro* hîc, ut qvi Diis planè nihil commercii cum hoc Mundo indulgens toto ſe genere ab his omnibus removebat, planè ſilendum.

§. 175. Ideò qvatuor Græcanicæ Philoſophiæ ſectas in hoc argumento his inter ſe limitibus ſecludere licebit: *Epicuro* Deus nihil minùs qvàm Anima Mundi; *Stoicis* anima Mundi totius, & qvidem informans. Retinet prius illud *Plato*, ſed pro informante aſſiſtentem credere jubet. *Ariſtoteles* etiam prius illud mutat, Deumq́; non totius Mundi, ſed extremi tantùm cœli motorem facit.

§. 176. Socios ergò ſui dogmatis ex famoſioribus Græcæ Philoſophiæ ſectis non habuerunt Stoici. Habuerunt fortè ex vetuſtioribus, qvem ſeqverentur, *Diogenem Apolloniatam*, Anaximenis in Ionicâ Scholâ Auditorem. Hic Auguſtino teſte VIII. de Civ. Dei 2. *Aerem dixit rerum eſſe materiam, de qvâ omnia fierent, ſed eum eſſe compotem divinæ rationis, ſine qvâ nihil ex eo fieri poſſet.* Qvo in loco ex conjecturâ non futili *compotem* interpretor, ut informantis formæ: putoq́; Diogenem, ut ab Anaxagorâ diſceſſit circà materiam Mundi, qvæ Anaxagoræ non Aer, ſed Aqva, ſic diſceſſiſſe & circà efficientem cauſam Deum, qvi Anaxagoræ νȣ̃ς ἀμιγὴς (teſte Ariſtotele VIII. Phyſ. 5. & III. de anim. 4. ſ. 345. & 503.) h. e. Intellectus aſſiſtens non informans.

§. 177. Extrà Græciam *Chaldæos* hanc mentem Stoicis præiviſſe Lipſius II. Phyſ. Stoic. 10. p. 79. tradit è Philone. Qvod non mirer valdè, qvi Chaldaicum fatum Stoico intelligam conjunctiſſimum eſſe.

§. 178. Neqve hinc abeunt, qvæ ex *Zabiorum*, (ſunt autem & hi Chaldæi,) doctrinâ tradit Moſes Maimonides Parte III. More Neb. c. 29. p. 422. niſi qvòd hi non totius Mundi, ſed cœli tantùm animam dixerunt Deum. Exiſtimarunt nempe, *Orbes cœleſtes & Planetas eſſe corpora, & Deum Opt. Max. eſſe ſpiritum illorum. Meminit hujus ſententiæ Abubachar Alſaig in Commentario ſuper librum Ariſtotelis de Auditu. Ideò omnes Zabaiſtæ crediderunt Antiqvitatem* (æternitatem) *Mundi, qvia Cœli juxtà illos ſunt Deus.* Hæc Maimonides à Stoicorum placitis non multum abludentia. Raynaudus p. 563. Theol. Natur. Averroem è Thomâ citans refert, Zabiis Deum fuiſſe animam octavæ Sphæræ.

§. 179. E Latinis Stoicorum ſententiam doctiſſimum illius gentis approbaviſſe *Varronem*, hoc eſt, credidiſſe Mundo Deum eſſe pro formâ informante, manifeſtum facio ex Auguſtini VII. de Civ. Dei 6. *Dicit Varro, Deum ſe arbitrari eſſe animam Mundi, qvem Græci vocant κόσμον, & hunc ipſum Mundum eſſe Deum. Sed ſicut hominem ſapientem, cùm*

cùm ſit ex corpore & animo, tamen ab animo dici ſapientem : ita Mundum Deum dici ab animo, cùm ſit ex animo & corpore.

§. 180. Idem Varro in hoc negotio gradûs Animæ Mundanæ diſtinxit. Sic enim de illo iterum Auguſtinus libri ejusd. c. 23. *Tres eſſe affirmat animæ gradûs in omni univerſâq; naturâ.* Unum, *qvi omnes partes corporis, qvæ vivunt, tranſit, & non habet ſenſum, ſed tantùm ad vivendum valetudinem. Hanc vim in noſtro corpore permanare dicit in oſſa, ungves, capillos, ſicut in Mundo arbores ſine ſenſu aluntur, & creſcunt, & modo qvodam ſuo vivunt.* Secundum *gradum animæ dicit, in qvo ſenſus eſt; hanc vim pervenire in oculos, aures, nares, os, tactum.* Tertium *gradum animæ eſſe ſummum, qvi vocatur animus, in qvo intelligentia præeminet : hoc præter hominem omnes carere mortales. In qvâ qvoniam homines Deo videntur eſſe ſimiles, hanc partem animæ Mundi dicit Deum, in nobis autem Genium vocari. Sic ergò & in animâ Mundi tres gradûs inſtituens* unam *partem ejus lapides eſſe dicit ac ligna, & hanc terram, qvam videmus, qvo non permanat ſenſus ;* aliam verò, *qvam ſenſum vocat ejus, ut æthera;* tertiam *porrò, qvam & animam* (lego, animum) *ejus nuncupat, qvæ ſcil. pervenit in aſtra : eam qvoq; aſſerit facere Deos, & per eam qvando* (lego, qvod) *in terram permanat, Deam Tellurem, qvod autem inde permanat in mare atq; Oceanum, Deum eſſe Neptunum.*

§. 181. Cum his omninò conferri merentur, qvæ de Stoicorum ſententiâ Laertius prodidit Zenone, qvorum hoc eſt initium p. 372. τὸν κοσμον οἰκεῖσθαι κατὰ νοῦν, --- εἰς ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ καθάπερ ἐφ' ἡμῶν τῆς ψυχῆς, ἀλλ' ἤδη δι' ὧν μὲν μᾶλλον, δι' ὧν δὲ ἧττον. δι' ὧν μὲν γὰρ ὡς ἕξις κεχώρηκεν, ὡς διὰ τῶν ὀστῶν, καὶ τῶν νεύρων, δι' ὧν δὲ ὡς νοῦς, ὡς διὰ τοῦ ἡγεμονικοῦ.

§. 182. Redeo ad Auguſtinum. Qvi multus eſt in Varrone refutando, qvodq; obiter obſervo, paſſim non aliter accipit animam Mundi, qvàm pro formâ informante. Qvomodo & Thomas accipit, dum I. ſumm. Q. 3. artic. 8. eos, qvi poſuerunt, qvòd Deus eſſet anima Mundi, arguit erroris circà Qvæſtionem : *An Deus in compoſitionem aliorum veniat?* Atqve hoc ſenſu ut ipſe Auguſtinus dubitat lib. I. de conſenſ. Evang. c. 23. (Tom. IV. oper. f. 384.) *utrum univerſa iſta corporalis moles habeat qvandam animam?* ſic certum habet, animam illam, ſi qva ſit, non eſſe Deum. Vid. & lib. VII. de Geneſ. ad lit. c. 12. (Tom. III. f. 598.)

§.183. Ac certè gravem injuriam Deo fecerunt, qvicunq; illum huic univerſo indiderunt pro animâ informante: ferendi alioqvi, ſi aſſiſtentem intellexiſſent.

§.184. Varroni apud eundem Auguſtinum lib. IV. de C. D. c.31. ſoli ei videbantur animadvertiſſe, qvid eſſet Deus, qvi crediderunt, *eum eſſe animam motu* (Lipſius mavult, *mente*, p.79. Phyſiol. Stoic.) *ac ratione mundum gubernantem.* Qvis hoc non laudet, ſi benignè interpreteris? Carpit Auguſtinus tamen, videlicet ex cauſâ, qvam dixi, qvia Mundi anima nil aliud illi, ac ſanè Varroni qvoqve ſonabat, qvàm partem, qvæ informet, eſſentialem. Qvamobrem *Deus verus*, inqvit, *non anima, ſed animæ qvoqve* (puto legendum, cujusqve) *eſt effector & conditor.*

§.185. Alibi (c.12. ejusd. libri) urget, *ſi Mundi animus Deus eſt, eiq; animo Mundus ut corpus eſt, ut ſit unum animal conſtans ex animo & corpore, atq; iſte Deus eſt ſinus qvidam naturæ, in ſe ipſo continens omnia, ut ex ipſius animâ, qvâ vivificatur tota iſta moles, vitæ atq; animæ cunctorum viventium pro cujusq; naſcentis ſorte ſumantur: nihil omninò remanere poſſe, qvod non ſit pars Dei. Qvod ſi ita eſt,* inqvit, *qvis non videt, qvanta impietas & irreligioſitas conſeqvatur, ut qvod calcaverit qvisqve, partem Dei calcet, & in omni animante trucidando pars Dei trucidetur?*

§.186. Planè hoc argumentum in Stoicos qvoqve effundit Lactantius lib. VII. c.3. p.533.534. idq; venâ copioſiore: *ſi hæc omnia, qvæ videmus, Dei membra ſunt, jam ab his inſenſibilis conſtituitur Deus, qvoniam membra ſenſu carent: & mortalis eſt, qvoniam videmus, membra eſſe mortalia. Poſſum enumerare, qvoties repentinis qvaſſatæ motibus vel hiaverint terræ, vel deſcenderint in abruptum: qvoties demerſæ fluctibus & urbes & inſulæ abierint in profundum; frugiferos campos paludes inundaverint; flumina & ſtagna ſiccaverint; montes etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adæqvati; plurimas regiones & multorum fundamenta montium latens & internus ignis abſumit* (mallem, abſumſerit.) *Et hoc parum eſt, ſi membris ſuis non parcit Deus, niſi etiam homini liceat aliqvid in Dei corpus. Maria extruuntur, montes exciduntur, & ad eruendas opes interiora terræ viſcera effodiuntur. Qvid, qvòd ne arari qvidem ſine laceratione divini corporis poteſt? ut jam ſcelerati &*

impii

impii ſimus, qvi Dei membra violemus. Patitúrne ergò vexari corpus ſuum Deus, & debilem ſe vel ipſe facere, (lego, facit,) *vel ab homine fieri ſinit.*

§. 187. Verùm hæc jam ad QVARTUM punctum pertinet, (& de tertio qvidem ſatis hactenus, vel etiam plus ſatis,) qvod erat, Deum & Materiam conſtituere Stoicis *unum per ſe* compoſitum. Hoc ipſum Lactantius illis clarè ſatis objecerat ſub initium citati capitis pag. 532.

§. 188. Verba ejus hæc ſunt: *Qvomodo poteſt idem eſſe, qvod tractat & qvod tractatur? Si qvis dicat idem eſſe figulum, qvod lutum, aut lutum idem eſſe qvod figulum, nonne apertè inſanire videatur? At iſti uno Naturæ nomine duas res diverſiſſimas comprehendunt, Deum & Mundum, artificem & opus, dicuntq; alterum ſine altero nihil poſſe, tanqvam Natura ſit Deus Mundo permiſtus.*

§. 189. Nec diſſimulare dogmatis falſitatem potuit Lipſius II. Phyſ. Stoic. 10. verbis extremis: *Hic error, qvòd æternum illud & ſecretum cum perituris impuriſq; UNIONIS nexu miſcent.*

§. 190. Hoc ipſo eos liqvidè diſtingvas à Platone, qvi τὰ νοητὰ & αἰσθητὰ duas naturas profitebatur, non duas partes unius naturæ, nomina tam pugnantia illis imponens, ut alterum horum ens, alterum non ens appellandum cenſeret. Apulejus de dogm. Platonis p. 252. ed. Col. Τὰς οὐσίας, *qvas eſſentias dicimus, duas eſſe ait,* (Naturas binas vocat p. 255.) *per qvas cuncta gignantur, Mundusq; ipſe: qvarum una cogitatione ſolâ concipitur, altera ſenſibus ſubjici poteſt. --- Et ſicut ſuperior VERE ESSE memoratur, hanc VERE NON ESSE poſſumus dicere. Et primæ qvidem ſubſtantiæ primum Deum eſſe, & Mentem, Formasq; rerum* (habes Trinitatem Platonicam, de qvâ ſuprà §. 23.) *ſecundæ ſubſtantiæ omnia, qvæ informantur, qvæq; gignuntur, & qvæ à ſubſtantiæ ſuperioris* (primæ puta,) *exemplis* (h. e. ideis, non λόγοις σπερματικοῖς,) *originem ducunt, qvæ mutari & converti poſſunt.*

§. 191. Immani intervallo diſtat ab his doctrina Stoicorum, qvibus ex vero Plutarchus objicit, communes notitias in eo negari ab illis, qvòd Deum, qvem principium eſſe primum fatentur, ſimplicem tamen eſſentiam negent, ex diverſiſſimis naturis compoſitum velint, lib. adv. Stoic. de communib. notitiis f. m. 1085. στοιχείου γε μὴν ἔννοια καὶ ἀρχῆς κοινὴ πᾶσιν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀνθρώποις ἐμπέφυκεν, ὡς ἁπλοῦν καὶ ἄκρατον εἶναι καὶ ἀσύνθετον. οὐ γὰρ στοιχεῖον, οὐδὲ ἀρχὴ τὸ με-

μιγμένον, ἀλλ' ἐξ ὧν μέμικται. καὶ μὴν οὗτοι τὸν θεὸν ἀρχὴν ὄντα σῶμα νοερὸν καὶ νοῦν ἐν ὕλῃ ποιοῦντες, οὐ καθαρὸν, οὐδὲ ἁπλοῦν, οὐδὲ ἀσύνθετον, ἀλλ' ἐξ ἑτέρου καὶ δι' ἑτέρου ἀποφαίνουσι. Non poſſet ita loqvi Plutarchus, ſi Stoici Deum cum materiâ facerent *unum per accidens*, hoc enim ſimplicitati divinæ nihil detraheret. His junge, qvæ diximus §. 134. & ſeqq.

§. 192. QVINTUM erat, *Mundo & Deo nominum intercedere communicationem.* Etenim, qvem nos *Deum*, ipſi qvoqve *Mundum* dicebant. Laertius Zenone p. 372. λέγουσι δὲ τὸν κόσμον τριχῶς, αὐτόν τε τὸν θεὸν, --- καὶ αὐτὴν δὲ διακόσμησιν τῶν ἀστέρων, --- καὶ τρίτον τὸ συνεστηκὸς ἐξ ἀμφοῖν. Jam è converſo qvoqve *Mundum* eſſe *Deum* docebant. Adi Lipſium lib I. Phyſiol. Stoic. diſſert. 8.

§. 193. Enimverò ipſas qvoqve *Mundi partes* Deos faciebant, magnâ videlicet illâ Mundi animâ ſingulas inſpiratas. Cicero in Lucullo p. 30. *Erit perſvaſum etiam* (Stoico,) *Solem, Lunam, Stellas omnes, Terram, Mare Deos eſſe, qvòd qvædam animalis intelligentia per omnia ea permeet & tranſeat.* Plutarchus I. de plac. Philoſ. 7. f 882. ed. græcol. Francof. A. 1620. *Stoici dicunt, Deum eſſe* πνεῦμα μὲν διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου, τὰς δὲ προσηγορίας μεταλαμβάνον δι' ὅλης τῆς ὕλης, δι' ἧς κεχώρηκε, παραλλάξει k), θεὸν δὲ l) καὶ τὸν κόσμον, καὶ τοὺς ἀστέρας, καὶ τὴν γῆν m), τὸν δὲ ἀνωτάτω πάντων νοῦν ἐν αἰθέρι n).

k) Xylander in notis f. 20. emendat ex Euſebio, διὰ τὰς ὕλης — παραλλάξεις. Qvam emendationem confirmes & ex Pſeudogaleni Hiſt. philoſ. tit. περὶ θεοῦ (Part. IV. Oper. Galen. f. 428. ed. Baſil. A. 1538.) Sic enim ibi legitur: κατὰ τὰς τῆς ὕλης, δι' ἧς κεχώρηκε, παραλλάξεις.

l) Pſeudogalenus, θεοὺς δὲ.

m) addit Pſeudogalenus, εἶναι νομίζουσι.

n) Pſeudogal. τὸν δὲ ἀνωτάτω πάντων τὸν νοῦν εἶναι τὸν θεόν. Cum qvo conferendum, qvod Laertius Zenone p. 373. ſcribit, τὸ καθαρώτερον τοῦ αἰθέρος Stoicis vocari πρῶτον θεόν.

§. 194. De Stoicis ergò exaudiendum illud Senecæ in fragmento libri contrà ſuperſtitiones, apud Auguſtinum lib. VI. de Civ. Dei c. 10. *Hoc loco dicat aliqvis: Credam ego,* (ſubaudi cum Stoicis,) *Cœlum & Terram Deos eſſe, & ſuprà Lunam alios, infrà alios? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem, qvorum alter fecit Deum ſine corpore,*

pore, alter ſine animo? Ut Plato hîc diſtingvitur verbis ultimis à Stratone, ſic à Stoicis, de qvibus prima textûs hujus interpretor, uterqve. Afferuntur hæc è perſonâ ejus, qvi civilem ſeu publicam Theologiam, qvâ Jupiter, Apollo, dii deæq; alii colebantur in templis, defenderet adverſus naturalem Philoſophorum cujuscunqve familiæ, ſive Stoicorum ea eſſet, qvi Cœlum, Terram, Sidera pro diis habebant, ſive Platonis, qvi Deum incorporeum faciebat, ſive Stratonis, cujus mentem brutæ materiæ primæ divinitatem adſcribentis expoſuimus §. 109.

§. 195. SEXTUM & ultimum reſtat, *Deo & Mundo proprietatum qvoq; intercedere communicationem. Mundus* enim Stoicis ex Deo *ſapiens*, & qvo *nihil melius*; viciſſim *Deus* ex mundo *rotundus*.

§. 196. De *priore* Ciceronem audiamus iterum è Lucullo p. 30. ſic loqventem: *Approbabit Stoicus hunc* Mundum *eſſe* ſapientem, *habere Mentem, qvæ & ſe & ipſam fabricata ſit, & omnia moderetur, moveat, regat.* Et II. de Natur. Deor. p. 30. *Qvæ dilatuntur à nobis, Zeno ſic premebat: Qvod ratione utitur, id melius eſt, qvàm id qvod ratione non utitur.* Nihil *autem* Mundo melius *o)*. *Ratione igitur Mundus utitur. Similiter effici poteſt, ſapientem eſſe Mundum, ſimiliter beatum, ſimiliter æternum. Omnia enim hæc meliora ſunt, qvàm ea, qvæ ſunt his contraria, nec Mundo qvicqvam melius. Ex qvo efficitur, eſſe Mundum Deum.* Seqvuntur in eam ſententiam ibi, nec non p. 32. 33. plura.

o) non modo *in ſuo genere*, ut limitat H[illegible]tomann. IV. Dialect. 18. p. 347. ſed etiam *abſolutè*, ut qvo ne cogitari qvidem qvicqvam melius posſit, qvemadmodùm Stoicorum mentem p. præced. exponit Cicero.

§. 197. De *poſteriore* Lipſiu: I. Phyſiol. Stoic. 8. p. 17. *Qvia igitur Mundus* Deus, *dabant etiam ei* [Deo] globoſam *formam*, (puta qvia Mundo qvoqve σχῆμα tribuerant σφαιροειδὲς apud Laert. Zenone p. 313.) Mox Senecæ verbis hoc adſtruit.

§. 198. Nos etiam Ciceronis, qvi Balbum Stoicum ita loqventem facit II. de nat. Deor. p. 34. 35. *Cùm talem eſſe Deum certâ notione animi præſentiamus, primùm ut ſit animans; deinde ut in omni naturâ nihil ſit eo præſtantius: ad hanc præſenſionem notionemq; noſtram nihil video qvod potiùs accommodem, qvàm ut primùm hunc ipſum Mundum, qvo nihil fieri excellentius poteſt, animantem eſſe & Deum judicem. Hic qvàm volet, Epicurus jocetur, --- & dicat, ſe non poſſe intelligere, qvalis ſit*

ſit volubilis & rotundus Deus: tamen ex hoc, qvod ipſe etiam probat, nunqvam me movebit. Epicurei videlicet Deo dabant humanam ſpeciem, Stoici diſſimilem humanæ rotundam: docentes θεὸν εἶναι ζῶον ἀθάνατον, — μὴ εἶναι μέντοι ἀνθρωπόμορφον, teſte Laertio in Zenone p. 376.

§. 199. Eadem non Stoicis mens *Xenophani* qvoqve Colophonio, ſed neſcio an eâdem de cauſâ, qvi faciebat οὐσίαν θεοῦ σφαιροειδῆ μηδὲν ὅμοιον ἔχουσαν ἀνθρώπῳ, apud eundem Laert. in Xenoph. pag. 456.

§. 200. Eadem *Platoni*, ſi eidem Laertio credimus in Plat. p. 162. ſed ex cauſâ planè contrariâ. Non enim Dei rotunditatem ex Mundo, ſed Mundi ex Deo deducebat, nempe ut ſimilis eſſet Patri ſoboles. Verùm de Platone Caſaubonum, vide notis ad Laertium p. m. 60.

§. 201. Cæterùm à Stoicis profectum, ut *Sapiens* etiam, qvem parem Deo per philoſophiam fieri cenſebant, (Senec. Epiſt. 48. p. 353.) *rotundus* eſſe, (alii malebant qvadratum, ſuas & ipſi rationes ſecuti,) crederetur debere. Seneca c. 8. de vitâ beatâ: *Mundus qvoq; cuncta complectens, Rectorq; Univerſi Deus in exteriora qvidem tendit, ſed tamen in totum undiq; in ſe redit. Idem noſtra mens faciat, cùm ſecuta ſenſûs ſuos per illos ſe ad extrema porrexerit, & illius & ſui potens ſit, & (ut dicam) devinciat ſummum bonum.* Auſonius idyll. 16. qvod de bono viro inſcriptum vulgò inter Virgiliana legitur:

Vir bonus & ſapiens —
Qvid Proceres, vaniq; ferat qvid opinio vulgi,
Securus, Mundi inſtar habens, teres atq; rotundus,
Externæ ne qvid labis per devia ſidat.

Horatius lib. II. Sat. 7.

Qvisnam igitur liber? Sapiens *ſibiq; imperioſus,* —
Fortis, & in ſe ipſo totus teres atq; rotundus,
Externi ne qvid valeat per leve morari.

§. 202. Vim ſimilitudinis & originem non aſſecutus eſt Goclenius, cùm q. 43. Eth. p. 323. negat globum exprimere naturam *boni viri,* qvi *conſtans* eſt, *cùm globus omnium corporum ſit maximè volubile, & loco ſtare rotundum neſciat.* In alieno fateor. Sed qvid hoc adverſus hanc ſimilitudinem? Nam nec ſapientem oportet hærere alienis. Solus figurarum globus omni ex parte ſibi ſimilis eſt. Solus extrà ſe poſita

ſita cùm tangit, puncto tangit, eoq; in iis non acqvieſcit. Hæc intuebantur, qvi Sapientem globo comparabant potiùs, qvàm cubo.

§. 203. Imò globoſus ille ſive Deus ſive Mundus, ad qvem reſpiciebant, ne qvidem pulviſculum extrà ſe novit, ſed totus in ſe collectus incumbit ſibi, non alteri, nec habet ejus αὐτάρκεια, qvorſum extrà ſe rotetur. Hoc ipſum Stoicos movere potuit, cur Deo ſuo figuram dare vellent rotundam, ut, qvi per Mundum globus eſſet, per ſe ipſe ſimilis haberetur globo.

§. 204. Non reclamat hiſtoriæ noſtræ Lactantius, cùm ait c. 18. de irâ Dei prope fin. *Omitto de figurâ Dei dicere, qvia Stoici negant, habere ullam formam Deum.* Fecerunt enim Stoici & *rotundum* Deum, & *informem*, ſed reſpectibus diverſis. *Rotundum* in Mundo *formato*; *informem* in *informi*, certo etiam modo, ut §. præc. declaravimus, in ſe.

§. 205. Enimverò dabant Mundo duplicem ſtatum, elaboratum alterum, ſuæq; aſſertum formæ, alterum rudem atqve informem. Facilè hoc intelliget, qvi recordabitur circulorum qvibus illi Mundum jam pulchro aſpectu formoſum, jam in deformes favillas relapſum rotabant, de quibus ſub finem theſ. XI. dictum.

§. 206. Mundo ergò formato ſecundùm ipſos figura rotunda, informi nulla, ſive *Deum* ſpectes ſive *Materiam*. Laertius ubi duo principia ipſorum commemoraſſet p. 370. Deum & Materiam, pergit p. 371. ἀλλὰ καὶ σώματα εἶναι τὰς ἀρχὰς, καὶ ἀμόρφους. Vertit Lipſius I. Phyſiol. Stoic. 4. p. 9. *Corpora, ſed informia eſſe principia.* Benè. Sed in illo nimirum ſtatu ruditatis,

§. 207. Ac ſeorſim de *Materiâ* teſtatur Pſeudogalenus Hiſt. Philoſ. tit. de nat. philoſ. genere ſ. m. 4. *Plato, Ariſtoteles & Stoici* (materiam opinantur) *naturam qvandam informem, ex qvâ primùm qvatuor elementa, tùm reliqva fiant.*

§. 208. De *Deo* ſeorſim conſiderato dubitet aliqvis. Qvomodo enim informis Deus, cùm in illo etiam Materiæ rudimento inſtar animæ ſemine comprehenſæ λόγους contineat σπερματικοὺς per §. 60. ſitq; adeò *forma* formarum futurarum per §. 88.

§. 209. Erit fortaſſe, qvi invertat hoc argumentum, & retorqveat ex eo, qvòd abſtractum à ſuo concreto denominari non poſſit: vid. Jo. Pic. Mirand. c. 4. de Ente & Uno. Qvare nec formam licebit

 appel-

appellare formatam. Sed neſcio an ad hanc ſubtilitatem confugituri fuerint Stoici.

§. 210. Sic eos puto potiùs reſponſuros: informem certè iſto in ſtatu Deum eſſe, ſed eo nempe modo, qvo & ipſum ſemen vel inſitam illi animam informem dicimus, h. e. expertem formæ, qvæ in opere futuro, cùm ſuis figuratum membris ac diſtinctū partibus fuerit, conſpicietur: de cætero tùm demùm formam induere, cùm rudem materiam elaboraverit; tunc enim depoſito ruditatis ſtatu & Deum & Materiam formâ veſtiendos, unâ qvidem ipſa tota, variis verò partes ipſorum.

§. 211. Vide, qvemadmodùm hæc omnia Plutarchus lib. I. de plac. Philoſ. c. 6. ab initio, vel Poſidonius potiùs, (nam hujus ea definitio commemoratur, ut è Stobæo diſco apud Lipſium I. Phyſ. Stoic. 7. p. 14.) in ſpecie ad Deum applicet, eumq; ſimul è dictis interpretare: *ἀφορίζονται τὴν τοῦ θεοῦ οὐσίαν οἱ Στωικοὶ οὕτω, πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, οὐκ ἔχον μὲν μορφὴν* (in ſtatu ruditatis,) *μεταβάλλον δὲ εἰς ἃ βούλεται, καὶ συνεξομοιούμενον πᾶσιν,*) in ſtatu elaboratæ perfectionis.) Pſeudogalenus Hiſt. Phil. f. 3. *Plato & Stoicus Zeno, qvid eſſet Deus, explicantes, non Mundum ipſum eſſe dixerunt, ſed præter hæc omnia qviddam aliud, incorporeum qvidem, ut Plato ſentit, corporeum verò, ſicut Zeno aſſeverat: neuter tamen, qvæ Dei forma ſit, exponere eſt auſus. Sed Epicurus humanam ipſum habere figuram credidit, Stoici propriam qvidem ſemper eum non retinere, (ἰδίαν μὲν ἰδέαν οὐκ ἔχειν διηνεκῶς,) ſed igneus ſpiritus cùm ſit, omnium, qvibus affluxerit, formam facilè ſuſcipere, illisq; ſimilem effici.*

§. 212. Abſolvi ſex puncta qvæ §. 4. promiſeram. Qvorum ſumma eſt: *Ut corpus & anima unus eſt homo: ſic Materiam & Deum Stoicis unum eſſe Mundum.* Ita *Stoici* diverſiſſimas naturas miſcuerunt in *unum per ſe*, qvod nemo aliàs Philoſophorum illius celebris Qvadrigæ græcanicæ auſus eſt. Nam cæteri aut omnem planè Dei cum materiâ conjunctionem ejurarunt, ut *Epicurus*; aut aliqvam largiti ſunt qvidem, ut *Plato* & *Ariſtoteles*, ſed qvæ è duobus illis non magis unam ſubſtantiam faceret, qvàm figulus cum luto, gubernator cum navi unus eſt.

DIS-

DISSERTATIO XV.

Ad Theſ. XIV. y.

Stoica animarum mortalitas.

§. 1.

STOici *uſuram nobis largiuntur tanqvam cornicibus. Diu manſuros ajunt animos, ſemper, negant,* inqvit Cicero lib. I. Tuſcul. p. 164.

§. 2. Qvamdiu igitur? Reſpondet Lipſius III. Phyſiol. Stoic 11. p. 138. *Ad Ecpyroſin illam ſive conflagrationem, cùm omnia reſolvuntur, & ad initia ſua revertuntur. Animæ igitur tunc omnes iterum ad Mundi Animam, id eſt ad Jovem. Qvâ mente æterna* [miſeram æternitatem!] *aliqvando dicuntur.* Hæc Lipſius. Qvi mox è Laertio tradit, ita qvidem Cleanthem ſenſiſſe, ſed Chryſippum ſolis ſapientum animabus hoc qvaſi privilegium dediſſe, ut durarent ad usqve orbis incendium.

§. 3. Enimverò Stoici qvidam, (de qvibus & Plutarchum interpretare IV. de plac. Philoſ. 7.) diſtingvebant hîc animas *ſapientes* à *fatuis*. Fatuorum animas ajebant non magis eſſe ſuperſtites corporibus, qvàm brutorum: τὰς τῶν ἀφρόνων (ἀπαιδεύτους vocat Plutarchus,) καὶ ἀλόγων ζώων ψυχὰς συναπόλλυσθαι τοῖς σώμασι, Arius Didymus apud Euſeb. XV. præp. Evang. 20. f. 822. (al. 480.) Qvi tamen in præcedentibus, (qvæ & apud Theodoretum lib. X. de Græc. aff. curat. f. m. 589. reperias,) ex eorum mente ſtultorum animas, poſtqvam ſolutæ ſint corporibus *ad aliqvantum tempus* (περὶ πόσους τινὰς χρόνους) ſupereſſe ſcribit. Sed hæc aliis ulterius diſcutienda relinqvo: non multum interim referre dixerim, unà cum corpore extingvi aliqvis dicat hominis fatui animam, an paulò pòſt.

§. 4. Panætius absqve diſcrimine animas hominum, (ſapientum æqvè ac ſtultorum,) objiciebat morti, duabus id rationibus ſvadens apud Ciceronem I. Tuſcul. p. 165. Volebat enim, *qvicqvid natum ſit, interire; naſci autem animas, qvod declarat eorum ſimilitudo, qvi procreantur, qvæ etiam in ingeniis, non ſolùm corporibus, appareat* a). Hæc una ratio. Afferebat & alteram: *nihil eſſe, qvod doleat, qvin id*

ægrum eſſe poſſit; qvod autem in morbum cadit, id etiam interiturum: dolere autem animos; ergò & interire a).

a) obiter obſerva, videri Panætium originem animæ qvæſiviſſe, ut loqvimur, in traduce: non malè qvidem; ſed hanc veritatem corrupit admixto errore de animâ ſimul cum corpore moriturâ.

§. 5. Igitur de Panætii ſectatoribus exponendum, qvod ait Gobelinus Perſona æt. V. Coſmodrom. c. 3. f. 89. *Iſti* (Stoici) *animam cum corpore perire dicunt.*

§. 6. Ita de animarum exitu tres licebit Stoicorum ſententias numerare. Unam *Panætii*, mori omnes cum corporibus; alteram *Chryſippi*, non omnes, ſed ſtultorum tantùm; tertiam *Cleanthis*, omnes ſupereſſe, ſed non niſi usqve ad conflagrationem univerſi: hanc enim ipſe cum Chryſippo admittebat, Panætius viciſſim negabat, ut ad Theſ. VIII. lit. a. monuimus.

§. 7. Cuinam claſſi principem adſcribam Stoicorum *Zenonem*, imò num fortè qvartam ille ſententiam tribus adjungat, dubitare me faciunt non clara ſatis de ipſo Gennadii verba c. 16. de Eccleſ. dogmat. Ut rem alii judicare liqvidiùs poſſint, caput integrum adſcribo: *Solum hominem credimus habere animam ſubſtantiam, quæ exuta corpore vivit, & ſenſus ſuos atq; ingenia vivaciter tenet. Non cum corpore moritur, ſicut Arabus* b) *aut Epicurea vanitas aſſerit: neq; poſt modicum intervallum*, ſicut Zenon *dicit, qvia ſubſtantialiter vivit, & rationem ſuam tenet.* Sed hæc vix conciliare poſſum cum iis, qvæ de Zenone infrà §. 18. proferam è Lactantio.

b) vel, ut alii legunt, *Arabs*, inqvit Joh. Combach. lib. IV. Phyſ. p. 650. edit. Marp. A. 16 0. Vid. & notas Elmenhorſtii ad Gennad. p. 13.

§. 8. Qvicqvid ſit de Zenone, tres eos, qvos nominavimus, Panætium, Chryſippum, Cleanthem, dicas in internecionem animarum omnes conſpiraſſe. Nam Panætius eas, ne cum mundo perennarent, ſtatim extingvebat omnes cum corporibus: cæteri duo nullam certè vivaciorem pronunciabant mundo, atqve adeò ſi qvid animarum fortè ſupereſſet, cum eo concremabant.

§. 9. At hi tamen inqvies, reducebant eas cum innovatione Mundi. Sanè, ſed ad priſtinas miſerias. Nec omnium tamen hæc ſententia fuit: nam alii, qvæ ſemel conflagraſſent, eas nunqvam reverſuras credebant: (repete, qvæ Diſſert. X. §. 8. diximus.)

§. 10.

§. 10. Plura de mortalitate animarum ſecundùm Stoicos dabunt Delrius in Senecæ Troad p. 438. 441. 442. 449. & Menagius f. 191-192. obſervat. in Laert. lib. VII. Qvo in argumento diſtinctiora qvidem Menagius profert, ſed de re totâ judicium Delrii dignum eſt, qvod etiam hîc legatur. *Valeat*, inqvit p. 449. *Seneca cum ſuis animæ necatoribus. Durius hoc vobis fortaſſis in illum dici videtur, & minùs verè. Senſére hoc, mihi credite, Stoici: ſenſére, qvantumvis ornata verba, velut phaleras ad populum.*

§. 11. Nobis verò aliqva hiſtoriæ philoſophicæ pars expedienda hîc supereſt. Lipſius, dum hanc materiam perſeqvitur, p. 139. velut è Stoicorum mente addit, *genere qvodam fati* extingvi animas etiam meliores, puta *ſi pondere aut mole magnâ unà cum corpore obruantur.* Huc Senecam advocat ex epiſt. 57. licet hâc parte ſuos damnantem. Originem autem & firmamentum huic ſententiæ ait fuiſſe à ſcito, qvòd anima ſit corpus, itaqve pati eadem, qvæ corpus, & affligi, diſſipari, ſolvi. Negat interim eam ſe alibi legiſſe, niſi in Statio, cujus tamen veteres & novi ſcholiaſtæ ſileant. Simile qvid *in aqvis* eſſe, ubi, qvod Servius dicat, *anima, qvia ſit ignea, videatur extingvi.* Idem Syneſium ex Homero notaviſſe. Forſan & huc Senecam adſpexiſſe, ubi ſævitiam Caji exagitat, qvi morituris os pannis conſciſſis farciebat: *Qvæ iſta,* inqvit III. de ir. 19. *ſævitia eſt? liceat ultimum ſpiritum tradere* c): *da exituræ animæ locum.*

c) Sic Lipſius hîc legit pro *trahere*. Mihi verò recepta hæc lectio ſolicitanda non videtur.

§. 12. Aut fallor, aut hæc Lipſiana imitari aliqvo modo voluit Voſſius, cùm I. de Orig. Idolol. 10. f. 40. (al. p. 75.) ita ſcriberet: *Qvidam Stoici ſtultè adeò ſapiebant, ut magnas etiam animas mox ab exceſſu perire poſſe arbitrarentur, idq; vel ſubmerſione* d), *qvia animæ eſſent igneæ, ignis verò aqvis exſtingvatur, unde Heroes, ſi Servium audimus, ſic ſubmergi formidant: vel obtritione, ſi ruina montis, vel alio magno pondere contererentur, qvomodo putant animam diſſipari, qvia non reperit viam, qvà ad cognata meet ſidera. Sed hæc ſententia diſplicuit L. Senecæ Epiſt. LVII. ubi animam ſic qvoq; pondere preſſam ſubtilitate ſua cenſet erumpere.*

d) At hoc Lipſius qvidem non tribuerat aperte Stoicis, ſed horum de animâ vi ponderis aut magnæ molis obruendâ, ut putabat, opinionem illuſtraverat ex iis, qvæ apud Servium ac Syneſium de eâdem aqvis extingvendâ leguntur

tur. A Voſsio deceptus hic etiam videtur fuiſſe Parkerus. Vid. Diſp. noſtram de Plagio literario §. 580. lit. q.

§. 13. Repetit hæc poſteà Voſſius c. 25. ſ. 95. (al. p. 185.) ubi de Japoniis agens; *Sed ubi*, inqvit, *ſtatuunt Paradiſum? Abeſſe à ſe ajunt decies millies millenis millibus. O miſerandam gentem! præſertim qvando in iſthoc tam longinqvo itinere arbitrantur miſellas qvandoq; animas extingvi, ſi fortè eas imber oppreſſerit. Eò faciliùs his ignoſcendum, qvia pleriq; etiam ex Stoicis crediderunt, animas non ſupereſſe poſt mortem, ſi qvis ſubmergatur, vel gravi obruatur ruinâ: tùm enim illam vel extingvi, qvia ignea ſit, vel diſſipari, qvia ſpiritualis ſit* e), *qvemadmodùm cap. X. dicebamus.*

e) imò, ſi Lipſium ſeqvimur, *qvia corpus ſit.*

§. 14. Si Voſſio hæc partim, partim Lipſio de ſubmerſione animarum & diſſipatione credimus, opinionibus Stoicorum tribus, qvas §. 6. memorabamus, qvarta omninò aliqva annumeranda fuerit eorum, qvi cujuscunqve hominis animam, qvæ ordinariè ſuperſtes eſſe corpori potuerit, velut extrà ordinem fati qvâdam violentiâ interire cenſerent ſub ruinâ graviſſimæ molis, aut in aqvæ profundo.

§. 15. Verùm nemo Stoicorum ita ſenſit. Ne veterum qvidem ullus arbitratus eſt, animam aliis caſibus invictam aqvis ſuccumbere, qvod qvidem idoneis probari teſtimoniis poſſit. Nam qvod Servius & Syneſius duos Poetarum Principes huc trahunt, qvòd Berſmanus, Delrius, Cerda ſcriptores alios etiam in ſuppetias vocant, qvàm fruſtrà id faciant, peculiari Diſputatione *de morte in undis* ann. 1667. eſt à nobis demonſtratum. Ubi Lipſio ſimul de duobus Senecæ locis & Papinii tertio fuit §. 18. reſponſum.

§. 16. Nempe hoc volebant iſti Stoici, animas ruinâ montis non interfici qvidem, ſed ad corporis obtritionem dilatari atqve attineri, ne in ſuum qvæqve locum perrumpere poſſet. Huc erat Lipſio afferendum illud de animâ corporeâ ſcitum: Qvanqvam Senecam profectò iſthæc ratio non movit, ut his tribulibus ſuis accederet.

§. 17. Hoc certum, præſtantiores qvoqve Stoicorum credidiſſe, contagem corporis ſi non phyſicam, ut moralem ſic poſſe nocere animæ, ut humo ſe levare ne poſt mortem qvidem corporis qveat. Adſcribemus hanc in rem Lactantii verba, cujus qvidem duos inter ſe locos comparare oportet, qvi habentur lib. VII. c. 7. & 20.

§. 18.

§. 18. Prior hic eſt: *Eſſe inferos Zenon Stoicus docuit, & ſedes piorum ab impiis eſſe diſcretas: & illos qvidem qvietas ac delectabiles incolere regiones; hos verò luere pœnas in tenebroſis locis, atq; in cœni voraginibus horrendis.*

§. 19. Poſterior doctrinam Stoicorum ita exeqvitur: *Animas qvidem hominum permanere, nec interventu mortis in nihilum reſolvi; ſed eorum, qvi juſti fuerunt, puras & impaſſibiles & beatas ad ſedem cœleſtem, unde illis origo ſit, remeare vel in campos qvosdam fortunatos rapi, ubi fruantur miris voluptatibus; impiorum verò, qvoniam ſe malis cupiditatibus inqvinaverunt, mediam qvandam gerere inter immortalem mortalemq; naturam, & habere aliqvid imbecillitatis ex contagione carnis, cujus deſideriis ac libidinibus addictæ ineluibilem qvendam fucum trahant, labemq; terrenam; qvæ cùm temporis diuturnitate penitus inhæſerit, ejus naturæ reddi animas, ut ſi non extingvibiles in totum, qvoniam ex Deo ſunt, tamen cruciabiles fiant per corporis maculam, qvæ peccatis inuſta ſenſum doloris attribuit.*

§. 20. Obſerva obiter aliud Stoicorum diſſidium de loco animarum piarum. Qvas poſt mortem alii locabant in campis fortunatis, videlicet qvos Elyſios uſurpare ſolemus, alii in ipsâ cœleſti ſede. Qvâ verò parte cœli, Tertullianus nos doceat, qvi, Lactantio cætera non difficulter componendus, hoc diſſidet, qvòd animarum tres ordines, non duos tantùm conſtituit, piis atqve impiis neſcio qvas neutras interponens, ut ab obitu piæ qvidem circà Lunam, neutræ circà terram, impiæ in inferis degant.

§. 21. Sic enim loqvitur c. 54. de animâ: *Apud illum* [Platonem] *in ætherem ſublimantur animæ ſapientes,* [has pias nominabamus,] *apud Arium in aerem, apud Stoicos ſub Lunam,* [circà Lunam hoc vocat cap. ſeq.] *Qvos qvidem miror, qvòd imprudentes animas* [hæc animarum illa neutrarum claſſis eſt] *circà terram proſternant, cùm illas à ſapientibus multò ſuperioribus erudiri adfirment. Ubi erit Schola regio in tantâ diſtantiâ diverſorium? qvâ ratione diſcipulæ ad magiſtras conventabunt, tanto diſcrimine invicem abſentes? Qvis autem illis poſtumæ eruditionis uſus ac fructus jamjam conflagratione perituris? Reliqvas animas,* [qvæ neqve piæ ſunt, neqve neutræ, impias ergò,] *ad inferos dejiciunt.*

§. 22.

§. 22. Neutras, de qvibus dictum eſt, animas, neſcio an alibi reperias in dogmatibus Stoicorum. Solent verò hi etiam, cùm *ſapientibus* opponunt *inſipientes*, ſeu ut Tertullianus loqvitur, *imprudentes*, hoc vocabulo ipſas impiorum animas deſignare, non eas, qvæ velut inter virtutem vitiumq; ambigunt.

§. 23. Sed credibile eſt, habuiſſe Tertullianum, qvos ſeqveretur, qvorum ſcripta interciderint. Nam illud etiam, qvod inſpergitur de animarum ab animabus diſciplinâ, Lipſius ſe fatetur non alibi legiſſe III. Phyſ. Stoic. 14. p. 143. ubi locum Tertulliani pluribus illuſtrat.

§. 24. Dubitare poſſis, an omninò tres animarum claſſes è Stoicorum ſententiâ dare voluerit Tertullianus, ac non duas cum Lactantio potius. Qvod ita procedet, ſi ultima verba: *Reliqvas animas ad inferos dejiciunt*, non ad Stoicos pertinere dicas, ſed ad Scholam Platonis. De hoc enim & præceſſerat initiò, & ſeqvitur veſtigiò: *Hos* [inferos] *Plato velut gremium terræ deſcribit in Phædone.* Sed ipſe textus in hanc interpretationem vix migrat commodè. Tres verò etiam animarum ordines in verbis Tertulliani agnoſcit Lipſius d. l. & qvi Lipſii, licet non nominati, compendium hîc dat Voſſius I. de Idolol. 10. f. 40. neuter interim ejus, qvam Lactanrio cum Tertulliano intercedere diximus, diſcrepantiæ obſervator.

DIS-

DISSERTATIO XVI.

ad Theſ. XIII. z.

Stoica mundi æternitas.

§. 1.

ÆTernitas, qvam Mundo Gentiles dabant, aut à fronte, (liceat ſic loqvi,) conſideratur, aut à tergo. A fronte qvoad futurum, à tergo, qvoad præteritum ævum. De utraqve exploremus mentem Stoicorum, & fidem ſuprà Theſ. VIII. lit. s. obſtrictam liberemus.

§. 2. *Futuram* æternitatem, non obſtante univerſali incendio eos Orbi dediſſe, nec Lipſius negat, qvem vide II. Phyſiol. Stoic. Diſſ. 20. p. 103. Diſſ. 22. p. 111. Vidit qvoqve Delrio, qvare p. 533. in Senecæ Octaviam ſcribit: *pleriqve tamen illorum* (Gentilium,) *mundi æternitatem tuentes has exuſtiones admittebant*, (factum hoc tùm ab Epicureis tùm à Stoicis,) *& ad æternitatem hoc ipſum pertinere credebant, Mundum recoqventes ut Medea Iaſonem*.

§. 3. Plus dicam. Æternitatem *Mundo* hi dabant *ne ſemel qvidem interciſam*. Qvomodo inqvies, ſi toties conflagrabit? Diſtingvebant, Stoici qvidem inter διακόσμησιν & κόσμον, Epicurei verò inter *ſummam*, & *ſummam ſummarum*, qvarum illa idem cum Stoicorum διακοσμήσει, hæc cum eorundem κόσμῳ. Lipſium vide, qvi diſtinctiones has profert, alteram ex Ario Didymo, alteram ex Lucretio, & utriusqve ſectæ conſenſum ſtabilit II. 20. & 23. p. 103. & 112.

§. 4. Κόσμος in eâ diſtinctione complexionem Dei ac materiæ, ſeu rerum naturam ſonabat, ſive formata ea eſſet, ſive indigeſta, (Lipſ. II. 6. p. 67.) Διακόσμησις verò Naturam formatam ſolùm. Latiùs ergò patebat κόσμος, qvàm διακόσμησις.

§. 5. Unde vel millies pereunte διακοσμήσει ſalvus tamen ſemper illis κόσμος, ſicut intereunte mixto ſalva ſunt elementa: imò etiam, ſicut intereunte vigiliâ ſalvus eſt, dummodò animam ſervet, ægrotus. Negabant enim unqvam à Mundo ſeparari ejus Animam, Deum. Chryſippus apud Plutarchum de repugn. Stoic. f. m. 1052.

 ἐπεὶ

ἐπεὶ γὰρ ὁ θάνατος μέν ἐστι ψυχῆς χωρισμὸς ἀπὸ τοῦ σώματος, ἡ δὲ τοῦ κόσμου ψυχὴ οὐ χωρίζεται μέν, αὔξεται δὲ συνεχῶς, μέχρις ἂν εἰς αὑτὴν ἐξαναλώσῃ τὴν ὕλην, οὐ ῥητέον ἀποθνήσκειν τὸν κόσμον.

§. 6. Pari modo Ariſtoteles I. de cœlo 10. f. 349. eos, qvi jam ipſius tempore per vices diſſolvi mundum & redintegrari diſputabant, revera mundi æternitatem adſtruere judicat, ætatibus ejus tantùm per circulum qvaſi redeuntibus. *τὸ δ' ἐναλλὰξ*, inqvit, *συνιστάναι καὶ διαλύειν οὐδὲν ἀλλοιότερον ποιεῖν ἐστιν, ἢ τὸ κατασκευάζειν αὐτὸν ἀΐδιον μὲν, ἀλλὰ μεταβάλλοντα τὴν μορφὴν, ὥσπερ εἴ τις ἐκ παιδὸς ἄνδρα γινόμενον, καὶ ἐξ ἀνδρὸς παῖδα, ὁτὲ μὲν φθείρεσθαι, ὁτὲ δὲ εἶναι οἴοιτο.*

§. 7. Paulò pòſt, ut horum ſententiam aperiat magis, inter *κόσμον* & *διαθέσεις αὐτοῦ* diſtingvit, planè ut Stoici inter *κόσμον* & *διακόσμησιν*: nam & *τὸ διατίθεσθαι* & *τὸ διακοσμεῖσθαι* pro ſynonymis uſurpaverat.

§. 8. Jam ut ad alterum æternitatis membrum, qvod in *præterito* ſitum eſt, progrediamur, eâdem diſtinctione conficiebant, Mundum retrò qvoqve æternum eſſe, h. e. carentem principio, qvanqvam hâc de re, diſertim utiqve tradendâ, ſilentium altum ſibi imperavit Lipſius. Eſto enim, non ſemper fuerit *διακόσμησις*, ſemper tamen *κόσμος*, h. e. Deus materiæ ſive rudi, ſive digeſtæ implexus.

§. 9. Neqve ex totâ Philoſophiâ Stoicâ ratio ulla ſe proferet, qvæ coegerit illos, ut innumerabiles qvidem ſtatuerint Mundi periodos futuras, præteritas autem comprehenderent numero, aut præſentem dicerent primam.

§. 10. Qvid opus eſt conjecturis? *περιόδους ἀπείρους γεγονυίας τε καὶ ἐσομένας* apertè ſecundùm Stoicos memorat Arias Didymus apud Euſebium XV. præp. Evang. 15. f. 817. Et in Chryſippeâ qvoqve Fati definitione apud Gellium legimus *φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων ἐξ ἀϊδίου τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων.* Qvæ interpretans Lipſius I. 12. p. 26: non debebat æternitatem Mundi Stoici diſſimulare.

§. 11. Adde qvod Laertius in Zenone præteritam temporis, (qvod *διάστημα* definiebant *τῆς τοῦ κόσμου κινήσεως*) partem non minùs infinitam facit, qvàm futuram: *τὸν μὲν παρακεχωρηκότα (χρόνον) καὶ τὸν μέλλοντα, ἀπείρους* p. 374.

§. 12. Balbus etiam, cui Stoicorum partes delegat Ciceró II. de Nat. Deor. p. 33. *Mundus*, inqvit, *ſi in æterno præteriti temporis ſpacio*

fuit

Digitized by Google

fuit inſipiens, nunqvam profectò ſapientiam conſeqvetur. Manifeſtum eſt, hoc eum velle dicere, Mundum æterno præteriti temporis ſpacio ſapientem fuiſſe, non inſipientem.

§. 13. Hinc & illa declarationem capient, qvæ p. 30. præceſſerant, (qvem locum & Diſſert. XIV. §. 196. tetigimus,) ex argumento Zenonis effici poſſe, *ſapientem* eſſe Mundum, & *beatum*, & *æternum*, puta non futuri tantùm, ſed præteriti qvoqve intuitu. Qvanqvam ex ipſo argumento id perſpicuè intelligitur. Id enim urgetur tùm ibi, tùm alibi paſſim, nihil eſſe melius mundo, h. e. nullam eſſe perfectionem, qvâ Mundus careat. Inter perfectiones autem haud dubium, qvin ſit æternitas qvoq; illa non minùs expers principii, qvàm finis.

§. 14. Hanc ergò adimere Mundo Stoici ſi maximè velint, per ſuas hypotheſes non magis poſſunt, qvàm Zabii, de qvibus audivimus Diſſert. XIV. §. 178.

§. 15. Ecce, ſi negent, ex eâdem pharetrâ telum aliud: Partes Mundi eſſentiales, Deus & Materia (per Diſſert. XIV. §. 11.) Connexio partium æterna, qvia æternarum (per Diſſert. XII. §. 1.) & neceſſaria (per Diſſert. XIV. §. 16.) Ergò Mundus ipſe ab æterno.

§. 16. Itaqve rectè Lactantius (loco qvem §. 83. Diſſert. XIV. deſcripſimus,) Stoicos cogit ad hoc abſurdum, *qvaſi ſimul eſſe cœperint Deus & Mundus*. Qvod qvidem non magis videbatur abſurdum ipſis, qvàm Ariſtoteli, qvi & ipſe Mundi æternitatem, licet aliâ paulò figurâ, propugnavit.

§. 17. Ergò qvòd Stoicos ſuos hâc in re extremè diſſidentes ab Ariſtotele facit Lipſius II. Phyſiol. Stoic. 8. ab init. affectu datum putemus, non veritati. Id enim agebat, ut regnantem in Scolis ejiceret Ariſtotelem, illiq; daret ſucceſſorem Zenonem. Studuit ergò, ut falſiſſimæ ſententiæ patronus haberetur Ariſtoteles, veriſſimæ Stoici.

§. 18. Verba ejus ſunt: *Tanti operis qvis auctor? Nullus, ajunt qvidam, & ab æterno fuit, æternumq; erit.* (Nomen Ariſtotelis hìc ſive ut in re notâ, ſive ut tantò modeſtior videretur, ſive fraudis ſibi conſcius, qvi Ariſtoteli ſimul affinxiſſet ſententiam de nullo mundi autore non ſuam.) *Alii, qvi factum ſtatuunt, partim à Naturâ, ut Strato, partim à Forte & Caſu, ut Epicurus. Stoici veriſſimè, à Deo & Providentiâ eſſe.* A falſo ad verum his gradibus aſcendere nos cupit, ut relicto in poſtremis *Ariſtotele*, per *Stratonis Epicuriq;* calcata colla enitamur ad *Stoicos*.

§. 19. Si veritatem in eâ qvæſtione ſinceram qværebat, omnes Paganos abjicere debebat potiùs: ſin gradûs errorum librare, ordo à peſſimo ad minus malum hic erat: *Epicurus, Zeno, Ariſtoteles, Plato.*

§. 20. Nec enim inſerendus *Strato*, qvem ſcimus cum Epicuro, in hâc qvidem ſummâ ſenſiſſe: (regredere ad Diſſert. XIV. §. 109.) nec omittendus *Plato*, qvem Lipſius malè perſvaſus fuit, idem tenuiſſe cum Stoicis, qvi tamen Ariſtoteli ſimilior hîc eſt, qvàm Stoicis.

§. 21. Enimverò peſſimè hoc *Epicurus*, qvòd Deum è Mundo planè ſuſtulit. Levius peccabant *Stoici*, ſed hoc tamen ſatis grave peccatum, qvòd ex Deo & Materiâ unam maſſam conflabant. Infrà ergò *Ariſtotelem* erant ponendi, qvi ab hâc ferruminatione puras continuit manûs, tametſi Mundum æternum ipſe & neceſſarium faceret non minùs qvàm Stoici. A qvo errore qvia immunis eſt *Plato*, qvantumvis æternæ & ipſe Materiæ aſſertor, minoris eum culpæ præter cæteros rerum pronunciabimus.

§. 22. Hanc ſeriem nos docet veritas Hiſtorica. Qvam ſi amâſſet Lipſius, non erat futurum, ut vel Stoicorum ulcera obtegeret, vel errores Epicuri & Ariſtotelis inter ſe permutaret. Epicuro enim, non Ariſtoteli, nullus auctor fuit Mundi.

§. 23. Sed confingendum videlicet aliqvid fuit, qvod Ariſtotelem deprimeret infrà Epicurum qvoqve. Qvod pluribus hîc oſtendi poterat, niſi jàm id egiſſemus in ſchediaſm. hiſtor. p. 29. & ſeqq. ubi & fraudem oſtendimus ex ambiguo, qvam in vocabulo Mundi commiſit Lipſius.

§. 24. Qvâ ſi qvis uti adversùs ipſum velit, eadem verba in Stoicos, qvæ ille in Ariſtotelem, jactare poſſit. Cedò enim: Qvis auctor Mundi Stoicis? *Nullus ajunt* (eſt enim à ſe ipſo,) *& ab æterno fuit, æternumq; erit.* Utiqve mundum illum, qvem ex Deo Materiaq; componunt, ſi maximè natum fateantur, natum tamen dicent à ſe ipſo, ut Phœnicem: atqve hoc compoſitum ab æterno fuiſſe, æternumq; fore nec ipſi negant, nec per hypotheſes ſuas negare permittuntur.

DIS-

DISSERTATIO XVII.

ad Theſ. XVII. e.

Origenis Mundi ſucceſſivè innumerabiles.

§. 1.

ORigenis de Mundorum perpetuâ ſucceſſione errorem notant Calixtus de ſupr. judicio p. 140. & Voſſius theſ. Theol. p.257.

§. 2. Notavit olim & Arnoldus Abbas Bonævallis p. 16. de Operibus ſex dier. *Origenes ex alio principio iterum alium Mundum, & ſic alternis vicibus atq; in infinitum deceſſum atq; ſucceſſum omnium & ſenſit & ſcripſit, & alia multa impia & nefaria, quæ & replicare criminis eſt.*

§. 3. Ante Arnoldum Hieronymus lib. II. adv. Ruffin. Tom. III. Oper. f. 99. *Probo ego,* inqvit, *inter multa Origenis mala hæc maximè hæretica: Dei Filium creaturam, Spiritum S. miniſtrum, Mundos innumerabiles æternis ſibi ſeculis ſuccedentes.*

§. 4. Et epiſt. ad Avitum Tom. eod. f. 69. *In ſecundo autem libro* (περὶ ἀρχῶν, ubi caput ejus libri tertium nos mittit Calixtus,) *Mundos aſſerit* (Origenes) *innumerabiles, non juxtà Epicurum uno tempore plurimos & ſui ſimiles: ſed poſt alterius mundi finem alterius eſſe principium: & ante hunc noſtrum mundum alium fuiſſe mundum, & poſt hunc alium eſſe futurum, & poſt illum alium, rurſumq; cæteros poſt cæteros.*

§. 5. Etiam ex III. περὶ ἀρχ. c. 5. juxtà Rufini verſionem Calixtus in hanc rem profert Origenis locum. Similem (niſi is ipſe eſt) Strozzius Cigogna lib. I. Theat. nat. c.13. p.135. his verbis: *Nobis placet & ante hunc alium fuiſſe Mundum, & poſt ipſum alium futurum. Vis diſcere, qvòd poſt corruptionem hujus Mundi alius ſit futurus? Audi Eſaiam loqventem:* (c. 65. v. 17.) *Erit cœlum novum & terra nova, qvæ ego facio permanere in conſpectu meo. Vis noſſe, qvod ante fabricam hujus mundi in præterito fuerit? Auſculta Eccleſiaſten* (c. 1. v. 9. 10.) *Qvod eſt qvod fuit? ipſum qvod erit. Et qvod eſt, qvod factum eſt? ipſum qvod futurum eſt: & non eſt omne novum ſub Sole, qvod loqvatur & dicat: ecce*

hoc novum eſt. Jam enim fuerunt in ſeculis priſtinis, quæ fuerunt ante nos.

§. 6. Ex eodem Eccleſiaſtæ textu Cabaliſtas qvoqve, (de qvibus plura Diſſert. ſeq. §. 8.) continuam retrò mundorum ſucceſſionem ſtabilitum iviſſe docet idem Cigogna d. l. p. 131.

§. 7. De eadem mundi æternitate *præteritâ* ex mente Origenis luculentus eſt apud Photium locus cod. 235. f. m. 934. in excerptis è Methodio: ὅτι ὁ Ὠριγένης, ὃν κένταυρον καλεῖ, ἔλεγε συναΐδιον εἶναι τῷ μόνῳ σοφῷ καὶ ἀπροσδεεῖ θεῷ τὸ πᾶν. ἔφασκε γὰρ, εἰ οὐκ ἔστι δημιουργὸς ἄνευ δημιουργημάτων, ἢ ποιητὴς ἄνευ ποιημάτων, οὐδὲ παντοκράτωρ ἄνευ τῶν κρατουμένων. τὸν γὰρ δημιουργὸν διὰ τὰ δημιουργήματα ἀνάγκη, καὶ τὸν ποιητὴν διὰ τὰ ποιήματα, καὶ τὸν παντοκράτορα διὰ τὰ κρατούμενα λέγεσθαι· ἀνάγκη ἐξ ἀρχῆς αὐτὰ ὑπὸ τοῦ θεοῦ γεγενῆσθαι, καὶ μὴ εἶναι χρόνον, ὅτε οὐκ ἦν ταῦτα· & qvæ ibi ſeqvuntur in hanc ſententiam plura. Qvibus adde, qvæ ibid. f. 939. leguntur, ejus commatis, ut in iis ſemina qvædam Præadamiticæ doctrinæ appareat ſuo jam ſeculo jeciſſe Origenem.

§. 8. De *futurâ* verò illâ æternitate, ſeu perpetuo rerum omnium circulo, videnda inprimis Joannis Fechtii Diſputatio de Origene §. 48. & ſeqq. qvi & ipſos in hanc rem Origenis textûs proponit, & §. præced. oſtendit, qvemadmodùm hypotheſis de animarum ante corpora præexiſtentiâ tùm aliis erroribus, tùm etiam huic ſcaturiginem dederit.

§. 9. Qvod ergò in defenſionem Origenis afferri ſolet, talia ipſum ſcripſiſſe non decidendi animo, ſed dubitandi, (qvo in excuſandi genere multus eſt recentiſſimus Origenis advocatus Petrus Halloix lib. IX. Orig. def. q. 4. f. 281. & ſeqq. paſſim,) id, præterqvam qvòd adversùs cœleſtem veritatem ne dubitare qvidem impietate vacat, facilè diluetur, ſi ex laudatâ Diſp. §. 49. & 53. dicamus, ideò dubitatoris perſonam ab Origene ſumptam alicubi, qvia iſta doctrina inter Chriſtianos paulò inſolentior erat, videbaturq; ſecuritatem peccandi & licentiam introducere: cæterùm ſtudio & verbis ad decipiendum compoſitis inſolentiam ſententiarum ſuarum ipſum occultâſſe, maluiſſeq; præmiſſas aperire eruditis, qvàm concluſionem promiſcuæ plebi.

§. 10. Cæterum plura ad hanc Origeniani dogmatis explicationem pertinentia petere licebit è Diſſert. XIX.

DIS-

DISSERTATIO XIIX.

Ad Theſ. XVII. f.

Origenes aliqvâ ex parte Stoicus.

§. 1.

FUit Origenes nulli Græcorum Sectæ addictior, qvàm *Platonicæ.* Res paſſim obſervata. Hîc nihil aliud dico, qvàm generalem ejus errorem, (uti vocatur in Diſp. Fechtii de Origen. §. 45.) qviq; cæteris ejus παραπτώμασι pro radice qvaſi fuit, de *animarum præexiſtentia*, non ex aliâ Scholâ, qvàm Platonis, profectam fuiſſe.

§. 2. Hæc cùm ita ſint, oſtendi tamen poteſt, qvæ de *interitu Mundi* ſua fecit, *Stoicæ* Philoſophiæ ſimiliora eſſe, qvàm Platonicæ. Duo erant: *unum*, accidentia Mundi peritura, non ſubſtantiam: *alterum* innumerabiles Mundi. Utrumq; luſtremus.

§. 3. Fuit Plato ſecurus de totius Mundi incendio (per Diſſert. III. ubi inprimis inſpice §. ult.) Ergò de eo ſimul, qvid illo incendio foret abſumendum, ſoláne accidentia, an cum iis ſubſtantia? Stoici, ut incendium univerſale ſunt confeſſi, ſic illi ſubſtantiam Mundi ſuperſtitem fore crediderunt.

§. 4. Qvomodo? inqvies, cùm ſecundùm ipſos diſſipandum ſit univerſum in confuſionem veterem ac tenebras n[u]llis indigeſtæ? Bene. Hoc ipſum chaos illis erat ſubſtantia Mundi. Complectebatur enim corpus ejus juxtà cum animâ, h. e. Materiam cum Deo: & in eo ſatis habebant, cur κόσμος appellaretur. Repete qvæ diximus Diſſert. XVI. §. 3. 4. 5. Ergò qvod in διακοσμήσει jam accederet, jam perirét, accidentia erant nimirum, qvæ ſalvâ mundo ſubſtantiâ ſuâ non abeſſe minùs, qvàm abeſſe poſſent. Hæc de *priore* Origenis effato.

§. 5. *Alterum* manifeſtiùs adhuc olet porticum Zenonis. Nam *Plato* qvidem, unici aſſertor in perpetuum absqve univerſali deflagratione duraturi Mundi, Mundos infinitos continuo ſibi circulo ſuccedentes, (cave hos confundas cum periodis anni Magni Platonicis,

de

de qvibus Diſſert. ſeq. §. 8.) febricitantis ingenii ſomnia vocaviſſent. Sed eos certè in *Stoicorum* cerebro clariſſimè depictos invenimus.

§. 6. Itaqve rectè Lipſius II. Phyſiol. Stoic. 23. p. 113. pronunciat, eos Chriſtianorum, (Origenem iis ſtatim accenſet,) *nimis fuiſſe Stoicos*, qvi Mundi aſſiduam hanc exuſtionem renovationemq; approbaverint. Add. Voſſ. theſ. Theol. p. 257. Neqve fruſtrà Dan. Cramerus ſcribit Claſſ. I. hæreſeol. c. 9. p. 86. *Origenem Stoicorum dogma derivâſſe in ſacram ſcripturam.* Huic enim rei vel ſolus error de Mundorum ἀνακυκλήσεως fidem abundè fecerint.

§. 7. Hoc eqvidem conſtat, Origenem Pantæno uſum eſſe Præceptore, ſectæ Stoicæ ſcientiſſimo, (Halloix. lib. I. Orig. def. c. 1. f. 5.) uſum qvoqve voluminibus *Chæremonis* Stoici & *Cornuti*, (Niceph. XIII. 5. è Porphyrio.) Pro qvibus, ut hoc obiter moneam, perperam *Zeno* & *Cerinthus* memorantur apud Haymonem VI. ſacr. hiſt. 3. (p. 104. ed. Colon. A. 1600. & p. 110. ed. Lugdun. A. 1650. ex recenſ. Boxhornii.) Ac Chæremonis qvidem commentarium de Cometis ipſe citat lib. I. contrà Celſum p. 45.

§. 8. Aliis expendendum relinqvo, an non & *Cabaliſtæ*, (de qvibus Diſſertat. præc. §. 6.) dum infinitos propugnant Mundos, Magiſtris eam ad rem Stoicis uſi fuerint, huncq; adeò errorem una cum ipſis Origeni præiverint. Vehementer ſanè Stoam reſipiunt, qvæ apud Leonem Hebræum Dial. III. de amore f. m. 500. 501. ex Hebræorum Theologiâ ſic diſſerunt Sophia & Philo. *Qvænam obſecro tàm potens cauſa reperietur, ut tantam corruptionem efficere valeat?* Ph. Exuperantia unius qvatuor elementorum, præſertim ignis, aut forſitan aqvæ. So. *Cæli verò qvando peribunt?* Ph. Dicunt, qvòd inferiori Mundo ſepties corrupto, ſeptem millibus annorum in ſe ipſa redeuntibus univerſa cœlorum ſeries & compago diſſolvetur, & omnia ad Chaos, primumq; illud informe ſubjectum reſolventur: & hæc qvadraginta novem millibus annorum ab origine mundi tranſactis eventura prænunciant. So. *Qvid tùm poſteà futurum arbitrantur?* Ph. Etſi de rebus tam arduis tamq; obſcuris proloqvi temerarium fortaſſe videtur: nonnullorum tamen doctiſſimorum virorum de hâc re ſententiam tibi explicabo. Dicunt Chaos ipſum tùm, poſtqvam à tantis laboribus ſeſe recreaverit atq; refecerit, ad ſemen divinum rurſus concipiendum, & Mun-

Digitized by Google

Mundum deinde pariendum, formaſq; denuò ſuſcipiendas reverſurum. So. *Nunqvid mundus aliàs etiam fuit procreatus?* Ph. Qvidni? So. *Poſſemúſne ad ullam Mundi primam & ſupremam omnium procreationem tandem pervenire?* Ph. Cùm Chaos communis æternaq; omnium Mater eſſe dicatur, ejus qvoqve germinatio ex æterno & potentiſſimo conjuge ſuſcepta, æterna qvoqve, propterea qvòd una alteri infinities ſuccedit, eſſe videtur: cùm Mundus inferior ſingulis ſeptem annorum millibus; cœleſtis verò una cum elementari per ſingula qvinqvaginta millia annorum ſemper renovari dicatur.

DISSERTATIO XIX.

ad Theſ. XVII. g.

Origenis neutraliſmus.

§. 1.

Mundum è ſententiâ Origenis non ſecundùm ſubſtantiam ſed accidentia ſola periturum, & ita periturum tamen, ut innumerabiles mundi ex iſtis cineribus reſurgant ſucceſſivè dictum eſt in præcedentibus, atqve in hæc veluti capita duo diſtinctum hâc de re dogma Origenis Diſſert. proximâ §. 2.

§. 2. *Neutra* eſſe duo hæc placita, h. e. *nec planè Chriſtiana, nec planè Stoica*, ſic doceo. Chriſtianis maximè orthodoxis Mundus in nihilum reſolvetur; Stoicis in Chaos informe, qvo ſolus Deus & materia comprehendantur absqve ullo accidente; Origeni nec in nihilum penitus, nec in tale Chaos. Perit enim illi ſolus, ut ita loqvar, Mundi ſqvalor: incendium verò effugit non ſubſtantia tantùm, ſed qvicqvid eſt accidentium nobiliorum. Talis per ignem byſſi purgatio eſt. Certè ſubſtantia Mundi, qvam ille ſalvam eſſe vult, ſimilior eſt Stoicorum διακοσμήσει, qvæ per ipſos conflagrat, qvàm κόσμῳ, cui flammæ parcunt. Hæc de *primo* placito.

§. 3. Qvod ad *alterum* attinet, ſcriptura Mundum non niſi unicum novit. Ergò innumerabiles illos Origenes à Prophetis certè &

Digitized by Google

Apoſtolis, niſi verbis ipſorum vim inferat, non habet. Habet qvidem à Stoicis, ſed multum adhuc intereſt.

§. 4. *Primò* Stoicis Mundus poſt cineres regeneratus idem numero, qvi ante, ea etiam, qvæ in mundo, aut eadem planè aut ſimillima (per Diſſert. X. §. 1.) Origenes verò, *arbitror,* inqvit, *pro varietate cauſarum diverſos Mundos fieri, & elidi errores illorum, qvi ſimiles ſui mundos eſſe contendunt,* apud Hieron. ad Avit. Tom. III. Oper. f. 69.

§. 5. *Deinde* Stoici qvidam homines diverſos redituros affirmabant (per Diſſert. X. §. 8.) Origenes eosdem: qvoad animam qvidem certè; qvoad corpus enim tale fuit ejus dogma, ut Metempſychoſin Pythagoræ Platonisq; defendere ipſum ajat Hieronymus d. l. in fine paginæ.

§. 6. Id qvod ſecundùm ea, qvæ ſuprà Diſſert. XIV. §. 73. & ſeqq. diſſeruimus, ita interpretare, ut voluerit animam, qvæ qvidem ipſi ad conſtituendum hominem ſufficiebat, in altero mundo aliud corpus, non ex qvatuor elementis conflatum, ſed neſcio qvod æthereum pro indumento habiturum: ne qvis eodem fortè per omnia ſenſu exaudiat & Platonis & Origenis metempſychoſin; cùm certum ſit, illam ſive Platonis ſive Pythagoræ decantatum animarum tranſmigrationem paſſim culpari ab Origene. Vid. Jo. Bapt. Criſp. f. 464. de Ethn. cautè leg. Petr. Halloix def. Orig. f. 294.

§. 7. Interim ut Lipſius II. Phyſ. Stoic. 22. p. 111. & III. 12 p. 140. oſtendit Stoicos à Pythagoreâ Metempſychoſi, ſic & nos ſcimus ab Origenianâ alienos fuiſſe, ut qvi corpora certè ex qvatuor elementis compoſita reditura crediderint.

§. 8. *Tertiò* rerum in altero Mundo eventum Stoici eundem eſſe volebant (repete iterum Diſſert. X. §. 9.) hâc parte qvidem cum Platonicis comparabiles, qvi & ipſi poſt anni magni revolutionem, (ſed qvam nulla ἐκπύρωσις univerſalis antecederet, hoc enim inter utramqve ſectam intereſt,) eandem rerum faciem fatali neceſſitate in orbem rediturum opinabantur. Origenes contrà, qvi hoc dogma, ut libertati voluntatis inimicum in Platone juxtim ac Stoicis damnavit lib. IV. & V. contrà Celſ. p. 208. 245. animas novam periodum ingreſſas, uti arbitrio libero voluit, & contraria priori vitæ operantes contrariam qvoqve fortunam experiri.

§. 9.

§. 9. Enimverò, ut Janſenii verba è lib. VI. de hæreſ. Pelag. c.13. f. 367. huc aptem, *principium* illud indifferentiæ ad bonum & malum, *ita mordicùs ubiq; tenuit* Origenes, *ut inde circulos illos perpetuos cadendi atq; ſurgendi, h. e. reparationis damnatorum, ac damnationis beatorum in futuro ſeculo fabricaverit, ne alioqvin illa liberi arbitrii indifferentia læderetur.* Itaqve ſapienter circulum Origenis ab anno magno Platonis diſtingvit Fechtius Diſp. de Orig. §. 54.

§. 10. Eſt tamen in Platonicis dogmatibus præter illam anni magni periodum & alius qvidam circulus minor, cui ſuum Origenes adeò ſimilem fecit, ut ex illâ parte Platoni eum potiùs qvàm Stoicis debere ſit planiſſimum. Hoc intereſt, qvòd illum non uni modo integrum, ut Plato, ſed innumerabilibus per ſegmenta qvaſi aptavit.

§. 11. Credidit *Plato*, animos à beato ſtatu in miſerum delabi, ab hoc viciſſim in beatum reſurgere poſſe, ſine ceſſatione alternantibus itionibus ac reditionibus. Qvâ de re copioſè agentem vide Jo. Baptiſtam Criſpum de Ethn. cautè leg. lib. 2. & 3. Diſtrib. tertiæ f. 493. item 517. & ſeqq.

§. 12. Hi ſunt illi circuitûs, in qvibus tacito ſimul nomine Origenem explodit Auguſtinus, ſimul Porphyrium Platonicum ſuorum opinionem ſeqvi noluiſſe teſtatur lib. XII. de Civ. Dei c. 20. qvod ita inchoat: *Qvorum aures piorum ferant, poſt emenſam tot tantisq; calamitatibus vitam --- ita pervenire* (animum) *ad conſpectum Dei, ita fieri beatum contemplatione incorporeæ lucis, --- ut eam qvandoq; neceſſe ſit deſeri, & eos, qvi deſerunt, ab illâ æternitate, veritate, felicitate dejectos, tartareæ mortalitati, turpi ſtultitiæ, miſeriis execrabilibus implicari, ubi Deus amittatur, ubi odio veritas habeatur, ubi per immundas neqvitias beatitudo qværatur: & hoc itidem atq; itidem ſine ullo fine, priorum & poſteriorum certis intervallis, & dimenſionibus ſeculorum factum & futurum.*

§. 13. Qvem hîc tacuerat Origenem, expreſsè nominat c. 43. de hæreſ. ubi porrò hæc leguntur, iis, qvæ modò attulimus, planè gemina: *Qvis catholicus Chriſtianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat eam, qvam dicit, malorum purgationem, id eſt, etiam eos, qvi hanc vitam in flagitiis, & facinoribus, & ſacrilegiis atq; impietatibus qvamlibet maximis finierunt; ipſum etiam poſtremò diabolum atq; angelos ejus, qvamvis poſt longiſſima tempora purgatos atq; liberatos regno Dei luciq;*

Hh 2 reſti-

reſtitui? & rurſus poſt longiſſima tempora omnes, qvi liberati ſunt, ad hæc mala denuò relabi & reverti, & has vices alternantes beatitudinum & miſeriarum rationalis creaturæ ſemper fuiſſe, ſemperq́; fore? De qvâ vaniſſima impietate adverſus philoſophos, à qvibus iſta didicit Origenes, in libris de Civitate Dei diligentiſſimè diſputavi.

§. 14. Philoſophi illi Platonici ſunt, locus autem in libris de Civitate Dei, is eſt, qvem §. 12. citavi, nempe lib. XII. c. 20. Fruſtra enim ad alios S. Patris locos mittit Danæus comment. in Auguſtin. de hæreſ. p. 120.

§. 15. Cujus nec illud approbo, qvod p. præc. ait, hanc rerum & Mundi viciſſitudinem ad Origenem perveniſſe non tantùm à Platonicis ex Timæo, ſed etiam ab Ariſtotelicis ex libris de Cœlo & Mundo. Qvid enim Circularis apud Ariſtotelem elementorum generatio facit ad hunc rhombum, in qvo non elementa, ſed animæ volvuntur? Animarum illa viciſſitudo in Ariſtotelis totâ Philoſophiâ res prorſus eſt inaudita.

§. 16. Cæterùm Origeni circà illum de ſalvandis tandem dæmonibus errorem putant injuriam fieri Elmenhorſtius ad Gennad. de dogmat. c. 9. p. 126. & Calixtus de bono perfectè ſummo p. 63. Qvanqvam enim à multis, qvos & ipſi citant, inculpatur: movent eos tamen in ſententiam mitiorem tùm loci Origenis duo, unus in Jobum, alter in Matthæum, contraria docentes; tùm verba ejus in Epiſtolâ adversùs illos, qvi ipſo vivente libros ſuos adulteraviſſent, qvam à Rufino verſam habemus, ubi dogma illud de ſalvando dæmone crimen blaſphemiæ vocat, qvod nec audierit à ſe qvisqvam, & ne qvidem mente qvis motus & manifeſtè inſaniens approbare poſſit.

§. 17. Verùm duobus illis locis obtendere qveas alios ejusdem, qvos ſuggerit Diſputatio Fechtiana §. 50. & contradictionem pugnantium verborum tollere diſtingvendo vocabulo æternitatis ex ejusdem Diſputationis §. 53. De epiſtolâ verò illâ, num genuina ſit, & non fictitia, ipſos Elmenhorſtium & Calixtum dubitaſſe video. Petrus qvoqve Halloix, inſignis Origenis Patronus, fatetur f. 290. Orig. defenſ. Hieronymum, tametſi epiſtolam, ut germanam Origenis approbaverit, in Rufini tamen verſione duo reprehendiſſe, unum, qvod fraudulenter aliqva reticuerit, alterum, qvòd ſenſum inverterit.

§. 18.

§. 18. De reliqvo gravant hîc Origenem inſuper hypotheſes ejus de liberi arbitrii naturâ, de pœnarum indole, de rerum circulo, de Mundis infinitis. Qvibus poſitis Diabolum & ſalvari poſſe, & probabiliter ſalvandum eſſe, ſtatuere neceſſe habuit, ut eruditè obſervat Fechtius.

§. 19. Acceſſit etiam illa *divinæ miſericordiæ* fervidior, qvàm liceret per juſtitiam, & extrà verbum revelatum vagabunda ſpeculatio. Severus Sulpitius lib. I. Dial. 3. *Cùm ab Epiſcopis excerpta in libris illius* (Origenis) *multa legerentur, qvæ contrà catholicam fidem ſcripta conſtaret, locus ille vel maximam parabat invidiam, in qvo editum legebatur, qvòd Dominus JEſus, ſicut pro redemptione hominis in carne veniſſet, & crucem pro hominis ſalute perpeſſus, mortem pro hominis æternitate guſtàſſet: ita eſſet eodem ordine paſſionis etiam Diabolum redempturus*, qvia hoc bonitati illius pietatiq; congrueret, *ut qvi perditum hominem reformaſſet, prolapſum qvoqve angelum liberaret.* Gennad. c. 9. de Eccl. dogmat. *Poſt reſurrectionem & judicium non credamus reſtitutionem futuram, qvam Origenes delirat, ut dæmones vel impii homines poſt tormenta qvaſi ſuppliciis expurgati, vel illi in angelicam, qvâ creati ſunt, redeant dignitatem, vel injuſti juſtorum ſocietate donentur*, eò qvòd hoc divinæ conveniat pietati, *ne qvid ex rationalibus pereat creaturis.*

§. 20. Ex miſericordiæ divinæ meditatione videlicet irregulari Thomas qvoqve Brovvne fatetur aliqvando ſe incidiſſe in illam Origenis hæreſin, Part. I. de Relig. Medici Sect. 6. p. 39. adjuvante, ut credibile eſt, impetum ingenio, qvod à parentibus miſericors & humanum indicat ſe accepiſſe Part. II. Sect. 1 p. 317.

§. 21. Et verò ſolere homines opinionem de religione ſuam ingeniis propriis accommodare, notavit Jean d'Eſpagne Sect. I. de error. circà relig. c. 2. qvem librum de Gallico germanicè vertit Patriæ meæ decus, Ampliſſimæ Dignitatis Ædilis, Adrianus Stegerus: Ille verò Autor, qvod ad rem præſentem attinet, ita diſſerit: pro diſparitate ingeniorum evenire, ut ſint de religione qvoqve diſpares ſenſûs, perinde ut depingere diabolum Æthiopes album ſolent, qvem nos non aliter qvàm nigrum linamus. Ergò plus æqvò miſericordis qvidem ingenii homines crediidiſſe, pœnas damnatorum non fore

æternas; contrà Severioribus viſum eſſe, ne ex infirmitate qvidem lapſis pœnitentiæ locum oportere concedi.

§. 22. Etiam Arminiani commiſerationis affectum cauſantur circà doctrinam ſuam de ſalute Gentium. *Qvid, inqviunt, in eo criminis eſt, qvod Remonſtrantes Philoſophos Gentiles de plano non faciant damnatos & æternis ignibus adjudicent? qvod commiſerationis affectu abrepti errent? qvòd Deum concipiant clementiorem, qvàm eſt?* c. 9. vindiciarum doctrinæ Remonſtr. adv. Vedelium, (cit. Juſto Sibero conſid. 14. de ſalut. Chriſt. p. 134.) Sed facilis reſponſio. Crimen omninò eſt Chriſtiano, Clementiam Dei cerebri humani decempedâ potiùs, aut impetu cœci affectûs metiri, qvàm regulâ verbi divini.

§. 23. Qvare nec Abrahamo Sculteto aſſentiar, cui Part. I. Medull. Patr. p. 49. eorum, qvi Socratem in Catalogo Chriſtianorum eſſe docuerunt, ſi non probandam ſententiam, ad affectum laudandum eſſe pronunciant.

DISSERTATIO XX.

Ad Theſ. XVIII. k.

Fatum ſidereum.

§. 1.

F*Atum ſidereum* voco, qvod aliàs *aſtrologicum, mathematicum, chaldaicum* audit. Ante me ſic Auguſtinus V. de Civ. Dei 9. f. 294. *Multò ſunt tolerabiliores, qvi* ſiderea *fata* (c. 6. & 7. f. 289. 291. *aſtralia* qvoqve vocaverat) *conſtituunt, qvàm iſte,* qvi tollit præſcientiam futurorum.

§. 2. Non patrocinatur his verbis Auguſtinus Aſtrologico fato, ſed ejus aſſertores ait minùs graviter peccare, qvàm qvi Deum neget

Digitized by Google

neget præſcium futurorum. Qvare? qvia ille in homines injurius eſt, hic in Deum. Qvomodo? Qvia fati Aſtrologici profeſſione adimit libertatem homini, Deo relinqvit.

§. 3. Imò verò etiam Deo, inqvies. Fateor ita ſenſiſſe qvosdam Gentilium ἀςρομάνʃας, vel potiùs ἀςρομανεῖς. Sed tamen & diſſenſerunt alii: ac de his poſterioribus interpretor Auguſtini locum. Nam & ipſe duas illas ſententias diſtinxerat c. 1. illius libri f. 279. *Fatum homines qvando audiunt, uſitatâ loqvendi conſvetudine non intelligunt niſi vim poſitionis ſiderum, qvalis eſt, qvando qvis naſcitur ſive concipitur: qvod* aliqvi *alienant à Dei voluntate,* aliqvi *ex illâ & hoc pendere affirmant.* Interim, utrovis modo accipias fatum illud, tale intelligitur certè ab Auguſtino, qvod *animi* (humani) *voluntates poſitionibus ſiderum ſubdat;* ut ipſe loqvitur c. 6.

§. 4. Duabus his acceptionibus adjungamus tertiam ex eorum mente, qvi cùm fatum Aſtrologicum & ipſi tueantur, exemptam ei tamen cupiunt non Dei modò, ſed hominis qvoqve voluntatem.

§. 5. Hujusmodi fatum *Phyſici fati* productum titulo Philippus Melanchthon agnovit, ut hæc ejus verba declarant lib. III. Phyſ. p. m. 147. *Tales naturæ* (natorum in conjunctione Solis, Lunæ & Martis,) *etſi ſunt infœlices, aliæ magis, aliæ minus, tamen ſi ſtellarum poſitu conſiderato pericula proſpexerint, & frenare ſe diſciplinâ annitantur, multa ſæva mala vitare poterunt, qvia manet in naturâ hominum libertas.* Definiverat autem hoc fatum pag. 134. *ſeriem cauſarum naturalium, i. e. copulationem ſtellarum cum temperamentis & inclinationibus. Id* (inqvit) *fatum vocat Ptolemæus Phyſicum.*

§. 6. Ergò fati Aſtrologici triplex in univerſum eſt expoſitio, dum alii ſolius hominis voluntatem ei ſubdunt, alii etiam Dei, alii utramqve ab ejus violentiâ excipiunt.

§. 7. In hoc tertio genere nomen ſuum Philippus eſt profeſſus, plus tamen illis è ſiderum ſcientiâ divinationibus tribuens, qvàm ut adſtipulatorem habere poſſet Lutherum, ut ex cap. 70. Colloqviorum Lutheri menſalium, tit. von der Aſtronomey und Stern-Kunſt intelligitur. Vid. & Gisb. Voet. Part. II. Diſp. ſelect. pag. 1053.

§. 8.

Digitized by Google

§. 8. Priores verò expoſitiones duas approbare nemo poteſt ſine manifeſto in Gentilium caſtra transfugio, & ejuratione Chriſtianiſmi, qvem illi enormiſſimè lædunt, qvi Deum ipſum ſiderei fati vinculis conſtringunt. De qvibus & verba Theſeos, ad qvam hæc commentamur, exaudienda veniunt.

§. 9. Nec dubium, qvin tale fatum ſit illud qvoqve *Stoicorum*, qvi qvantum tribuerint aſtrorum curſibus, vel annus illorum magnus nos doceat, cujus periodis illi fatales mundi exuſtiones inundationésve imputabant per Diſſert. V. §. 34. qvam parum libertatis Deo per fatum reliqverint, oſtenſum eſt Diſſert. XIII. Ut omninò adjungendi ſint iis, qvi fatum hoc, ut loqvebatur Auguſtinus, *alienant à Dei voluntate*, h. e. voluntati divinæ non ſubjiciunt, ſed imponunt pro domino.

§. 10. Qvanqvam autem c. 8. S. Pater à Stoicis putat ipſam præcipuè Dei ſummi voluntatem appellari fatum: tamen è Diſſert. XIII. §. 29. intelliges benigniorem eſſe hanc interpretationem, qvàm qvæ ab ipſorum principiis admittatur. *Sidereum* illud Stoicorum fatum verè σιδήρεον eſt, adeò ut frangi ne à Deo qvidem ipſorum poſſit.

DIS-

DISSERTATIO XXI.

ad Theſ. XVIII. l.

Fons animarum.

§. 1.

QVibuscunqve Gentilium Deus erat Anima Mundi, iidem ex ipſâ Mundanæ hujus Animæ eſſentiâ tanqvam ex fonte derivabant animas ſive omnium viventium, ſive ſaltem rationalium, (qvo vocabulo non homines modò, ſed dæmones etiam comprehendebantur,) adeoqve FONTEM ANIMARUM eum ſalutabant. Antonius Eremita ad Paganos (ut habetur in vitis Patrum p. m. 157.) *Vos qvi animam ex ſplendidiſſimo Dei fonte manantem turpiter decidiſſe jactatis.*

§. 2. Igitur Auguſtino Deus iſte eſt *ſinus qvidam naturæ, in ſe ipſo continens omnia, ut ex ipſius animâ, qvâ vivificatur tota iſta moles, vitæ atqve animæ cunctorum viventium pro cujusq; naſcentis ſorte ſumantur,* lib. IV. de Civit. Dei c. 12. Qvi mox c. ſeq. illorum qvoqve effatum conſiderat, qvi *ſola animalia rationalia, ſicut ſunt homines, partes Dei eſſe* contendunt.

§. 3. Intelligis jam, qvibus è principiis non modò noſtram animam *divinæ particulam auræ* appellet Horatius II. Sat. 2. v. 79. ſed &,

> *Eſſe apibus partem divinæ Mentis & hauſtûs*
> *Æthereos,*

apud Virgilium IV. Georg. v. 220. afferatur. Nimirum hæc ad illum cæterarum fontem, Univerſi animam reſpiciunt, ut rectè obſervatum Gaſſendo Phyſ. ſect. III. memb. poſter. lib. 3. c. 1. (Tom. II. oper. f. 239.)

§. 4. E qvo & hoc deſcribamus, *placuiſſe Pythagoræ, Animam qvidem Mundi eſſe per Univerſum diſſeminatam, ſed vim tamen ejus præcipuam ita reſidere in Sole,* (centrum hunc faciebant Univerſi,) *ut unà cum radiis ipſius corporeis emanent in hac inferiora radii inviſibiles, qvi excepti corporibus particulares animæ fiant.*

§. 5. Hinc lucem habet illud Ammiani lib. XXI. p. 193. *Sol, (ut ajunt Phyſici,) Mens Mundi* (ſuprà Diſſert. XIV. §. 36.) *noſtras mentes ex ſeſe velut ſcintillas diffunditans.*

§. 6. Nec abludunt illa Procli, Solem alloqventis:

κλῦθι πυρὸς νοεροῦ βασιλεῦ Χρυσήνιε Τιτὰν,
κλῦθι φάους ταμία, ζωαρχέος ὦ ἄνα πηγῆς,

cit. Barthio ad Zach. Mitylen. p. 282.

§. 7. Etiam *Plato* in Philebo diſputat f. m. 382. ut corpus noſtrum ex corpore univerſi, ſic animam ex animâ decerpi. Unde animam noſtram illi eſſe partem animæ Mundi prolixè docet Jo. Bapt. Criſpus de Ethnicis cautè leg. Diſtrib. I. lib. III. f. 59. ſeqq.

§. 8. Qvam eandem opinionem *Stoicis* qvoqve ſuis, nec malè, tribuit Lipſius lib. III. Phyſiol. Stoic. diſſ. 8. aliorum inſuper Philoſophorum conſenſu eos muniens, &, *Mundi animam fontem animarum omnium eſſe,* Socraticum dogma pronuncians.

§. 9. Sed qvisnam Deorum ſit illa fons, variatum ſententiis. Stoici *primum,* Platonici *tertium* à primo Deum deſignabant, (reſpice ad Diſſert. XIV. §. 21. & 23.) Itaqve Theodorus Platonicus apud Proclum, teſte Steucho II. de perenn. Philoſ. 7. p. 120. (cui junge Liv. Galant. f. 103. compar. Chriſt. Theol. cum Platon.) dum Amelium Secutus tres dicit eſſe opifices, ἀποκαλεῖ τὸν μὲν οὐσιώδη νοῦν, (hic primus eſt,) τὸν δὲ νοερὰν οὐσίαν, (hic ſecundus,) τὸν δὲ πηγὴν ψυχῶν, (hic tertius.) Apud Macrobium nomina ſingulorum ſunt hæc: *(1.) Deus ſummus, (2.) Mens ex Deo nata, (3.) Mundi anima, qvæ animarum omnium fons eſt,* I. in ſomn. Scip. 6. p. 32. Cum qvibus confer ejusd. lib. c. 14. p. 70. & c. 17. p. 82.

§. 10. Cæterùm qvod alii fontem animarum, *id fontanam Animam* vocat Mutius Panſa c. 66. de oſc. Ethn. & Chriſtian. Theol. p. 375. Atqve huc etiam pertinere dixerim ψυχῆς ὀχετὸν in Oraculis Zoroaſtris (apud Weiz. p. 568. ad Prudent.) *craterem Platonis* in Timæo f. 1054. *magnum* item *Aqvilonem,* qvem fontem animarum vocant Cabaliſtæ, (apud Picum Mirand. Concluſ. 6. Cabaliſt. f. m. 54.)

§. 11. Nec dubitem de hoc fonte interpretari Pythagoricum illud paſſim decantatum, ſed non æqvè ab omnibus intellectum:

Naj

Ναὶ μὰ τὸν ἡμετέρα ψυχᾶ παραδόντα τετρακτύν,
Παγὰν, ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.

Conſtructio vocum, παραδόντα, & παγὰν, ſecundùm appoſitionis regulam judicanda eſt. Qvippe juramentum erat non per τετρακτὺν, qvæ animæ noſtræ fontem dediſſet, ſed per illum, qvi ſimul animæ noſtræ τετρακτὺν dediſſet, ſimul fons eſſet ſempiternus.

§. 12. Sanè ſic accepit Macrobius, apud qvem I. in ſomn. Scip. 6. prior verſiculus alioqvi ſenſum per ſe integrum abſolvere non potuiſſet, nec verti,

Per, qvi noſtræ animæ numerum dedit ipſe qvaternum,

vel, qvomodo in membranis reperit Modius, Epiſt. 8. Lect. novantiq. in fin. - - - *eſſe qvaternum.*

§. 13. Fontem illum Gaſſendus qvoqve Sect. I. Phyſ. lib. 1. c. 5. (Tom. I. Oper. f. 157.) interpretatur de animâ Mundi, ſed poſteriorem verſum ſic exhibet:

Παγὰν ἀενάου φύσεως, ῥίζωμα τ' ἔχουσαν.

Qvo pacto ἔχουσαν pendebit non à παγὰν, ſed à τετρακτύν. Qvod & ille voluit, qvi totum diſtichon apud Pererium IV. Phyſ. 7. p. 226. ſic tranſtulit:

Juro per omnipotentem, animæ qvi tetrada noſtræ
Perpetuos fontes naturæ infudit habentem.

§. 14. Sed rectiùs dixerint Pythagoræi, ab illo fonte, h. e. Deo, qvi & adjuretur, animam fluxiſſe noſtram, qvàm à Qvaternione, qvi animæ noſtræ datus ſit, contineri fontem ipſum.

§. 15. *Qvaternionem* autem interpretari qvatuor animæ facultates, ex qvibus veluti partibus animam humanam componebant Pythagoræi apud Plutarch. I. de plac. 3. nihil abſurdi, credo, fuerit.

§. 16. Scio eſſe, qvi τετρακτύν Pythagoricam velint ipſum haberi, qvi juratur Deum, & ſolœciſmum Grammaticum, in qvem hæc expoſitio incidit, τετρακτύν παραδόντα, pro παραδοῦσαν, excuſent à ſexu promiſcuo deorum gentilium. Poterant & ſyntheſin generis in ſubſidium vocare. Sed expeditius eſt nobis per ſuperiora, de Deo interpretari παγὰν, ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν, qvàm τετρακτύν.

 §. 17.

§. 17. Igitur ſaltem qvieſcere licebit & ſuſpendere tam diu calculum, donec ipſi, qvi aliter ſentiunt, inter ſe convenerint de causâ cur Deum Pythagorici vocaverint τετρακτὺν. Video enim tot hîc eſſe ſententias, qvot capita.

§. 18. Valentiniani *qvaternationem* illam, (ſic interpres Irenæi reddit lib. I. c. 1. f. m. 7. niſi *qvaternionem* legere malis,) trahebant ad ſua qvatuor numina, Βυθὸν, Σιγὴν, Νοῦν, Ἀλήθειαν.

§. 19. Pico Mirandulæ c. 9. de Ente & Uno f. m. 168. placet, ut putemus, reſpexiſſe Pythagoram ad illa qvatuor Tranſcendentia in Deo, qvi eſt pleniſſima Entitas, individua Unitas, ſolidiſſima Veritas, beatiſſima Bonitas.

§. 20. Seldenus Syntagm. II. de DIs Syris c. 1. p. 209. 210. ed. Lipſ. autumat τετρακτὺν eſſe nomen tetragrammatum, (non adeò planè gentilibus abſconditum, qvin Pythagoræ per Nazaratum Aſſyrium, qvem ſint qvi Ezechielem putent, innoteſcere potuerit.) *Qvod tamen vereor,* inqvit G. Hornius III. Hiſt. Philoſ. 11. p. 175. *ne audaciùs dictum ſit.*

§. 21. Poſtelli gloſſa lib. I. de Orb. concord. c. 23. f. 23. hæc eſt: *Ne proderet* (Pythagoras) *ſanctam Trinitatem, qvam in Triſmegiſto legerat, obtrudit diſcipulis Tetractyn, i. e. qvaternarium, qvo idem innuebat, ſed involucris tegendo. Erat enim Pater, Filius, Spiritus Sanctus, Deus, Genitor, Mens, Genitus & anima Mundi Deus vel cauſa, res una.*

§. 22. Exſpecto, ut ſimili aliqvâ ratione Qvaternitatem etiam illam, cujus Petrum Lombardum inſimulavit Joachimus Abbas, excuſet Poſtellus. Sed illi, dum id agit, ut ſacroſanctæ Trinitatis myſterium probet etiam ad Philoſophos Mundi pervaſiſſe, non magis aſſentiar, qvàm Steucho, qvi *fontem animarum* Theodori Platonici interpretatur Spiritum Sanctum.

§. 28. Vide qvàm ipſe hoc invento delectetur II. de perenn. Philoſ. 7. p. 121. *Tertium* (opificem Theodorus) *vocabat Fontem animorum, qvo nihil divinius & profundius. Qvippe & noſtra Theologia vocat eum Creatorem Spirituum, & hæc eſt anima Mundi vivificatrix, Mater animarum.* Et cap. 8. p. 126. *Hanc tertium* (Regem Platonici) *qvaſi faciunt (qvod noſtra tantoperè vociferatur Theologia) fontem animarum. Eſt enim anima illa Spiritus ſanctus, ut apparet, & ut docuimus ubiqve.*

Spiri-

Spiritum autem nos vivificatorem, creatorem, ſatoremq́; animarum dicimus. Tu paracletus diceris, Donum Dei altiſſimi, Fons vivus, ignis, charitas, Et ſpiritalis unctio.

§. 24. Verùm illa fontis ſive Stoici ſive Platonici cum Spiritu Sancto comparatio faciliùs approbet ſe Manichæis, ut qvi animas noſtras ex ipsâ Dei ſubſtantiâ tanqvam ex fonte emanare docuerint, apud Jo. Bapt. Criſpum f. 67. de ethn. cautè leg. ſeu, ut loqvitur Lipſius, de propriâ Dei ſubſtantiâ animam formaverint, III. Phyſiol. Stoic. 8. pag. 134. Ubi & Priſcillianiſtas ac Marcionitas illis adjungit, omnesq́; cum Stoicis comparat, ſtylo tamen ſic temperato, ut credas, ipſum maluiſſe teterrimos hæreticos abſolvere, vel excuſare ſaltem, qvàm Stoam, delicias ſuas, condemnare.

§. 25. Nobis alia mens, qvi ſciamus, gentilem Theologiam, nec eam tantùm poſterioris ævi, ſed, qvod fruſtrà negat Steuchus lib. II. cap. 3. pag. 109. antiqvam, ex ipsâ Mundanæ animæ, h. e. Dei eſſentiâ effudiſſe animas, in eâq; re nullum eſſe conciliationi locum.

§. 26. Qvapropter magis eſt, ùt pro nævis habeam, qvàm imitationi proponam locutiones qvasdam piorum ſcriptorum, qvæ profanitatem illam redolent.

§. 27. Ab Ethnicâ utiqve Theologiâ putes verba, (ſenſum aliàs probum eſſe non nego,) mutuatum eſſe Prudentium, qvando hymnum circa exeqvias, (decimus eſt,) ſic inchoavit:

DEUS, ignee fons animarum.

Qvod propriè aliqvis (verba Voſſii ſunt I. de Orig. idolol. 10. f. 40.) *è porticu acciperet.* Enimverò apud Stoicos & *igneum Deum*, & eundem reperio *fontem animarum*.

§. 28. Neqve his non arrideant, qvæ paulò pòſt ſeqvuntur:

Reſciſſa ſed iſta ſeorſum
Proprios revocantur in ortûs;
Petit halitus æthera *fervens*;
Humus excipit arida corpus.
Sic cuncta creata neceſſe eſt
Obitum tolerare ſupremum,
Ut ſemina *diſſociata*
Sibi ſumat origo reſorbens.

Propè meras hìc phraſes Stoicas agnoſco, in ſententiam Chriſtianam migrare coactas.

§. 29. Dicámne & Arnobium huc alluſiſſe cùm lib. II. p. m. 53. ſcriberet: *Uno ex fonte omnium noſtrûm defluunt animæ.* Res dubia. Poſſis eqvidem fontem illum Deum interpretari: unde Weitzius hunc Arnobii locum Prudentiano alteri, qvi Deum vocat fontem animarum, adjungit pag. 568. Sed poſſis tamen etiam fontis vocabulo animas intelligere primorum parentum, qvarum tradux in totum ſe genus humanum diffudit: ſunt enim, qvi Arnobium Traducianis annumerant, ut Dreier. Gründl. Erört. pag. 270. Calov. Harm. Calixt. pag. 608. §. 44. Wildeſin Antivvagnereck. c. 14. p. 22.

§. 30. Verùm neutrum ex his placet, ſi ad ea reſpicio, qvæ Arnobius eodem libro de origine animarum tradit porrò: *non eſſe animas Regis maximi filias, nec ab eo, qvemadmodùm dicitur, generatas cœpiſſe ſe noſſe, atqve in ſui nominis eſſentiâ prædicari, ſed alterum qvempiam genitorem his eſſe, dignitatis & potentiæ gradibus ſatis plurimis ab Imperatore disjunctum: ejus tamen ex aulâ, & eminentium nobilem ſublimitate natalium.* Fons ergò animarum Arnobio non ipſe Deus eſt, qvem Regem maximum vocat, ſed Regis hujus neſcio qvi Satrapa, cujus tamen ultimos natales ex illo Rege derivâſſe Arnobius videtur, Platoni hâc parte ſimilior, qvàm Stoicis.

§. 31. Qvicqvid de Arnobio ſit, placet hìc judicium Voſſii, qvi c. 4. de imitat. §. 8. p. 20. cavendum monet, ne imitemur loqvendi modos, qvi ſapiant impias opiniones. *Qvò refero*, inqvit, *cùm animas noſtras dicunt de Deo vel ſempiternis ignibus decerptas. Imitari ſe ajunt Tullium, item Horatium, qvi mentem appellat divinæ particulam auræ. Sed ea proferunt ex mente Platonis, cui anima Dei eſt pars, qvi eam fecerit ex ȣσία ſuâ. Chriſtiana verò religio non agnoſcit ulla Dei ἀποσπάσματα, ἢ τμήματα, ἢ μέρια τῆς ȣ͂ πνοῆς ψυχῆς. Multos tamen viros egregios videas hodiè ſic loqvi: non qvia ſic ſentiant omnes, ſed ſæpiùs, qvia non ſatis conſiderent, qvid legant vel ſcribant.*

§. 32.

§. 32. Claudat obſervationem hanc totam egregius Gaſſendi locus è lib. III. Eth. cap. 4. (Tom. II. Oper. f. 849.) *Qvi* animam Mundi *conceſſerunt, exiſtimarunt Dæmonas non minùs qvàm animas noſtras nihil eſſe aliud, qvàm particulas animæ Mundanæ. Et qvoniam aliunde animam Mundanam idem eſſe cum Deo putarunt: idcircò habuére qvoqve Dæmonas ut particulas divinæ naturæ, ac anſam fecere hæreticis variis, primis Eccleſiæ temporibus, ut pari modo de Angelis ex Dei ſubſtantiâ deductis philoſopharentur. Ii ergò habuere Mundi animam qvaſi Oceanum inexhauſtum, cujus Dæmones animæq; eſſent velut rivuli, temporis progreſſu in eum reducendi. Et Plotinus viſus eſt etiam comparare radici ſeu trunco, qvaſi dæmones animæq; eſſent veluti rami, ramuſculi, folia, flores, fructûs.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google